De Disciplina

PVERORVM, RECTE'
que formandis eorum & studijs &
moribus, ac simul tam preceptorum
quàm parentum in eosdem Offi-
cio: Doctorum uirorum li-
belli aliquot ue-
rè aurei,




AD INGENVORVM ADO-
lescentum commoditatem atque
usum collecti:




*Quorum Catalogum proxima post Prae-
fationem pagella re-
peries.*




BASILEAE, PER IOAN-
nem Oporinum.



PHILIPPVS BECHIVS INGENVO ADOLESCENTI LVDOVICO MARDTORFIO *Francofortensi*, D. LVDOVICI F. *Salutem.*




SOLON ille Salaminius, qui inter Græciæ sapientes non postremi nominis fuit, gloriari solebat, se aliquid quotidie addiscentem, senem fieri. Tanta enim homini inerat discendi cupiditas atque alacritas, ut senio iam grauatus, non minus acriter Philosophiæ studijs incũberet, quàm quum adolescens atque iuuenis fuisset. Nouerat enim, hæc studia propter ueritatis cognitionem, & ut sapientiã assequeretur, ac eruditione & doctrina solida instrueretur, iudicio item sincero atque dextro imbueretur, omnino esse necessaria: nec minus etiam utilia, & quæ sola sibi post obitum immortale nomen conciliare, ac senectuti suæ maximũ solatium afferre possent. His causis absque dubio

motum fuisse Solonē conijcio, quòd se tam ardenti studio & labore quidē indefesso, pulcerrimæ atq; utilissimæ Philosophiæ placitis addixerit, à qua, in decrepita etiam ætate constitutus, ac summis Reipublicæ negotijs implicatus auelli se nūquā passus est. Ac licet, mi carissime Ludouice, radices eius primùm gustantibus, perquàm amaræ atq; horridæ uideantur: nihilo minus tamen fructus postea suauissimos reddunt, quibus ad extremū usq; uitæ articulū, non sine mirifica quadā uoluptate & delectatione perfrui liceat. Eius autē fructus tā ampli sunt, ut in omnes uitæ partes, in omnes professiones atq; ordines latissimè diffundantur. Neq; enim aliūde perturbationes rerū humanarū tātæ existūt, & tot uitæ calamitates emergunt, nisi ex eo, quòd homines partim imbecillitate, partim improbitate, partim uerò stultitia, in suo quisq; statu & ordine, nec ipsi agunt quod debent, neq; alios id agere permittunt: nec rebus cęteris u-

tuntur

tuntur eo modo & fine, in quem à natura sunt productæ. Vnde uides, mi carissime Ludouice, quàm utiliter dederimus operam philosophiæ: qua nihil ab Aristotele atque Platone, taceo reliquos philosophos, post sacrosancta Dei oracula, preciosius, nihilque excellentius atque utilius fingi excogitarí ue potuit, ad omnem hominis institutionẽ. Ea namque fidelissimè nobis explicat omnem de rebus ueritatem, si uel alios dextrè erudire, uel liberos rectè educare, uel consilio regere domum, ac prudenter rem familiarem administrare, uel sapienter & cum dignitate Reipub. munera obire, uel denique quiduis aliud cum laude & decoro agere uoluerimus. Summa, quicquid uspiam uel rectè cogitatur, uel aptè dicitur, uel accuratè exquiritur, uel prudenter agitur, quocunque in munere, et quouis negotio, tam publico quàm priuato: id omne ex fructuosissima Philosophię institutione proficisci necesse est. Quare tota mente, totoque ani

mo tam præclaris atq; utilibus Philosophiæ studijs inuigilare debes, ut omnem ueritatis cognitionē addiſcas, & inde præclara atq; utilia documenta haurias, quę tuam adoleſcentiam agant, iuuentutem gubernent, ſenectutem oblectent, ſecundas res ornent, aduerſis perfugium atq; ſolatium prębeant: delectent domi, non impediāt foris, tecum peregrinentur, ruſticentur, & ad omnem doctrinam atq; ſapientiam adhortentur atque incitent. Huc igitur directa ſit manus, oculi, cura, ut paruos igniculos doctrinæ & omnium uirtutum, quos & tibi & ſingulis hominibus natura contribuit, abiectis malis moribus, deprauatisq; opinionibus indies magis atq; magis ſic exuſcites, ut nuſquam non naturæ lumen appareat, ac hominis appellatione (qui à reliquis animantibus, tribus hiſce, nempe loquendi facultate, uoluntatis libertate, ac mente ſeu intellectu ſeparatur) dignus cenſearis. Verè nanq; Seneca dixit: Nihil à ſta-

tuis

tuis differre homines, ueræ disciplinæ expertes. Sicut enim statuæ, nihil aliud nisi nudam figuram formamq́ꝫ illorum quos imitantur, repręsentãdo exprimunt: ita quoq́ꝫ homo nulla doctrina literarũ & Philosophiæ excultus, neq́ꝫ uirtute aliqua præditus atq́ꝫ ornatus, nihil præter solam hominis formam habere, & secundum Diogenis dictũ, terræ oneri esse dicitur. Interrogatus enim Diogenes: Quod'nam onus inter alia plurima, quæ portat, grauissimum sustineret terra? inquit, hominem indoctum, nulla recta disciplina instructum atq́ꝫ perpolitum. quo nimirum dicto innuere uoluit, etiam terrę oneri esse hominem imperitum, nõ secus atq́ꝫ cadauer putre ac fœtidum, rancido fœtore corrumpẽs omnia fragrantia, quę lętissima tellus uerno tempore ubertim profert: ita homo à primis incunabulis nõ bene educatus, neq́ꝫ à parentibus suis, aut præceptoribus probè institutus, sua ignorantia & stultitia, impietate atq́ꝫ

iniusticia, quasi pestifero quodam cõtagio, cæteros inficere perdereq́ consueuit. Permultum enim refert, qua ratione, uia ac methodo quis ab ineunte ætate informatus, quibus etiam rebus assuefactus fuerit. Nec scio an ad uitam sic uel sic degendam, longè plus faciat, quo modo quis à puero eductus & institutus, quàm quo modo natus sit. Solent enim plerunq; etiã bonæ & generosæ indoles, praua atq; adeò negligentiore quoq; educatione & institutione corrumpi: uitiosam uerò naturam, sæpe bona educatio atq; informatio corrigit. Qua de causa ueteres legislatores, præsertim Græcorum, in tradendis legibus, quod ad educationem atq; institutionem puerorum attinet, plurimùm elaborasse uidemus, inter quos Solonis diligentia atq; cura maximè est laudata: cuius legibus sic ad unguẽ, & propè curiosè omnia perscripta sunt, quæ ad educationem atq; morum puerilium institutionem spectant, nihil ut omnino il

lorum

lorũ omiſſum ſit. Eſt enim ille etiã mi nima tenuiſsimè perſecutus, quæ de gymnaſijs, quæ de pędagogis, quota diei hora, quosq; ad ludimagiſtros ueniendum eſſet: quo etiam ueſtitu & comitatu incedendum: ac ne illud quidem prætermiſſum, quòd cum procedendum ſit in publicũ, intra pallium manus reducere & continere debeãt: & multa alia, quæ hîc breuitatis cauſa conſultò tranſgredior: quæ tamen, ſicut alia quoque multo pręclariora & laudabiliora, à paucíſsimis obſeruari uidemus. Tanta eſt huius ſęculi, proh dolor, peruerſitas atq; cæcitas, tanta morũ corruptio atq; perturbatio, tanta deniq; diſciplinę diſſolutio atq; confuſio, ut quæ recta, honeſta & laudabilia priſcis hominibus ſemper habita ſunt, ea nunc propter peſsima huius corruptiſsimi ſeculi exempla, ſuſque deque ferantur. Vix enim inter mille parentes unum reperias, qui ſemel tantum apud ſe cogitare in animũ inducat, quomodo liberi eius, quę ſunt Ec-

 cleſiæ

clesiæ Christi seminaria, per fidelem educationem, rectamq; ac piam institutionem q optimi efficerentur: cum tamen nullum Reipub. munus afferre maius, nec Deo opt. max. acceptius prȩstare opus possint, quàm si uel ipsi eos doceant atq; erudiant, uel magistris idoneis erudiendos tradant: ijs præsertim moribus atq; temporibus, quibus ita prolapsa est iuuentus, ut omnium opibus refrenanda atq; coercenda sit. Vnde parentem tuũ, uirum clarissimum atq; integerrimum, LVDOVICVM MARDTORFIVM, Reipub. Francofurtẽsis patriciũ atq; senatorem uigilantissimum, deq; me atq; alijs bonarum artium & disciplinarum studiosis quàm optimè meritum, summis laudibus dignissimum esse censeo: quòd à primo statim lacte materno, te atq; alios fratres tuos, unà cum sororibus, & piè educare, & fideli etiam magistrorum curȩ, quàm primùm loqui cœperitis, committere soleat: ut scilicet animi uestri timore Dei
(qui

(qui initium est omnis sapientię) imbuantur, ac denique in pios, sapientes atque iustos homines euadatis. Quapropter non dubito, quin parenti quoq; tuo, cuius mentem ad literarũ studia, pietatis, honestatis atq; uirtutum amorem flagrantissimã esse noui, & qui me Basileę, Frãcofurti, Vuitebergę atq; Lipsię in studijs optimarum artium liberaliss. fouit, ac semper humanissimè complexus est, rẽ haud ingratã fecerim, quod tibi, mi suauissime Ludouice, hasce doctissimorum atq; opt. uirorum perquàm utiles, lectuq; dignissimas lucubrationes, de recta & legitima puerorum educatione atq; institutione, in unum quasi fasciculum conquisitas, atq; à D. Ioanne Oporino cõpatre meo carissimo, tuæq; familiæ studiosissimo excusas, gratitudinis atq; memoriæ ergò nuncuparim: è quibus, ueram non modò corporis, sed animi quoq; curam, cognoscere possis: quibus duabus tanquam principalissimis partibus homi

nem

nē constare uidemus. Neq; enim cor pus rectè curari, cū animus ægrotat, posse existimo: ut Plato etiam in Charmide, exemplo Zamolxidis comprobat: qui corpori morbis affecto, remedia accōmodare noluit, nisi prius animus ad temperantiam & reliquas uirtutes institutus fuisset. Hinc Plato in legum libris maximè in hoc uersatur, quod ad educationē atq; disciplinam puerorum attinet, ut tam animū quàm corpus uera disciplina cohonestent. Quin etiā matrimoniū ipsum ad hoc diuinitùs institutum est, ut liberi procreentur, procreati piè atq; fideliter à parentibus educentur, recteq; uel ab illis, uel (si rerumpublicarum atq; domesticarū negotijs forte distrahantur) ab idoneis saltē magistris erudiantur: id quod & Ciceronē, totius eloquentię parētem, fecisse legimus, qui Marcum filium suū Athenas misit, & Cratippo philosopho Peripatetico, tum temporis celeberrimo, erudiendum tradidit: & Philippum Ma-

cedonum regem potentiſsimũ ac pru dentiſsimum, qui filiũ ſuum Alexandrum, quem cariſs. habebat, Ariſtotelis acutiſs. philoſophi doctrinæ ſollicitè commiſit. Taceo aliorũ exempla, quorum plena eſt uetuſtas, plena etiã noſtra ætas. Cæterùm habes preterea, mi cariſs. Ludouice, in hiſce pulcherr. atq; opt. libellis, præter ſalutifera educationis atq; inſtitutionis puerorum documenta, plurimas etiã exhortationes ad eloquentiæ ſtudium, item literarũ aliarumq; rerum in uita neceſſariarũ atq; utilium, ad nobiliores diſciplinas capeſſendas, ad Chriſtianam uitam rectè & laudabiliter inſtituẽdam, ad puellarũ inſtitutionem, ad corrigẽda item ſtudia, & inſtaurandam ueram pietatem, quę tot annis à Sophiſtis ac turpiſs. ſycophantis mi ſere iacuit dilacerata: deniq; etiam parentum, nutricum, pręceptorũ, atq; aliorum officia ritè obeunda, ſaluberrima præcepta: quibus omnibus, ſi diligenti ac ſedula lectione ſingula perluſtraueris,

ſtraueris, & magnã uoluptatem, & utĩlitatem longè maiorẽ percipies. Accipe igitur mi cariſs. Ludouice, hos præclariſs. libellos, quos tibi amoris ac perpetuæ amicitiȩ ergò nuncupare uoluimus: hilari uultu, grataq́ mente. Quod ſi tibi atq́ parenti tuo, ſicut omnino ſpero, noſtrum ſtudium gratum fuiſſe cognouerimus, dabimus ſanè operam, ut & alia quædam (Deo adiuuante) breui tẽpore tuo nomini nũcupemus. Tanto nanq́ ſtudio te atq́ parentẽ tuum, uirũ tam pietate quàm uirtute eximiũ, cum omnibus ſuis cõplector, tamq́ ſyncero amore uos omnes proſequor, ut (modò ne ipſi recuſetis) omnẽ operã atq́ ſtudiũ meũ eò dirigere cupiã. Vale. Salutabis aũt meo nomine, ſummo cultu atq́ obſeruãtia colendũ parentẽ tuũ, Mœcenatem meũ liberaliſs. unà cũ matre honeſtiſs. atq́ opt. matrona, & omnib. tuis: quibus me officioſe etiã atq́ etiã cõmendo. Iterũ uale, Baſileȩ, ex collegio noſtro literario, Cal. Mart. 1556.

CATALOGVS EORVM QVÆ hoc libro continentur.

Insti-

Catalogus.

IOANNES LVDOVICVS VIVES CAROLO MONTIOIO GVILIELMI FILIO, S. D.



Q*VVM patri tuo clarißimo, & omni uirtutum genere ornatißimo uiro, ostendere cuperem quantum à me diligeretur, quòd ipse in me singulari semper beneuolentia fuerit: decreui aliquid ad te de initijs studiorum scribere, in quibus tota uis est & ratio deinceps eruditionis, ut in seminibus stirpium spes ac futura qualitas.* Dedi operam, *ne te præceptorum uel copia obruerem, uel difficultate deterrerem.* Omnia aptata sunt, *quoad præstari à nobis potuit, captui istius ætatis tuæ, aut paulò maioris,* Libellum *hunc quum tibi mitto, patri me tuo existimo mittere: cui uirtus & institutio tua non minus curæ sunt, quam sua sibi uita: qua tenerius te amabit, si talem te præstiteris, qualem ipse optat, probißimum uidelicet & doctißimum.* Est *in tua manu situm, ut utrumq; ingenio & diligentia consequare.* Vale, & *exemplum quod domi habes sapientißimi patris, imitare.* Londini, M. D. XXIII.

RELIGIO.

QVum sapientia & uirtus, et scientia omnis diuinitus contingant, æquum est, ut primus aditus ad hæc omnia sit per Deum. in quem decet esse te maxima pietate, et eius rebus interesse mente religiosissima, nec ullum opus eius quantumcunq; leue exequi segniter aut frigidè.

OPERA.

ET quatenus Deus non dat munera sua ociosis, ideo labore & diligentia in studijs literarum & uirtutis opus est.

MEMORIA.

MEmoriam scito thesaurum esse totius eruditionis: quæ si desit, non secus superuacaneus est omnis labor, quàm si in pertusum dolium aquam infundas. Sed nemini tam infelix contigit memoria, qui non eam fidelissimam possit reddere exercitatione. Nihil est enim quod magis opere & labore gaudeat, nihil quod facilius corrumpatur & intereat quiete ac ocio. Quocirca aliquid quotidie ediscendum est, etiam quũ non est necesse: tantum ne torpor in memoriam inuadat, quo nullus est illi morbus perniciosior. Continetur etiam memoria bona ualetudine, cauendumq; in primis à repletione, à cruditate, à crapula, à uino immodico, à densa ceruisia, à supino cubitu.

PRAE-

PRAECEPTOR.

PRaeceptor non minus amandus, uenerandus, colendus, quàm si esset pater. Nam reuera praeceptores imaginem quandam nobis referũt patrum: & à nullo maius accipere potes beneficium, quàm à quo fis eruditior, et melior. quibus duobus bonis nulla possunt in uita comparari. Adde quòd facilius disces, si amaris docentem, cuius dicta nunquam uel contempseris, uel neglexeris: semper cum dignatione in animum admitte, & oraculi cuiusdam uice habe: Nec solũ illũ ama, sed da operã, ut ab illo redamere, sic te ille diligentius docebit. Quod assequêris, parẽdo modestè eius praeceptis, obseruando eum, honorando, admirando quaecunque seu dixerit, seu fecerit. si quid probarit in uita, aut in sermone, sic age, ut sentiat te illud probasse: si quid improbarit, uita. Attentus illum audi: uerba eius, formulas dicendi, sententias annota: & immitatione te similẽ ipsius, quoad facere poteris, effinge. Quod Praeceptor quum uidebit, dabit uicißim operam, ne tu aliquid ex se poßis accipere, quod imitatione sit indignũ.

CONDISCIPVLI.

COndiscipulos fratrum loco habe: geniti enim estis ab eodem magistro, uelut patre: & coniuncti sacris literarum non minore uinculo, quàm sanguinis. idcirco illis non minus bene cupias, quàm fratribus. Si quis eorum est te doctior, ne oderis eum hac

causa: sed faue ingenio, & cōtende ut doctrina & uirtute sis par, etiā superes, quò similis tibi cōtingat fauor

CONTENTIO.

Cvm melioribus aut sapientioribus te ne certes inuidia aut maleuolentia, sed uirtute, probitate, studio. Imperitiores te ne despice, potius adiuua, & erige, ut queant ascendere. Neq; enim peior eris, aut imperitior, si alios habueris tibi pares: sed melior, si opera tua illi eò euaserint. Quòd si omnes fuerint imperiti, nemo erit qui agnoscat, ac proinde admiretur bona tua. Pulchrum est profectò certare cum bonis, pulcherrimum eos uincere, rectè quidem & per uirtutem, extra dolum omnem.

ANNOTATIONES.

Compones tibi librum chartæ uacuæ, iustæ magnitudinis: quem in certos locos, ac uelut nidos partieris. In uno eorum annotabis uocabula usus quotidiani, uelut animi, corporis, actionum nostrarum, ludorum, uestium, habitaculorum, ciborum: in altero uocabula rara, exquisita: in alio idiomata & formulas loquendi, uel quas pauci intelligunt; uel quibus crebro est utendum: in alio sententias, in alio festiuè, in alio argutè dicta: in alio prouerbia, in alio scriptorum difficiles locos, & quæ alia tibi aut institutori tuo uidebuntur. Sicq; hæc omnia habebis annotata, ne solus conscius sit liber. Tibi legenda, relegenda, memoriæ

mandanda

mandanda atq; infigenda sunt, ut non minus scripta gestes in pectore, quàm in libro: & occurrant, quoties erit opus. Parum enim prodest libros habere eruditos, si pectus habeas rude.

DILIGENTIA SCRIBENDI.

CVra ut manu sis ad scribendum exercitatissima, nec unquam ad audiendum institutorem accedas, penna & charta inermis: ne quod præteruolet uerbū elegans, aut rarum, aut necessarium, uel formula loquendi lepida aut exculta, uel graue & sapiens dictum: quod non subitò exceptum in tuos thesauros referas. Sic tibi breui tempore maximas eruditionis diuitias paraturus.

LECTIO.

NEc librum ullum legas, quin eadem excerpas, quæ de sermone præceptoris dixi. Nihil unquam legito animo peregrinante, & alijs rebus intento: totus in lectione esto. In qua tria sunt animaduertenda, uerba, formulæ loquendi, & sensa: ut diligenter consideres, quibus utantur uerbis ad res de quibus tractant explicandas, quibus idiomatibus, quibus loquendi formis. Tum res ipsæ sunt spectandæ, quid sibi uelint ea de quibus loquuntur. In singulis horum est quod signes, est quod teneas, est quod in usum tuum uertas. Adsit semper penna & charta: quæ miraberis, quæ te delectabunt, insigni aliqua notula: itidem &

quæ te remorabuntur, ut à magiſtro, uel etiam condiſcipulo ſciſcitere.

INTERROGATIO.

NEc pudeat rogare, quæ neſcis: neq; enim hoc eſt turpe, ſed ignoratio turpis eſt. Nec uelis perſuadere alijs, te ſcire, quod ignoras, teipſum falles, non alios: & deprehenſus in ignorantia, rideberis.

EMENDATIO.

QVæ reprehenſa aut emendata, non ſolum in te, ſed in alijs eſſe uideris, cura ne excidant, tum ne ipſe bis de eadem re ſis corrigendus, tum ut aliena errata in utilitatem tuam uertas. Sapiens enim ex alienis erratis uitam emendat ſuam.

SERMO.

VT audieris doctos loquentes, aut legeris apud ſcriptores Latinos, ſic ipſe loquere. Verba quæ habetis ſuſpecta, ſiue loquendo, ſiue ſcribendo fugito, ni prius ſciſcitatus ſis ab inſtitutore, quàm ſint Latina. Cum ijs qui imperitè loquuntur Latinè, quorum ſermo poteſt tuum corrumpere, malis Britannicè, aut alia quauis loqui lingua, in qua non ſit idem periculi. Verſare libens cum prudenter facundis. Nullum eſt oblectamentum maius, quàm eos audire, qui geſtant in lingua morbis omnibus animi præſentanea medicamenta.

STY-

STYLVS.

EXercendus est crebrò stylus, optimus magister atq; effector dicendi, & initio quidem non solum uocabulis utaris ex autoribus sumptis, sed etiam sententiolis ex illis decerptis, aptè tamen compositis, ut magna ex parte alienum sit scriptum. Sensim admiscebis tua, donec crescente cum ætate eruditione fias omnino tuus. Primum scribes pauca & accuratè, ut spectes potius non quàm multa, sed quàm bona. Nã accedente usu, curam retinebis, & promptitudo ac facilitas exercitatione parabitur. ita simul & optimè scribes, & facillimè.

AVTORES.

INterea dum tu per ætatem iudicare de autoribus nõ potes, hos tibi censeo & ad locupletandam linguã, & ad uariarum rerum cognitionem in primis tenendos. Ad sermonem quotidianum plurimum conferet Terentius, quo multum Cicero utebatur, & cuius fabulas propter lepôrem & festiuitatem orationis, scriptas à nobilißimo Romano fuisse multi crediderunt. Ciceronis quoq; epistolæ familiares, sed in primis ad Atticum, multum erudire sermonis usum possunt. Nam in illis est sermo ille purus & simplex, quo Cicero cum uxore, cum liberis, cum seruis, cũ amicis, in triclinio, in balneo, in lecto, in hortis utebatur. Sunt & familiaria colloquia ab ERASMO conscripta

quæ non modò utilitatem, sed uoluptatem quoq; habent haud sanè exiguam, ut est uir ille exculto & urbano ingenio. Epistolæ Plinij iunioris plurimas suppeditare sententias possunt, cuiuscunq; generis epistolas scripturus quis sit, quæ propemodum compositæ in hoc uidentur ab autore. Nam ut res gestas paucas admodum narrant, quod Cicero fecit, delitias tantum sententiarum continent, ac uelut gemmulas, quibus epistolæ ornari poßint. Eodem ferè spectant epistolæ Politiani, nisi quòd interdum nimia cura factæ sunt paulo duriores, dum scriptor dat operam, ne nihil sit non expolitißimum, nec uult ullum bonum uerbum perdere: quæ anxietas non magnopere epistolarem dictionem decet. Sunt epistolæ Philelphi, quæ plus habent uerborum quàm gratiæ, & Calentij lusus. Si cui uacat Sidonium Apollinarem legere, eidem legantur & Apulei Asinus, & Florida

HISTORIAE.

Historiæ quoq; instruere possunt linguam, ut Liuij, & Suetonij, in quo mirabilis est dicendi proprietas, astricta illa, & que plus habeat neruorum quã corporis. Cornelio Tacito non parum adiuuaremur, si integer ad nos & emendatus peruenisset: sed qualiscunq; est, prodest multum. In Cæsaris commentarijs ostenditur castitas illa sermonis Latini, qui erat in prisca Romana nobilitate, nihil fingi potest tersius, expolitius,

politius, elimatius. Et hij quoq; accuratè cognoscendi, magnopere linguam locupletabunt. Sallustius, rerum Romanarum florentißimus scriptor, ut inquit Tacitus, frequens est in manibus puerorum: sed mihi aptior uidetur prouectioribus.

SCRIPTORES AGRICOLATIONVM.

CAto, Varro, Columella, Palladius, Plinius, uariarum rerum suggerunt uocabula: qui diligenter legendi sunt, & uerba cum rebus conferenda, ne quid pro diuerso usurpemus. Plinius tam uarius est, quàm ipsa rerum natura quam tractat. Magnæ illic uerborum diuitiæ, magnæ rerum.

POETAE.

POëtæ sunt quoq; attingendi, partim animi gratia: nam leuant sæpenumero tædiũ negociorum, sæpe etiam lectionis solutæ orationis. Et illa alternatio carminis prosæq;, diutius intentionem animi in studijs detinet. Ad hoc scatent reconditis uocabulis, & figuris omnis generis, quibus etiam cõmunis sermo plenus est. Sunt in inuentione sublimes, festiui, acuti, acres, graues, faciles: in uerbis, suaues, lepidi, rapiunt in affectus omnes, prout cuiusq; est argumentum. Vergilius ponitur primus meritò, mea sententia, propter grauitatem & sententias. Huic Horatius adiungitur, carmine excultus, uerbis proprius, & sapienter præ-

 cipiens.

cipiens. Silius multum habet diligentiæ. Ex Latinis *tragicis solus ad nostram ætatem peruenit Seneca. Sed omnes & uerborum maiestate, & argumentorum uiribus, & sententiarum pondere ac numero, uincit meo quidem iudicio Lucanus.* Legendi & *poëtæ nostræ pietatis, Prudentius, Prosper, Paulinus, Sedulius, Iuuencus, & Arator: qui quum habeant res altißimas, & humano generi salutareis, non omnino sunt in uerbis rudes, aut contemnendi.* Multa *habent, quibus elegantia & uenustate carminis certent cum antiquis: nonnulla, quibus etiam eos uincant.*

GRAMMATICI.

IN *his omnibus autoribus animaduertes, quemadmodum formulæ grammaticæ seruentur, quemadmodum negligantur.* Nam *in multis uarius & multiformis usus in normas & præcepta concludi non potuit: sequendus tamen potius quàm ars, quæ est usu constituta, non è contrario.* Neque *uerò despicienda est idcirco ars, modò ne sit superstitiose anxia, formulis enim est hoc tempore opus, quum populum non habemus, & eruenda sunt ex scriptoribus omnia. Alioqui eum non succurret ex his loquendi ratio, ut solœcissemus necesse erit, etiam ut maximè succurrat. nam alia dicenda sunt, & alijs de rebus.* Quid *quòd ne tunc quidem canonibus caruerunt, quum esset in Latio & Græca, eadem populi totius, quæ eruditorum, lingua?*

lingua? Scripsere autem complures, sed unus, aut ad summum alter eligendus, Perottus aut Aldus, Nebrissensis, Mancinellus, Sulpitius, Niniuita. Versandus diligenter Valla in elegantijs, immodicè ille quidem superstitiosus, sed ad reddendos cautiores aptißimus.

INTERPRETES.

EGet ista tua ætas, etiam adultior, interpretibus autoribus. Nam multa sunt in scriptoribus difficilia, quæ tu uix tandem molestißimo labore assequêris. illi rem totam explanant magno compendio temporis & operæ, maioreq; utilitate & auctu eruditionis. In quo numero sunt Seruius in Vergilium, Donatus in Terentiũ, Acron & Porphyrion in Horatium. Vocabularia eodem loco haberi possunt, quæ uelim tibi semper, dum studes, præsto esse, ut illa subinde consulas, si quid dubitas. Magna partis huius laboramus in latinis literis inopia. nam eruditißimi illi, Varro, Festus, Marcellus, & difficiliores sunt, quàm ut à mediocriter doctis intelligantur: & non omnia tradunt, quibus est nobis opus. Quæ uerò terunt omnes, Cornucopiæ Perotti, & opus Calepini, nec satis copiosa sunt, & docta parũ: nec quibus tutò fidatur. Præstitit quod potuit Perottus, nec omnino contemnendũ quod reliquit. Calepinus uerò accesßit ad alios docendos, quum ipse potius egeret doctore. Sed interea utẽdũ erit istis,

donec existat aliquis, qui hanc literarum partem fe=licius orbi tradat. Legendi sunt ipsi tibi per te au=tores, nec expectandum, dum omnia præceptor ex=planauerit: alioqui nihil unquam intelliges sine præ=legente. Ita quando parabitur copiosa illa rerum & uerborum supellex, quærenda ex plurimis uaria=rum rerum scriptoribus: ex intelligentia unius aut al=terius autoris, quem institutor enarrarit, adhibito non segni & inerti studio, multi sunt alij cognoscendi. Ver=ba eadem sunt in omnibus, & loquendi formulæ, qui=bus rerum intellectus contegitur: ut nullus sit liber, qui probè intellectus non sit ad alios complures intel=ligendos magister, adhibeatur modò iudicium, & au=dita præsentibus conferantur.

GRAECAE LITERAE, PROLA=TIO SONORVM.

GRæcas literas Quintilianus simul disci cum La=tinis posse putat. Primùm soni literarum dili=genter animaduertendi sunt, & quantum fieri pote=rit, integrè ac perfectè exprimendi. non enim maior labor est bene addiscere prima, quàm malè: quũ sit tan to fructus uberior. Obseruabis quemadmodum periti proferant, & eos imitabere. Necesse est enim aut par, aut certè non absimilis illorum euadas, ad quorum te emplar componis. In usum rectè proferendi conscriptæ sunt à Hieronymo Alexandro tabellæ eruditæ. Ca=

uendum

uendum tamen ne sic assuescas Græcæ pronunciationi, ut Latina illo more proferas, neu accentuum rationes confundas, qui sunt in illis linguis diuersi. Græcus ferè ultimam spectat syllabam, Latinus penultimam.

INFLEXIONES.

TVm *ad inflexiones nominum & uerborum uenietur, quas memoriæ penitus infiges, ne illarum ignoratio cogat te in altioribus hærere ac resistere. Habes Theodori Gazæ duos primos libros, qui ea de re magno compendio præcipiunt. Dehinc accentuum & orthographiæ formulas, quæ in plerisq; coniunctæ sunt, percipies collectas ex tertio Theodori Gazæ. Ne totum illud uolumen legendum habeas molestum, & frugis multis in locis exiguæ, sufficient in hoc tempus, quæ sunt illinc ab Oecolampadio decerpta.*

EXERCITATIO LECTIONIS AVTORVM.

HIc *iam proderit uocabulorum gratia scriptores aliquot prælegente institutore tuo audire, eosq; maximè faciles & apertos: cuiusmodi sunt dialogi aliquot Luciani, præsertim ij, qui res candidas non nigrant: & oratiunculæ Isocratis, Platonis epistolæ, & Aesopi fabellæ. In quibus animaduertes, primum quibus uerbis utantur ad exprimendam rem, tum quomodo inflectant.*

SYNTAXIS.

Simplicia uocabula in sermonem coniugenda sunt. De constructione plura sunt à Latinis scripta quã à Græcis. Gaza in quarto libro difficillimè præcipit atq; obscurißimè, secutus Apollonium, & ipsum in primis tenebricosum. Lascaris conatus est reducere uerba Græca ad quinq; illa genera & formulas uerborum latinorum, prolixè & parum aptè. Præstabit ex autorum lectione formulas loquendi Græcas obseruare, & quemadmodum idiomata sermonum Græci & Latini inter se differant.

LECTIO.

Initio censeo legendos oratores, Isocratem, Demosthenem, Lysiam, Aeschinem, Aristidem, & partem Luciani. Hinc philosophos, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Theophrastum. Tum ferreos, Thucydidem ac Plutarchum, si quos prius Latinè cognoueras, hos primo etiam leges, quo promptior sit uerborum ex sententia intellectus. Poëtas priusquam attingas, leges de dialecticis Græcis Apollonium, aut Ioannem Grammaticum. Tum facilimi, & maximè Attici initio uersandi: qualis est Aristophanes. pòst Homerus, fons reliquorũ. tũ Euripides & Sophocles. Aderit lexicon, Suidas, aut Hesychius. Sed & Græcolatinum expediet habere, quo apertius interdum fiat, quod Græcè ab illis explicatum non satis intelliges.

INTER-

INTERPRETATIONES.


Confères Græca cum interpretationibus latinis, initio si qua sunt ad uerbum uersa: ut, Fabellæ Aesopi, Tabula Cebetis, et ferè Dialogi Luciani, quos ERASMVS transtulit. Hinc iam illi inspiciendi, qui uerbis sunt usi arbitratu suo, sententia autori seruata quem interpretabantur: uelut Thucydides & Herodotus, quos fecit Latinos Laurentius Valla. Sed ante alios omnes, Herodianus Politiani, & aliquot Plutarchi opuscula à Budæo uersa. Hermolaus in transferendo Themistio, calore iuuenili, & sui ostentandi cupiditate, longißimè abreptus est. Princeps interpretũ consensu omnium est Theodorus Gaza, in libris de animalibus, & problematis Aristotelis, & de stirpibus Theophrasti: siue candore interpretationis, siue copia latina, qua certauit cum Græca: siue felici audacia, fingendis ad analogiam uocabulis, quibus carebant Latini, ut commodius græca redderet.

FRVCTVS GRAECITATIS.

Nacto peritiam Græcæ linguæ, patent fontes omnium disciplinarum, quæ à Græcis manarunt. Adest & cognitio maximorum ingeniorum, quorum fuit semper Græcia feracißima: tum copia Latini sermonis instructior, quia schemata figurasq; dicendi, & colores argumentorũ illinc petierunt Latini homines:

& quia quum uocabulum latinum ad rem notandam non est ad manum, ex Græco licet mutuari, agro copiosissimo. Quin & Latini scriptores post Ciceronis tempora, ita uel studiosi fuerunt Græcæ linguæ, uel ostentatores, ut maximam partem idiomatum illius in latinam transfuderint.

Habes mi Carole Montioi, quibus rebus adiuuari posse rudimenta studiorum tuorum existimem: tu annitere, ut breui tempore ipse tibi magnus sis monitor, & ex primo illo bonorum genere, per sese qui omnia norunt.



IOANNES LVDOVICVS VIVES DOMINAE CATHARINAE REGINAE, ANGLIAE, PATRONAE VNICAE, S.



IVSSISTI, ut breuē aliquā rationem conscriberem, qua in Maria filia tua instituēdi præceptor eius uti posset. Parui libens tibi, cui in rebus multo maioribus obsequi uellem, si possem. Et quoniam institutorem illi, doctum in primis hominem ac probū, ut par erat, delegisti, res uelut digito indicasse fui contentus, ille reliqua explicabit: quæ tamen aut obscure

obscurè tradita, aut prætermissa ab scriptoribus artis grammaticæ putaui, ea paulò pluribus consignaui uerbis. CHRISTVM precor, ut hæc docendi ratio & ad eruditionem, & ad uirtutem filiam tuam impense iuuet. Vale, & hunc meum animum addictiss. Maiestati tuæ scito. Oxoniæ, Non. Octob. M. D. XXIII.

LECTIO.

Literarum sonos doceatur planè, disertè, & exactè proferre: neq; enim parum ad insequentem institutionem interest, quomodo didicerit elementa & syllabas pronunciare. Sciat ex literis, alias esse uocales, alias consonantes: quot sint illæ, quot istæ, & cur sic dictæ. Esse ex consonantibus alias mutas, quæ à se incipiunt, & finiunt in uocali, ut, b, c, d. Sic uocantur, quòd quum fieri incipiant, nisi succurrat uocalis, obmutescunt. Alias semiuocales dici: ex ijs quasdam liquidas, ut, l, m, n, r. Tum duas ex uocalibus, i & u, transire in consonantes, quum post eas sequitur uocalis, cui in sono iunguntur: ut uiuo, conijcio, uinum, uulpes. In Græcis dictionibus nunquam ἰῶτα fit consonans, ideo nec Iacobus, nec Ioannes consonantem i habent. u consonans, apud eos est βῆτα. uocalis u, est ου diphthongus. quocirca assuescat scribere v uocalem hac forma, propter græcum υ, quod sæpenumero ad Latinos in u transit, ut Sylla, Sulla: Tybur, Tubur, & consonantem hanc u propter βῆτα Græcum.

Syllaba dicitur quasi comprehensio literarum, sed ex sola uocali potest fieri syllaba, ut Maria, Iesus. Tum discat syllabam constare aut ex uocali sola, aut ex uocali & consonante, aut ex uocali & consonantibus: sine uocali nunquam fit syllaba, & quot sunt uocales, totidem syllabæ. Ex uocalibus fieri diphthongos quatuor: duas scribi & proferri, duas scribi & non proferri: nisi quòd paulò craßior est sonus, quàm si esset uocalis simplex.

Eadem in literis Græcis ostendenda, ut emendatè sciat in utraq; lingua legere. Infigenda hæc sunt, & inculcanda, ut rectè literas & syllabas proferat, nec ullum insit in ore uitium.

PARTES ORATIONIS.

DEinde sciet esse apud Latinos octo partes orationis, quatuor uariabiles, & quatuor inuariabiles. Ex uariabilibus, quæ significant aliquid fieri, & inflectuntur per modos & tempora, dicuntur Verba: quæ declinantur per casus, & significant aliquid fieri in tempore, dicuntur Participia. Certa quindecim sunt Pronomina, reliqua nomina. Ex inuariabilibus certas quinquaginta esse Præpositiones: eas uerò quæ coniungunt partes orationis, uocari Coniunctiones: coniunctiones olim esse nonnullas subitum mentis affectum significantes, quæ uocantur Interiectiones: reliquas Aduerbia nominari. Hæc sint à nobis crasse ac

ruditer utcunq; ostensa, sicut & alia in hoc libello omnia, magis ut intelligantur, quàm ut exactè à nobis tradantur.

SCRIPTIO.

INter hæc omnia det aliquid temporis formandis literis, non tam eleganter quàm uelociter, ut si quid præceptor dictet, ipsa suis scribat digitis. Si quem autorem legat, & uel uerbum, uel sententia placeat, excerpat. Magis hærent memoriæ, quæ nosipsi scripsimus, quàm quæ alij. Interim etiam dum scribimus, animus à cogitatione rerum siue leuium, siue turpium auocatur. Versus qui ad imitationem proponuntur, contineant grauem aliquam sententiolam, quam iuuet edidicisse: nam toties rescribendo, necesse est retineatur. Dabitur opera, ut initio saltem imitando castigatè scribat.


MEMORIA.

MEmoriam quotidie exerceat, ut nullus sit dies, in quo ipsa aliquid non ediscat. Sic & acuetur ingenium, & facillimam sibi ac promptissimam parabit memoriam, ut postea quæcunque libuerit, nullo retineat negocio, & firmissimè: durantq; in reliquam uitam, quæ ista ætate percipiuntur. Initio poterit de nocte cubitum itura, attentè bis aut ter relegere, quæ memoriæ mandari uolet, & postridie mane à se reposcere.

INFLEXIO NOMINVM.

INcipiet nomina inflectere, & discet esse sex nominum genera. Masculinum, quod signatur hac uoce, hic. Fœmininum, quod ista, hæc. Neutrũ, quod, hoc. Cõmune, quod, hic & hæc. Omne, quod hic, hæc, hoc, aut per tres uoces. Dubium, quod signatur per ista duo, hic uel hæc, id est, quod si uolumus, potest esse masculinum: & si uolumus, fœmininum, ut margo, cortex: dicimus enim amarus cortex, & amara cortex. Et inter commune & dubium hæc est differentia, quòd quũ omne genus pertineat ad adiectiua, cõmuni quũ additur adiectiuum, respiciendum est de quo sexu loqueris, & sic addi genus adiectiui: quod postquam addidisti, non potes mutare de eodem loquens. In ambiguo uerò liberum est, utruncunq; genus adiectiui libuerit addere, & postquam addideris, de eodem loquens potes mutare: ut si dicas, Albus canis, de mare bene dicis, de fœmina non bene: & quũ dixisti de mare, albus canis, de eodem non licebit dicere, alba canis. At de quacũq; cortice loquaris, dices ut uoles, albus cortex, siue alba cortex: & postquam illud dixeris, de eadem loquens cortice, dices, alba cortex. Promiscuum, quod Græci epicœnum, non est genus: nam hic de natura rerum non loquimur, sed de qualitate uocum. Substantiua siue substantialia, siue appellatiua nomina dicuntur omnia, præter illa quæ sunt omnis generis: hæc uerò di-

cuntur epithetha, siue adiectiua. Illud annotabit, propter sola adiectiua, reperta esse in substantiuis genera: nam si adiectiua non essent, nihil esset opus generibus, ut cum dicimus, reuereor patrem, ne lædas hominem, exclude canem: non refert cuius sit generis: si sit addendum adiectiuum, tunc considerandum est cuius generis. Post hæc tradentur numeri duo, nam dualem Græcorum non recipimus Latini, nec magnopere obseruant Græci. Tum casus seni in utroque numero: additur septimus, cuius meminit Quintilianus, & post eum Seruius, ut, Precibus Deum placo. Vocatiuus semper similis est nominatiuo, præterquam in quibusdam nominibus primæ declinationis, & secundæ. Nomina neutra habent accusatiuum & uocatiuum similes nominatiuo, & in plurali hi tres casus finiuntur in a. Nomina composita sic declinantur, ut sua simplicia. Hinc explicādæ declinationes quinq;, quomodo prima cognoscatur ex genitiuo singulari, uel plurali, & quot habeat finitiones in nominatiuo, & quemadmodum omnia nomina huius declinationis finita in as uel in es, sint Græca, hic inflectet nomina huius declinationis. Secūda quomodo cognoscitur, et quot habet fines. Tertia itidē, in qua sunt undecim fines, a, e, o, c, d, l, n, r, s, t, x. Hinc sequūtur quarta et quinta. Post hæc incipiet discere cōgruētiā adiectiui et substātiui in numero, genere, & casu: in qua exerceatur aliquandiu, multis exēplis propositis.



DE VERBIS.

IAm ad uerba ueniendum, in quibus duo sunt noscenda: naturæ uerborum, & syntaxes siue constructiones. Quinq; sunt modi in uerbo, Indicatiuus, & quasi narratiuus, per quem referimus aliquid: in quo sunt quinq; tempora præsens, tria præterita, & futurum. Inter præterita hoc est discrimen, quod perfectum significat rem actam, sicut nomen ipsum sonat: Imperfectum significat rem nondum fuisse perfectam, aut transactam eo tempore, de quo loquimur: Plusquamperfectum significat rem perfecta, ante aliam factam, ut, Veni ad te hora decima, tunc è lecto surgebas, & mater tua iam fecerat rem sacram. Ita præteritum imperfectum & plusquamperfectum ad aliquid aliud referuntur, cuius ratione aut imperfectam rem, aut plusquamperfectam denotant. Addunt nonnulli futurum perfectum, quod subiunctiui esse dicitur, id propterea perfectum nominatur. Nam si dicas, quum cœnabo, significas inter cœnandum: sin uerò, quum cœnauero, id est, perfecta cœna. Imperatiuus modus, quòd per illum imperamus, sed & precamur hoc, & adhortamur. Duo dederunt huic tempora, præsens & futurum. Additur & futurum subiunctiui huic modo, ut dixeris, feceris: præcipuè cum negatione, ne dixeris, ne feceris: & negatione ne, aut neq;, nunquam, non. Optatiuus per quem optamus, huic placet esse quinq;

tempora,

tempora, præsens & præteritum imperfectum, utinam discerem: præteritum perfectum, utinam didicerim: præteritum plusquamperfectum, utinam didicissem: futurum, utinam discam. Subiunctiuus, quia subiungit aliam orationem, ut, Quum benefeceris, lætare. Quinque sunt huic tempora, & solent ea interdum capi pro temporibus indicatiui. Dehinc Infinitiuus cur dicatur, & quot habeat tempora. Addidit Thomas Linacer modum Potentatiuum, idq; meritò & doctè: hunc trades, quum paulò plus in literis promoueris. Exercenda est in modis, & temporibus diligentißimè, addita uoci latinæ uoce Britannica, quæ illi respondet, & usus ostendendus: nam Britanni ex proprietate uernaculæ linguæ, nonnunquam in temporibus peccant. Hæc ubi erunt cognita, sciat numeros esse in Verbo geminos, personas ternas. Interea inflectit uerba per quatuor coniugationes: simul discet, quibus hæ coniugationes inter se notis distinguantur. Habebitq; generalia quædam de illis præcepta, quæ spectent ad præterita & supina, ut in prima declinatione præteritum terminari in aui, supinum in atum: in secunda in uim uocales, & supinum in tum uariè. In tertia nonnulla præterita & supina exempli causa adferentur: nã res est multiceps. In quarta præteritum in ui syllabam, & supinum in itum, quæ excipiantur ab ijs canonibus, procedẽte tempore paulatim

cognoscet. Dehinc quæ tempora ex quibus manant, & quemadmodum formentur.

SYNTAXIS.

Tum ueniendum erit ad eam, quæ Græcis dicitur syntaxis, Latine constructio. Primum intelligat, orationem nullam posse constare sine uerbo. Nec uerbum posse poni sine supposito, uel expresso, uel subintellecto, ut in prima persona & secunda. Suppositum hoc & uerbum, quomodo debeant congruere, ne uitium admittatur. His cognitis, uenietur ad quinq; uerborũ genera, Actiuum, quod finitur in o, & habet paßiuum in or. Huic datur nominatiuus in re agente, & hæc est suppositum: datur accusatiuus in re patiente, seu recipiente actum uerbi, ut, Maria amat matrem suam. Sunt ex his uerbis alia, quæ præter istos casus admittunt genitiuum, ut Deus accusat genus humanũ ingratitudinis: &, Superbus postulat superbum arrogantiæ. Alia datiuum ut, Suade optima etiam inimicis, Da egenis necessaria. Alia accusatiuum, ut, Ne doceas philomelas cantum, Roga deum bonam mentem. Alia ablatiuum sine præpositione, ut, Exue pauonem plumis, quibus ornes canem. Alia ablatiuum cum præpositionibus à uel ab, uel è, uel ex, uel de, ut, Audi iucundam fabellam à patre, ex patre, de patre. Istæ possunt dici formæ, siue species uerborum actiuorum. Et casus isti præter nominatiuum & accusatiuum rei agentis & pa-

& patientis, dicantur casus speciales. Paßiuum uerbum est, quod ex actiuo fit, addita r, ut amor ab amo in re patienti, seu quæ fit. Habet nominatiuum, & hoc est suppositum: in re agenti ablatiuum, cum præpositione à uel ab, uel datiuum. Interdum accusatiuum cũ præpositione per. Casus speciales eodem modo manent in actiua & paßiua, ut, Maria amatur à matre, & ornatur ab ea uirtutibus. Neutrum est, quod finitur in o, & non habet paßiuum in or, nisi in tertijs personis: quandoq; nominatiuum habent pro supposito.

Ex istis alia habent genitiuum post se, uel ablatiuũ sine præpositione, ut, Bonus homo iracundia caret, & indiget Dei solius. Alia datiuum, ut, Maria inseruit matri: &, Sapiens tempori paret. Alia cum præpositione iunguntur, quæ nominantur absoluta, ut, Cœnata deambulo in porticu, Pulcher animus habitat in pulchro corpore. Alia habent ablatiuum sine præpositione, ut, Ardeo amore recti, Malus flagrat cupidine uindictæ. Alia ablatiuum cum præpositione, ut uerba paßiua, & significant paßionem, ut, Desides pueri meritò uapulant à præceptore. Sed multa habent accusatiuum significantem rem uerbi, ut, Seruio seruitutem, Curro cursum, Viuo uitam, Sum, es, est, ponitur inter neutra, quod ante se habet nominatiuum, post se interdum nominatiuum, quum res pertinent ad idem, ut, Virtus est maximum bonũ: & genitiuum, ut, Liber

hic est Mariæ: & datiuum, ut, Eruditio est omnibus magnæ uoluptati: & ablatiuum, ut, Sis puella probo ingenio. Adduntur composita huius uerbi undecim, adsum, absum &c. quæ post se recipiunt datiuum, Adsum uirtuti, desum uitio. Commune uerbum finitur in or sine actiuo in o, & retinet significationem actiuam & paßiuam. Quum capitur in significatione actiua, habet constructionem uerborum actiuorum: quum in paßiua, uerborum paßiuorum: ut, Ego ueneror probitatem, Probitas ueneratur à me, quod tamen est rarius, & sunt hæc perpauca. Deponens finitur in or sine actiuo in o, & alteram significationem retinet, actiuam in pluribus. Hæc uerba pro supposito, quemadmodum & cætera, nominatiuum habent: post se uerò alia genitiuum, ut, Miserere communis naturæ, Recordare accepti beneficij. Alia datiuum, ut, Dominare cupiditatibus. Obsequere bene monentibus. Alia accusatiuum, ut, Sequere Deum, & nancisceris beatitudinem. Alia ablatiuum sine præpositione, ut, Vtor, non fruor pecunia. Alia cum præpositione, quæ paßionem significant, ut, Ex paucis uerbis magnum bellum oritur. Habebit formulam, omnia uerba recipere datiuum, in re cuius designatur utilitas, uel commodum, uel damnum, ut Cato docebat sibi suum filium, perdo tibi tuam pecuniam. Sæpe ex proprietate latini sermonis, quam facilius est intelligere, quàm explicare:

ut,

ut, Ego tibi hunc hominem bellißimè tractaui. Tum & nominatiuum habet post se, quum pertinet ad idem quod suppositum, ut, Ego disco libens literas, inseruio tibi lætus, tu uocaris Maria, tu diceris, prædicaris, scriberis, putaris, haberis bonus: recta conscientia uiuit semper læta, expeditus currit celerior. Istorū omnium satis erit in singulis speciebus unum aut alterum, ad summum tria exempla proponere. Inter loquendum uerò aut legendū annotari poterit, quæ uerba ad quas species pertineant. Sic fiet in uerbis impersonalibus, & in alijs quæ dicemus. Danda est opera, ut exempla sint interdum grauia, quæ sanctè illam erudiant: interdum festiua, quæ delectent. Admiscebuntur castæ & puræ aliquæ fabellæ, quæ animum eius reficiant, & redintegrent, tum etiam excitent:

PARTICIPIA.

DEinde sequuntur Participiā, quæ Latini habent trium temporum, & unde formantur. Hæc explicabuntur, & quæ significant actionem, quæ paßionem. Ante se nullum habent casum, post se uerò casum sui uerbi, ut, Inseruiens foro, dilectus à patre, cariturus uitio, docendus à bono magistro.

VERBALIA.

SVnt quædam uoces, quæ habent participiorum faciem, & sunt nomina, quæ tempus non denotant, ut amans librorum, homo uenerandus: Verbalia nominantur. Sunt & uerbalia in or, quæ formantur

ab ultimo supino, ut amator, suasor: & alia fœminina in trix, quæ fiunt à uerbalibus in tor, ut amatrix, genitiuo iungũtur. Sciet, quæ participia quibus uerbis uel adsunt uel desunt: & uerba, quæ formulas generales in inflexione sequuntur, quæ non. Illa etiam quæ Anomala dicuntur, uel defectu, ut aio, inquio, salue, uale: uel uaria declinatione, ut fero, tuli. Postea, quæ multiplicẽ habẽt constructionẽ, id est, quæ uarijs iungi possunt casibus ut recordor hãc rem, & illius rei: postulo te huius criminis, & de hoc crimine: qua de re scripsit libellum Antonius Mancinellus, quem Thesaurum appellauit. Hæc quũ erunt semel utcunq; exposita, neq; enim tradi exactè necesse est, adhibebitur compendiũ grammaticæ Thomæ Linacri, & Libellus de constructione, qui circũfertur Erasmi nomine: simul & eiusdem Colloquia, ex quibus retinebit aliquot uocabula & loquendi formulas, quibus in sermone quotidiano utetur: quas subinde expediet ab ea reposcere, ne excidant, & iubebitur alios sic alloqui. Expediet conscribi illi dialogos aliquot ijs de rebus, in quibus quotidie uersatur, ut illis latinè nominandis assuescat: uelut de indumentis, de partibus ædium, de cibis, de partibus temporis,, de instrumentis musicis, de supellectile. Vocabulorum ueræ & propriæ significantiæ explanabuntur, ne impropriè utatur. Tum differentiæ, inter illa quæ similia uidentur: et congruentiæ, inter ea quæ dissimilia.

dißimilia. In hoc proderit non totum Vallam enarrare, sed quædam ab illo excerpta, qualia Nebrissensis collegit, & Antonius Mancinellus. Sed acri opus est iudicio, ne friuolas, aut parum obseruatas, aut falsas quoq; præceptor tradat: cuiusmodi sunt haud sanè paucæ in Valla, Nonio, Seruio, Donato, sed maximè in Gellio. Etymologias quoq; multorum, cur dicta sint, accipiet. Sic enim uerius & certius tum intelliget, tũ continebit, & ea cognitione delectabitur, multumq; in his latet peritiæ, modo rectè & acutè expendantur, nec undecũq; friuolæ aut ridiculæ petantur: quod fecerunt patrum & auorum memoria, qui hanc partẽ tractandam susceperant, Latini & Græci sermonis penitus ignari. Annotabuntur ei quæ usu in eruditorũ barbara uocabula usurpantur, & quæ sunt quidem latina, sed inuersæ significationis.

EXERCITATIO LATINE SCRIBENDI.

INcipiet hoc loco oratiunculas ex Anglico in latinum uertere, faciles initio, paulatim difficiliores, per omnia genera & formulas uerborum: sed partim graues & sanctas, partim festiuas & urbanas. Simul cum his discet Catonis disticha, & mimos Publianos, & sententias septem sapientum, quæ omnia eodem libello ERASMVS coniunxit & explicauit. Ediscet ex illis sententiolis aliquot uitæ maximè utiles, quas habeat in po-

in posterum, uelut antidota aduersus uenenum, et prosperæ fortunæ, & iniquæ. Discatq; iam nunc in hac tenera ætate ueras & incorruptas opiniones, ut ea sola bona putet, quæ uerè sunt talia, uelut uirtutes & eruditionem: ea mala, quæ re uera mala, ut uitia & ignorantiam, et stultitiam: ne mala pro bonis accipiat, aut è contrario: ne tenuibus & exiguis rebus tanquã magnis capiatur & moueatur, ne etiã magna & preciosa tanquã uilia cõtemnat. Delectabitur interim fabellis, quæ uitã erudiant, quas ipsa alijs referre poßit, ut de papyrio Prætextato puero apud Gelliũ, de Iosepho in sacris libris, de Lucretia in Liuio, de Griselide, & alijs, ut ex Valerio, Sabellico, & huius notæ scriptoribus, quæ pertinebunt ad aliquam cõmendationem uirtutis, aut detestationem uitij. Habeat Dictionariũ Latinum & Anglicum, quod sæpe consulat, ut sciat, quid quodq; uocabulũ significet. Res quũ non intelliget, explicabuntur à præceptore, Turpiũ & fœdarum rerum uocabula nec intelligat, nec, si fieri poßit, legat, uel audiat. Conficiat sibi libellum ex uacua charta, in quo sua manu conscribat sententiolas, quas memoriæ mandatura est, eritq; ei uice cuiusdam enchiridij.

REDITVS AD PRIORA EXACTIOR.

Poterit hoc loco repetere, quæ de quinq; uerborũ generibus dicta sunt. Pòst ad uerba quæ dicuntur imper-

impersonalia, quorum alia sunt actiuæ uocis, alia passiuæ. Actiuæ uocis cur dicantur, & eorum esse species quinq; : aliorum quæ ante se habent genitiuum post se infinitiuum, ut, Interest huius parasiti adulari. Quæ datiuum, & post infinitiuum, ut, Stulto non placet audiri uerum. Quæ possunt esse personalia, mutata constructione, ut, Tu proba placebis matri. Alia quæ ante se accusatiuum post infinitiuum, ut, Decet nobilem non superbire. Alia quæ ante se accusatiuum, post genitiuum, uel infinitiuum, ut, Pœniteat te peccati, aut peccasse. Alia quæ quum adduntur uerbis impersonalibus, sunt impersonalia & habent constructionem eorum: cum uerò personalibus, sunt personalia, ut, Incipit me tædere ludi huius: &, Ne incipias senex insanire: Non potest Athenienses pœnitere Phocionis, qui unus poterat, & solebat, stultas illorum consultationes improbare.

Verba impersonalia passiuæ uocis, sunt similia tertijs personis singularibus uerbi passiui. Veniunt ab actiuis & neutris, nullum habent suppositum, post se uerò casum uerborum, à quibus descendunt, ut, A nobis auditur, à uobis statur in cubiculo, sedetur in triclinio, estur, bibitur affatim. Si quis addat suppositum fit passiuū, ut, Scribitur liber, Sequitur constructio infinitiuorum: illa est uulgaris, ante se habere accusatiuum pro supposito, post se casum sui uerbi, ut,

Me legere tibi librum, erit utile. Adduntur uerbis, in quibus diligenter est animaduertenda constructio: nã sunt multa uerba quæ ante se, & post se etiam interiecto infinitiuo eundem casum requirunt, quum res pertinet ad idem. Exemplis res est declaranda. Ego uolo pudica esse, Tu uelles fuisse ad tales epulas inuitatus: nisi si quis adderet accusatiuum ante infinitiuum: ut, Ego uolo me esse literatam. Iam in alijs, Socrates non potest esse ferox, Maria existimatur & dicitur esse castißima: Et in hoc uerbo uideor: Ego uideor tibi esse literata, Tu uideris mihi esse sancta, Romani uidẽtur nobis nimis cupidi belli & pecuniæ, Dico uos uideri simias, Mihi licet esse doctæ, Tibi uacat esse diserto. Hinc de constructione gerundij & supini, quæ est apud Vallam, & ex illo apud recentiores istud annotabitur, gerundium adiectiuum non uenire nisi à uerbo, cui additur accusatiuus, & ratione illius casus: non enim dicimus, Veni huc tui seruiendi causa, uel ad carendam uoluptatem: nec, ad scribendum te, uel scribẽdo tibi, ut sit adiectiuum, sed, causa obseruandi tui, cogito de te docenda, propter uos erudiendos. Commodum nunc erit explanari uim potentaui modi, quæ sunt uoces temporum subiunctiui: ut, Tu uirgo hoc dicas? Quis crederet mendaci? Peccaueris sanè, sed semel. Nemo sic dixisset, nunquam accessero prauis consultoribus. His cognitis uenietur ad significationem

& syn-

& syntaxin reliquarum partium orationis, de ui pronominis, de aduerbio, de præpositione, de coniunctione, quibus addatur uerbi modis, & quomodo coniungat. Interiectio cur sit ita appellata, quòd per affectum interponatur orationi, ut, Magnum heu fecerat nefas. Poterant ista dici à me fusius, sed admonere satis habui, quæ ab alijs essent copiose tractata, quæ omnia usus & lectio autorum explanabit & expoliet, reddetq; ut apertiora, sic etiam certiora.

SERMO.

Loquatur cum præceptore & cum discipulis latinè, quas habeat tres aut quatuor: nam solam institui non conducit: sed nec plurimæ sint, & eæ puellæ, atq; etiam selectißimæ, liberaliter & sanctißimè educatæ: à quibus nihil audire poßit, aut discere, quod mores corrumpat, quorum prima semper debet esse cura. Stimuletur modò præmiolis, modò contentione & æmulatione: laudetur ipsa, laudetur & alia, ipsa audiente. Conabitur exprimere, quæ apud autores legerit: et quemadmodum alios audierit loquentes, quos putet eruditos esse, attentè auscultatos, sic & loquetur ipsa: in quo est imitatio, res in studijs non parum utilis, præsertim teneræ ætati, quæ nihil melius quàm imitatur. Nec solum uoces æmulabitur, sed pronuntiationem quoq;, ne in accentibus peccet.

ACCENTVS.

DE quibus cognoſcat initio generalia præcepta, duo in primis in ſermone latino: penultima ſyllaba longa, in ea eſt accentus, ut, Parentis. Altera, penultima breui, in antepenultima eſt accentus, quantacunq; ſit, ut, Hominis, Dominus. In ultima nullæ latinæ dictiones accipiunt accentum, præter pauca inflexibilia: ut, porrò, unà, illò: in diſyllabis omnibus accentus eſt in penultima, præter ea quæ dixi, indeclinabilia. Tum licebit uniuerſalia illa cognoſcere, De uocali ante uocalem, quæ eſt breuis: de uocali ante duas conſonantes, aut conſonantem uim duarum habentem, quæ longa: & omnis ſyllaba diphthongo ſcripta, longa eſt: anxia illa de ſyllabarum quantitate, uel aliàs diſcet, uel non eget fœmina, quod magis puto. Obſeruabit inſtitutor, quemadmodum loquetur, uitiáq; tum ſermonis, tum linguæ ſedulo repurgabit, ne hærere ſinat. Oſtendet rationem, cur uel ſolœciſmum caſtigarit, uel barbariſmum, uel uitioſam pronuntiationem. Admonebit ut uitet, ne iterum peccet: ſi rurſus eodem relabatur, admoneat prioris errati.

ANNOTATIONES.

HAbeat librum chartaceum maiuſculum, in quo manu ſua annotet tum uerba, ſi qua inter legendũ graues autores inciderunt, uel utilia uſui quotidiano, uel rara, uel elegantia: tum loquendi formulas, ar-

gutas,

gutas, uenustas, lepidas, eruditas: tũ sententias graues, facetas, acutas, urbanas, salsas: & historias, ex quibus exemplum uitæ suæ poßit petere, Aduertet etiam ubi, & quemadmodum Grammaticorum seruentur præcepta, ubi negligantur: nam ars grammatica ex usu autorum nata est, ideo hic est arti præferendus, quum discrepãt: ars tamen necessaria est, quæ rectè & emẽdatè loqui ex obseruatione docet. Autores in quibus uersabitur, ij erunt, qui pariter & linguam, & mores excolant atq; instituant: quiq; uon modò bene scire doceant, sed bene uiuere. Huiusmodi sunt Cicero, Seneca, Plutarchi opera, quæ sunt à uarijs uersa: aliquot Platonis dialogi, præsertim qui ad rempublicam gubernandam spectãt: Hieronymi epistolæ, & quædam Augustini opera, ERASMI *institutio principis, Enchiridion, Paraphrases, & alia eius permulta pietati utilia, Thomæ Mori Vtopia. Historiam poterit leuiter cognoscere ex Iustino, & L. Floro, & Valerio Maximo. Inter hæc omnia, & cũ surgit è lecto, & cum it cubitum, aliquid quotidie ex Nouo testamento legat. Sunt & Christiani poëtæ, quos iucundum fructuosumq; erit legere, uelut Prudentius, Sydonius, Paulinus, Arator, Prosper, Iuuencus, qui multis in locis poßint cum quouis ueterum certare, elegantia carminis dico. Nam rebus tanto sunt superiores, quantum bona malis præstant, & humanis diuina. Quum hos leget,*

habeat uocabularium latinæ linguæ, Calepinum ſcilicet, aut Perotum, ad quem recurrat hærens in latina uoce. Hanc puto eſſe rudem ſtudiorum declinationem: exacta hora tempus admonebit, & prudentia tua inueniet,

FINIS.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS VALENTINI, AD SAPIENTIAM Introductio.



ERA *ſapientia eſt, de rebus incorruptè iudicare, ut talem unamquanque existimemus, quas ipſa eſt: ne uilia ſectemur tanquam precioſa, aut precioſa tanquam uilia reijciamus: ne uituperemus laudanda, ne'ue laudemus uituperanda.*

2 *Hinc enim error omnis in hominum mentibus, ac uitium oritur, nihilque eſt in humana uita exitiabilius, quam de prauatio illa iudiciorum, quum rebus non ſuum precium redditur.*

3 *Quocirca pernicioſæ ſunt uulgi opiniones, quæ ſtultiſsimè de rebus iudicant.*

4 *Magnus erroris magiſter, populus.*

Nec

Nec aliud magis laborandum est, quàm ut sapien- 5
tiæ studiosum à populari sensu abducamus, & uindi-
cemus.

Primum omnium suspecta illi sint, quæcunq; mul- 6
titudo magno consensu approbat: nisi ad illorum nor-
mam reuocarit, qui singula uirtute metiuntur.

Assuescat unusquisq; iam tum à puero, ueras habe- 7
re de rebus opiniones, quæ simul cum ætate adolescēt.

Et ea cupiat, quæ recta sint: fugiat, quæ praua: ut 8
assuefactio hæc bene agere, uertat ei propè in natu-
ram: ut non pon posit, nisi coactus & reluctans, ad
male agendum pertrahi.

Eligenda est optima uitæ ratio, hanc consuetudo 9
iucundißimam reddet.

Tota reliqua uita ex hac puerili educatione pēdet. 10

Ergo in curriculo sapientiæ, primus gradus est, ille 11
ueteribus celebratißimus, SEIPSUM NOSSE.

DIVISIO RERUM.

Homo ex corpore constat & animo. Corpus ha- 12
bemus ex terra, & his elementis quæ cernimus
ac tangimus, corporibus bestiarum simile,

Animum diuinitus datum, angelis & Deo similem, 13
unde censetur homo: & qui solus meritò esset homo
appellandus, ut maximis uiris placuit.

In corpore sunt forma, sanitas, firmitas, integritas, 14
robur, celeritas, delectatio: & his contraria, deformi-

 tas,

tas,morbus,mutilatio,imbecillitas,tarditas,dolor, & alia corporis seu commoda,seu incommoda.

15 *In animo eruditio,& uirtus:& contraria,ruditas, uitium.*

15 *Extra hominem sunt diuitiæ, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia: & contraria his, paupertas,inopia,ignobilitas,uilitas,dedecus,obscuritas,odium.*

RERVM NATVRAE AC PRECIA.

17 *Regina & princeps rerum omnium præstantissima est* VIRTVS: *cui reliqua omnia, si suo uelint officio defungi,ancillari oportet.*

18 *Virtutem uoco,pietatē in Deū & homines,cultum Dei,& amorē in homines,uoluntatemq; benefaciendi.*

19 *Reliqua si quis ad uirtutem hanc referat,non mala uidebuntur.*

20 *Nec qui primùm hæc nuncupauere bona, sic de illis senserunt,ut nunc uulgus:quod ueros illos ac naturales significatus corrupit, unde & rerum æstimationes mutatæ sunt.*

21 *Sic enim sunt intelligenda hæc, quatenus censentur bona. Diuitiæ sunt non gemmæ,aut metalla,non magnifica ædificia, uel suppellex instructa: sed, non ijs carere,quæ sunt ad tuendam uitam necessaria.*

22 *Gloria,bene audire de uirtute.*

Honor,

Honor,ueneratio ob uirtutem: 23
Dignitas,recta hominum opinio de magna uirtute. 24
Potentia & regnum, habere multos quibus probè 25
ac rectè consulas.
Nobilitas, excellentia actuum esse cognitum: uel 26
à bonis prognatum,similem parentum se præbere.
Generosus est, ad uirtutem à natura optimè com- 27
positus.
Sanitas,talis habitudo corporis,ut ualeat mens. 28
Species, lineamenta corporis, quæ animum formo- 29
sum ostendant.
Vires & robur, ut exercitijs uirtutis sufficias, ne 30
facile defatigeris.
Voluptas, delectatio pura, solida, & diuturna, 31
qualis capitur ex ijs solis, quæ ad animum pertinent.
Si quis hæc aliter,ut à populo uidelicet intelligũtur, 32
discutiat ac expẽdat,reperiet inepta,uana,noxia esse.
primùm externa omnia uel ad corpus referuntur, 33
uel ad animum: ut diuitiæ ad tuendam uitam, honor
ad iudicium uirtutis.
Corpus ipsum nihil aliud est, quàm tegumentum 34
uel mancipium animi, cui & natura, & ratio, &
Deus ipse iubent subiectum esse, ut brutum sentienti,
mortale immortali ac diuino.
Porrò in ipso animo eruditio in hoc paratur,ut co- 35
gnitũ uitiũ facilius fugiamus,cognitam uirtutem faci-

lius persequamur, teneamusq́;: alioq superuacanea est.

36 Quid aliud est uita, quàm peregrinatio quædam, tot undiq; casibus obiecta & petita? cui nulla hora non imminet finis, qui potest leuißimis de causis accidere.

37 Quare stultißimum est, cupiditate tam incertæ uitæ, fœdum aliquid aut prauum agere.

38 Et quemadmodum in uia, sic in uita: quo quis expeditior, & paucioribus sarcinis implicitus, hoc leuius & iucundius iter facit.

39 Tum natura humani corporis ita constitutum est, ut paucißimis egeat: ut si quis animaduertat, haud dubiè insaniæ damnet eos, qui tam multa tam anxiè congerunt, quum sit tam paucis opus.

40 Diuitiæ namq;, & possessiones, & uestimenta in usum tantum parantur: quem non adiuuant immensæ opes, sed opprimunt, ut nauem ingentia onera.

41 Nec aurum, si non utare, à cœno differt: nisi quòd magis angit eius custodia, & efficit, ut dũ ubi uni studes, ea negliges, quæ maximè sunt homini curanda.

42 Est enim pecunia idolorum seruitus, quum ei reliqua post habentur, nempe pietas & sanctum.

43 Vt transeam, quot insidiæ diuitijs tenduntur, quot & quàm uarijs casibus pereunt, in quàm multa uitia detrudunt.

44 Culta uestimenta quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumenta?

Vtile

Vtile indumentum excogitauit necessitas, preciosum luxus, elegans uanitas: suborta est in uestitu contentio. Hæc multa docuit superuacanea & damnosa, dum homines etiam ex eo quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant. 45

Ita diuitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa & opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis & comparantur, & exponuntur, non poßidentium usibus. 46

Iam nobilitas quid est aliud, quàm nascendi sors & opinio, à populi stultitia inducta: ut quæ sępenumero latrocinijs quæritur. 47

Vera & solida nobilitas à uirtute nascitur. Stultumq; est, gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus, & turpitudine tua dedecori sis pulchritudini generis. 48

Sed certè omnes ex eisdem constamus elementis, & idem omnium pater Deus. 49

Ignobilitatem contemnere, hoc est Deum nascendi autorem tacitè reprehendere. 50

Potentia quid est aliud, quàm speciosa molestia? in qua si quis sciret, quæ solicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorum mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut grauem miseriam. 51

Quantum est odium, si regas malos? quanto maius, si malus ipse? 52

53 Honor si ex uirtute non oritur, prauus est: sin ex uirtute, hoc præstat uirtus, ut is negligatur. Aliter uera non erit uirtus, si quid honoris facit gratia: sequi enim debet honor, non expeti.

54 Dignitates, quis potest sic appellare, quum indignißimis quoq; hominibus contingant? nempe fraude, ambitione, præmijs, peßimis artibus quæsitæ.

55 Et gloria, est'ne aliud quàm ut ille dixit, Aurium uana inflatio?

56 Ex qua, ut honore & dignitate nihil omnino ad eũ pertingit de quo sunt, & incertæ, uagæ, iniquæ, momentaneæ sunt, similes parentis suæ multitudinis: quæ eodem die eundem hominem & commendat atq; euehit summè, & uituperat ac deprimit extremè.

57 Quid dicam nasci hæc ex rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis: sicut ludo pilæ, profusione patrimonij in comessationes, scurras, mimos: bello potißimum, hoc est, impunito latrocinio, quo magis uulgi dementiam agnoscas?

58 Secedat in se unusquisq;, ac solus cogitet, inueniet quàm parum ad se attingat ex fama, rumoribus, ueneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

59 Quid in somno, quid in solitudine inter summum regem iuterest. & infimum seruum?

60 Denique sic unusquisq; sentiat, nobilitatem, honores potentiam, dignitates ex prisca hominum persuasione,

ſione, quam Chriſtus animis ſuorum ademit, nata & relicta eſſe: & in Chriſtianos homines inuecta, tanquã lolium, quod hoſtis diabolus aſperſit bonæ ſegeti Dei.

In corpore ipſo quid eſt forma? nempe cuticula be- 61
ne colorata. Si interna cerni poſſent, quanta uel in corpore ſpecioſiſſimo cerneretur fœditas?

Lineamenta & corporis decor quid iuuant, ſi tur- 62
pis ſit animus? & ſicut Græcus ille dixit: In hoſpitio pulchro hoſpes deformis?

Robur quorſum pertinet in homine, quum res ma- 63
ximæ & homine dignæ, non uiribus neruorum gerantur, ſed ingenij?

Nec uires quantumcunq; augeantur, maiores erũt 64
quàm tauri uel elephanti: ratione illos, ingenio, uirtute ſuperamus.

Tranſeo quòd forma, uires, agilitas, & cæteræ cor- 65
poris dotes, ut floſculi celeriter marceſcũt, exiguis caſibus diffugiunt: uel una febricula ualidiſſimũ quandoq; hominem concutit, & ſummum decorem tollit.

Vt nihil accidat, certè neceſſe eſt illa omnia cum 66
ætate flacceſcere ac decidere.

Nemo ergo poteſt externa iure ſua dicere, quæ 67
tam facilè ad alios tranſeunt: nec corporea, quæ tam cito auolant.

Quid quòd hæc quæ multi admirantur, magnorum 68
uitiorum ſunt cauſæ: uelut inſolentiæ, arrogantiæ,

ſocordiæ,

socordiæ, ferocitatis, liuoris, æmulationis, simultatum, rixarum, bellorum, cædis, stragis, cladis?

69 Delectatio corporis, ut corpus ipsum, uilis ac pecudina est, qua sæpius & uehementius, & diutius pecora quàm homines perfruuntur.

70 Ex hac cùm morbi pleriq; ad corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna: tum ad animum certa pœnitentia, & hebetudo ingenij, quòd delicijs corporis extenuatur ac frangitur: deniq; odium uirtutum omnium.

71 Nec apertè frui licet: nam ut dedecent generositatem nostræ mentis, ita nemo tam perditus est, quin eas erubescat apud arbitros capere. Pariunt enim ignominiam, idcirco tenebras & latebras quærunt.

72 Quid quòd sunt fugacissimæ, & momentaneæ, nec retineri ulla ui possunt, nec unquam ueniunt puræ, cuiuscunque amaritudinis expertes?

73 Ergo exclusis uulgi sensibus, maximum malum putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: sed uitia, & his proxima, inscitiam, stuporem, dementiam.

74 Magnum bonum credito horum contraria, uirtutem, & quæ huic sunt finitima, peritiam, acumen ingenij, sanitatem mentis.

75 Reliqua uel externa, uel corporis si habes, prode-

runt

runt tibi ad uirtutem relata: oberunt, ad uitia. Si non habes, caue ne quæras uel cum minimo dispendio uirtutis.

Prolixus quæstus est pietas cum sufficientia. Fama, tametsi nihil agendum est ut uidearis, conseruanda tamen est integra, quòd interdum ea cura à multis nos turpibus cohibet, sed præcipuè in exemplum cæterorum. 76

Vnde præceptum illud sapientium & sanctorum uirorum: Nec malum faciendum, nec eius simile. 77

Quòd si hoc assequi non possumus, conscientia debemus esse contenti: & quum tam deprauati erunt hominum sensus, ut quæ sunt optima, putent esse scelestißima: tunc laborandum erit, ut interna & externa soli Deo approbemus, idq; abundè nobis sufficiat. 78

Etiam mala, quæ dicuntur corporis, uel fortunæ, licebit in bonum uertere, si patienter feras: & tanto sis ad uirtutem promptior, quo minus tibi in illis succedit, ac proinde es expeditior. 79

Sæpenumero ex damnis corporis, uel externorum, magnæ sunt acceßiones uirtutibus natæ. 80

DE CORPORE.

ET quoniam in hac nostra peregrinatione animum gestamus in corpore inclusum, maximasq; opes in uasis fictilibus, non omnino repudiandum nobis est, & contemnendum corpus. 81

Sic

82 *Sic curandum tamen, ut se non dominum, non socium esse sentiat, sed mancipium: nec sibi pasci aut uiuere, sed alteri.*

83 *Quo curatius est corpus, hoc animus neglectior.*

84 *Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur, & ut equus delicatè pastus, sessorē excutit.*

85 *Grauis sarcina corporis animum elidit, acumen ingenij, sagina corporis, aut indulgentia retunditur.*

86 *Cibi, somni, exercitationes, tota corporis curatio ad sanitatem referenda est, non ad uoluptatem: ut animo promptè inseruiat, nec ferocia cultus insolescat, neu uirium inopia decidat.*

87 *Nihil est quod æquè & uigorem mentis debilitet, & robur ac neruos corporis infringat, ut uoluptas: quippe uires omnes & corporis & mentis, opere ac labore uegetantur, ocio & mollicie uoluptatis languescunt.*

88 *Mundicies corporis & uictus citra delicias aut morositatem, ad ualetudinem & ingenium confert.*

89 *Ablues subinde manus & faciem frigida, detergesq; mundo linteolo.*

90 *Repurgabis crebrò eas partes, quæ sordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.*

91 *Hæ sunt, caput, aures, oculi, nares, axillæ, & pudenda.*

92 *Pedes mundi & calidi foueantur.*

Arceatur frigus cùm ab alijs partibus, tum uel maximè à ceruice. 93

Ne statim edas à qete, nec ante prādiū, nisi tenuiter. 94

Ientaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, non satietati. 95

Ideo tres aut quatuor panis buccea sufficiunt, sine potione, aut certè exigua, atq; ea tenui: salutare hoc non minus ingenio, quàm corpori. 96

In prandio & cœna assuesce non uesci, nisi ex uno obsonij genere: eodem simplicißimo, & quantum per facultates licebit, saluberrimo, quamuis multa mensæ inferantur: & si tua sit mensa, noli admittere. 97

Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum. 98

Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conseruatrix rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis uideamur, nec suscipiamus peßima facinora quæstus gratia, quò gulæ morem geramus, irritatæ uel luxu, uel lauticijs, uel delicatis nimium & exquisitis cibis. 99

Tum præstat, ut quæ adsunt, non modò nobis sufficiant, sed ex ijs liceat egentibus impartiri. 100

Ostendit hoc Dominus exemplo sui, qui post exaturatam multitudinem reliquias perire panum & piscium non est passus. 101

Natura necessaria docuit, quæ sunt pauca, & parabilia. 102

bilia. Stultitia superflua excogitauit, quæ sunt infinita, & difficilia.

Naturæ si des necessaria, delectatur, & robora-
103 *tur, tanquam proprijs: sin superflua, debilitatur, & affligitur, tanquam alienis.*

104 *Stultitiam necessaria non explent: superflua quum obruant, non satiant.*

105 *Potus erit, uel naturalis ille, uniuersis animantibus in commune à Deo paratus, pura & liquida aqua, uel tenuißima ceruisia, uel uinum bene dilutum.*

105 *Nihil est quòd iuuenum corporibus magis officiat, quàm calidus cibus, aut potus: incendit enim & exurit eorum uiscera, agitq; in libidinem & temeritatem præcipites.*

107 *A cœna ne bibe: aut si id admonet sitis, sume humidum aliquid & frigidiusculum, aut perpusillum tenuis potiunculæ.*

108 *Inter eam potionem & quietem, interpone, quum minimum, horæ dimidium.*

109 *Leuaturus animum, fac cogites, quàm exiguum tempus datum sit uitæ hominum: ex illo non oportere multum descendi ad lusus, ad comessationes, ad puerilitates, ad ineptias.*

110 *Breue spatium esse uitæ nostræ, etiamsi totum bonæ menti impenderetur.*

111 *Non esse nos à Deo creatos ad lusum aut nugas, sed ad seria,*

ad seria, admoderationem, modestiam, temperantiã, religionem, omne genus uirtutis & laudis.

Morbos corporis, morbis animi ne curaueris. 112

Exercitationes corporis non erunt immodicæ, cæ- 113
terùm aptandæ rationi ualetudinis: in quo sequenda erunt medicinæ consultorum consilia.

Sic tamen, ne quid habeant turpè, immodestũ, ob- 114
scœnum, flagitiosum, Etiam in remißionibus, & refe-ctionibus animi, absit aliqua memoria uirtutis.

Absit arrogantia, contẽtio, rixa, inuidia, cupidi-
tas: quî enim conuenit cruciare animum, dum delecta- 115
re studes? non aliter quàm si fel infundas in id mel, quod cupis esse quàm dulcißimum.

Somnus sumendus est tanquam medicina quædam 115
curando corpori, tantummodo quantus sufficit: im-modicus enim reddit corpora redundantia noxijs hu-moribus, segnia, pigra, lenta, & celeritatem mentis tardat.

Nec est existimandum uitæ id tempus, quod so- 117
mno impenditur: uita enim uigilia est.

DE ANIMO.

IN *animo duæ sunt partes: illa quæ intelligit, memi-*
nit, sapit, ratione, iudicio, ingenio utitur ac ualet. 118
Hæc pars superior appellatur, & proprio nomine Mens, qua homines sumus, qua Deo similes, qua cæ-teris animantibus præstamus.

119 *Est altera ex coniunctione corporis bruta, fera, ac trox, bestiæ quàm hominis similior: in qua sunt motus illi, qui siue affectus, siue perturbationes nominantur,* Græcè *πάθη, arrogantia, inuidentia, maleuolentia, ira, metus, mœror, cupiditas, stulta gaudia: pars inferior nominatur etiam* Animus *, qua nihil à belluis differimus, & quàm longißimè discedimus à* Deo, *extra morbum & perturbationem omnē posito.*

120 *Hic est naturæ ordo, ut sapientia regat omnia, pareāt homini cætera, quæ uidemus: in homine uerò corpus animo, animus menti, mens* Deo. *Si quid hunc ordinem egreditur, peccat.*

121 *Ergo peccatum est in homine perturbationes illas tumultuari, sæuire, ac trahere ad se ius & ditionem totius hominis, spreta & contempta mente: mentem etiam relicta* Dei *lege, animo & corpori seruire.*

DE ERVDITIONE.

122 *IDcirco menti indita est uis intelligendi, ut singula expēdat, sciatq́; quid factu bonum sit, quid secus: & uis uolendi summa, ut imperio huius nihil sit in animo, quod non pareat, si illa contendat, nec de iure decedat suo.*

123 *Ingenium multis artibus, & humanis, & diuinis excolitur & acuitur, instruiturq́; magna & admirabili rerum notitia, quò exactius singulorum naturas & precia cognoscat: poßitq́; uoluntatem docere, quid sequen-*

ſequendum bonum, quid uitandum malum.

Igitur fugiendæ artes illæ, quæ cum uirtute pug- nant, quales ſunt diuinatrices omnes, quæ à Græcis μαντεῖαι dicuntur: ut chiromantia, pyromantia, ne cromantia, hydromantia, etiam aſtrologia: in quibus eſt plurimum exitiabilis uanitatis, excogitatæ ab impoſtoro noſtro diabolo. 124

Tractantq; & profitentur id, quod ſibi uni Deus reſeruauit, futurarum & abſtruſarum rerum peritiam. 125

Nec inquirendum in Dei maieſtatem, & arcana à cognitione noſtra procul remota, à quibus Deus hominem arcuit. 126

Qui ſcrutatur maieſtatem, opprimetur à gloria. 127

Et Paulus iubet nos non plus ſapere quàm oporteat, ſed ſapere ad moderationem. Hebræus quoq; concionator inquit: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. 128

Et arcana illa quæ uidit, negat licere homini eloqui. 129

Vitanda ars omnis à dæmone tradita, cum quibus uelut Dei hoſtibus nullum debet nobis eſſe commerciũ. 130

Nec expedit uel philoſophorum uel hæreticorum opiniones, pietati noſtræ contrarias, cognoſcere: ne quem ſcrupulum ſubtilis artifex diabolus in animos 131

nostros inijciat, qui nos nimium torqueat, etiam adducat in exitium.

132 Non attingendi autores spurci, ne quid sordium animo ex contagio adhaereat.

133 Corrumpunt bonos mores collocutiones malae.

134 Reliqua eruditio müda est, & frugifera, refcratur modò ad suum scopum, uirtutem, hoc est, rectè agere.

135 Est diuina eruditio à Deo tradita: in qua sunt thesauri omnes scientiae & sapientiae reconditi, haec est uera mentium lux, reliqua omnis ad hanc collata, densissimae sunt tenebrae, & ut res hominum ludicra & puerilis.

136 Legitur tamen uel in hoc, quò tanquam ex comparatione fulgentior appareat nostra lux.

137 Tum ut testimoniis hominum aduersus eos utamur, qui diuinis parum acquiescunt, ut uitiosi oculi auersantur solis splendorem.

138 Ad nos quoq; commonefaciendos, quum in multis gentilium tanta praestantia fuerit uirtutis, quantam esse conuenit in homine Christiano, discipulo magistri Dei, cui ex luce pietatis, quam profitetur, magna est imposita necessitas bene uiuendi.

139 Suppeditant quoque facundiam & usum, ac prudentiam uitae communis, quis nonnihil interdum indigemus.

140 Tribus uelut instrumentis fabricamur eruditionem

nem ingenio, memoria, cura.

Ingenium, exercitatione acuitur. 141

Memoria, excolendo augetur. 142

Vtrunq; eneruant delitiæ, bona ualetudo confir= 143
mat, ocia & diuturnæ remißiones profligant, exerci=
tamenta ad manum & in promptu ponunt.

Siue legis ipse quid, siue audis, attentus id fac: nec 144
uagetur mens tua, sed coge illam ibi esse, & agere
quod adest, non alia.

Si incipit digredi, paruo murmure eam reuoca: co 145
gitationes omnes ab studijs alienas, in aliud tempus
differ.

Scito te operam & tempus perdere, si quæ legis, 146
uel audis non attendis.

Quæ ignoras, ne pudeat quærere. Ne erubesce à 147
quouis doceri, quod maximi uiri non erubuerunt: eru
besce potius ignorare, aut nolle discere.

Quæ ignota tibi sunt, ne iactes te scire: sciscitare 148
potius ab ijs, quos scire credis.

Si uideri uis doctus, da operam ut sis: nulla est com 149
pendiosior uia: quemadmodum non alia ratione faci=
lius consequêris, ut existimeris bonus, quàm si sis talis.

Deniq; quicquid uideri cupis, fac ut sis, aliter fru= 150
stra cupis.

Falsa tempus infirmat, uera corroborat. 151

Nulla simulatio diuturna. 152

153 *Magiſtrum ſemper ſequere, noli præcurrere: & illi crede ne repugna.*

154 *Ama illum, & parentis loco habe: putaq́; uerißima & certißima eſſe, quæcunq; dicit.*

155 *Attēde, ut quod ſemel errasti, emendatus iterū aut tertio ne idem pecces: labora, ut proficiat emendatio.*

156 *Illorum decet te præcipuè meminiſſe, in quibus fal ſus es, ne te rurſum decipiant.*

157 *Cuiuſuis hominis eſt errare: nullius, niſi inſipientis, perſeuerare in errore.*

158 *Scito nullum eſſe ſenſum, per quem promptius doceмur, quàm auditum.*

159 *Et nihil facilius, quàm audire multa, & nihil utilius.*

160 *Nec malis leuia, aut inepta, aut ridicula audire, quàm ſeria, grauia, prudentia.*

161 *Pari labore utraq; diſcuntur, quum ſit adeò commodum diſpar.*

162 *Ne labores quàm multa reſpondeas, ſed quàm aptè & in tempore.*

163 *Prandio tuo & cœnæ illos adhibe, qui te poßint inſtituere, quiq; ſuaui ac docta collocutione pariter & exhilarent te, & peritiorem reddant.*

164 *Scurras, paraſitos, imperitè loquaces, aut ſpurcè moriones, nugatores, bibaces, & id genus hominum aptum ad riſum mouendum uel uerbis, uel factis, nec*

honore

onore mensæ tuæ digneris, nec illi te, dum reficeris, blectent: potius iucunda aliqua, & ingeniosa confabulatio.

Non os modò à turpibus cohibe, sed etiam aures, 165 *tanquam fenestras animi: memor dicti ueteris, quod citat Apostolus: Corrumpunt mores probos confabulationes malæ.*

Siue ad mensam, siue alio quouis loco diligenter 166 *quid quisq; dicat, ausculta.*

Ex sapientibus disces, quo fias melior. 167

Ex stultis, quo fias cautior. 168

Quæ sapientes probarint, sequêris. 169

Quæ stulti laudarint, uitabis. 170

Siquid uideris à cordatis recipi, tanquam uel argu 171 *tè, uel grauiter, uel sapienter, uel doctè, uel ingeniosè, uel urbanè dictum, retinebis, ut & ipse in occasione utaris.*

Habebis librum chartaceum, in quo annotabis, si 172 *quid legeris, uel audieris dictum festiuè, aut eleganter aut prudenter: uel uocabulum aliquod exquisitum, rarum, utile sermoni quotidiano, ut quum usus poscat, habeas paratum.*

Anitere, ne sola uerba intelligas, sed præcipuè 173 *sensa.*

Quæ legeris, uel audieris, fac alijs narres, tum tuis 174 *condiscipulis latinè, tum alijs lingua tibi uernacula:*

& conare, ne minus ipse uel lepidè, uel uenustè referas, quàm audieris, aut legeris: sic & ingenium exercebis, & linguam.

175 Est etiam tractandus, & agitandus sæpenumero stylus, optimus dicendi magister.

176 Scribe, transcribe, rescribe crebro, atq; annota: cōpone alternis diebus, aut ad summum tertio quoq;, epistolam ad aliquem qui tibi respondeat: & tuam osten de institutori emendandam: mendarum, quas sustulerit, fac recordere, ne rursus ad easdem impingas.

177 Post cibum, uelut à prandio & cœna, cesset studium: sumpto prandio sede, confabulare, audi aliquid suaue: aut sic lusita, ne nimium corpus exagites & concutias.

178 Post cœnam, quam uolo esse modicam, deambulato cum iucundo aliquo & docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cuius uerba & sententias imitari cum decore possis.

179 Inter cœnam & quietem uita omnino potū: nihil perniciosius simul corpori, memoriæ, ingenio. Quum urgebit te sitis, si biberis, pone inter potum & lectum interuallum, quum minimum semihoræ,

180 Memoriam quiescere non sines:

181 Nihil est quod æquè labore gaudeat, & augeatur.

182 Commenda ei quotidie aliquid.

183 Quo plura commendabis, hoc custodiet omnia fidelius

delius: quo pauciora, hoc infidelius.

Quum aliquid ei credideris, sine eam quiescere, & aliquanto post ab ea uelut depositum reposce. 184

Si quid uis ediscere, id de nocte quater aut quin- 185
quies attentißimus legito: hinc ito cubitum. De mane exigito à memoria rationem eius, quod pridie cre-diderις.

Cauendum à crapula, à cruditate, à frigore, potißi- 186
mum ceruicis.

Vinum memoriæ mors. 187

Optimum esset singulis noctibus paulo antequam 188
cubitum concederes, in sella te sine arbitris sedentem quæcunq; die illo uidisses, legisses, audisses, egisses, in memoriam reuocare.

Si quid fecisses honestè, moderatè, prudenter cor- 189
datè, cum decore & laude, gauderes: scíresq; id esse Dei munus, & similia pergeres facere.

Si quid turpiter, immodestè, flagitiosè, pueriliter, 190
ineptè, uituperio dignum, scires ex tua malitia pro fectum, doleres, & uitares in posterum.

Si quid uel audisses, uel legisses elegans, doctum, 191
graue, sanctum, retineres.

Si quid uidisses probatum, imitare: si quid impro- 192
batum, fugeres.

Nulla tibi abeat dies, in qua non uel legeris, uel au- 193
dieris, uel scripseris aliquid, quod seu eruditionem,

ſeu iudicium, ſeu uirtutem augeat.

194 *Cubitum iturus lege, uel audi aliquid dignū, quod memoriæ mandetur, & de quo ſalubre ac iucundum ſit per quietem ſomniare: ut etiam nocturnis uiſis diſcas, & fias melior.*

195 *Studio ſapientiæ nullus in uita terminus ſtatuendus eſt, cum uita eſt finiendum. Semper illa tria ſunt homini, quandiu uiuit, meditāda, quomodo bene ſapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.*

196 *Ab ſtudiis arrogantia omnis arcenda eſt: nam ea quæ uel doctiſsimus mortalium nouit, non ſunt minutiſsimum eorum quæ ignorat. Exiguum quiddam, & obſcurum, & incertum eſt, quicquid homines ſciunt, menteſq; noſtræ in hoc corporeo carcere deuinctæ, magna ignoratione, & altiſsimis tenebris premuntur: aciemq; adeò retuſam habemus, ut nec ſummas pene attingamus rerum facies.*

197 *Tum profectui ſtudiorum plurimum nocet arrogantia: multi enim potuiſſent ad ſapientiam peruenire, ni iam putaſſent ſe perueniſſe.*

198 *Vitanda etiam contentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc ſequamur ſtudia, ut illa fugiamus.*

199 *Nihil excogitari poteſt iucundius cognitione multarum rerum nihil intelligentia uirtutis fructuoſius.*

200 *Studia res lætas condiunt, triſtes leniunt, temerarios*

os impetus iuuentæ cohibent, senectutis molestam tarditatem leuant: domi, foris, in publico, in priuato, in solitudine, in frequentia, in ocio, in negocio comitantur, adsunt, imò præsunt, opitulantur, iuuant.

Eruditio pastus ingenij uerißimus, ut indignum sit pasci corpus esuriente animo: ex qua uoluptates, & oblectamenta & solida, & perpetua: quæ alia ex alijs nascentia, & se renouantia, nunquam nos deserunt, nec lassant. 201

DE VIRTVTE.

PRæstantißima illa rerum uniuersarum uirtus, neq; dono ab hominibus datur, neq; accipitur: diuinitus contingit. 202

Idcirco à Deo suppliciter ac piè petenda est. 203

DE AFFECTIBVS.

SVmmum in literis omnibus atq; eruditione est ea Philosophia, quæ ingentibus animi morbis remedium adfert. 204

Magna cura adhibetur curando corpori: maior adhibenda est animo, quò huius morbi & occultiores, & grauiores, & periculosiores sunt. 205

Hi non iniuria tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiæ animi humani nuncupantur: maximam hi adferunt calamitatem, & indicibiles dolores, si regnent, si agitentur: incredendam tranquillitatem & beatitudinem, si sedentur, & cohibeantur. 206

Hus

207 Huc tendunt, quæcunque à maximis ingenijs de uita moribusq́; acutißimè sunt excogitata atque perscripta.

208 Hoc est ingens præmium literati laboris, cuius uerißimus fructus est, ut non in admirationem aut ostentationem uanam sit nobis magna illa rerum supellex collecta, sed ut transeat in usum uitæ, primum omnium prosit poßidenti: nec in eius mente sit tanquam in pixidicula, unde petitur res alios iuuatura, ipsi uasculo utilis.

209 Nec aliud conatur pietas Christiana, quàm ut serenitas humanos animos exhilaret, & tranquillitate animorum, compositisq́; affectionibus simus Deo, & angelis quàm simillimi.

210 Remedia his morbis, uel ex reb. ac nobisipsis, uel ex Deo, uel lex CHRISTI lege ac uita petuntur.

211 Natura rerum est, ut incerta, & fluxa, & momentanea, & uicißitudinaria, & uilia sint omnia, præter animum, qui est unusquisq́;, aut certè potißima eius pars: reliqua ab alijs ad alios transferuntur, ne quis extra animum quicquam poßit suum dicere.

212 Quæ habet, non donata esse putet, sed accommodata.

213 Quocirca ingentis dementiæ est, graue aliquod crimen, & magna luendum pœna ob res minutas suscipere.

Nec se

Nec se quisquam efferat, quòd aliquid de externis 214
aut corporeis contigerit, quum id omne breue futurum sit, ac incertum: nec proprium, sed alienum: quod ut concessum est, sic etiam reposcetur, ad summum in morte, sæpe in uita ipsa.

Nec dolendum, si quod accommodatum ac uelut 215
depositum est, repetatur: quin potius agendæ gratiæ, quòd tantisper uti licuit.

Intolerandæ ingratitudinis est, si sis aliquando af= 216
fectus beneficio, iniuriam te credas accipere, quòd id non sit perpetuũ: nec quid habueris, spectes, aut quandiu, sed quid, aut quandiu non habueris.

Nec lætandum, quòd fortuita tibi accesserunt, aut 217
amicis, adempta sunt inimicis: quum in omnibus tanta sit celeritas, & ambiguitas, ut plerunq; inani lætitiæ proximus sit acerbus fletus.

Nec despondendus animus, aut contrahendus re= 218
flante fortuna: quippe aduersis matutinis, interdum succedunt prospera uespertina.

Iam quæ conditio corporum, quæ ratio uitæ fictis 219
ex tam uili initio, tam flagili, quum sit anceps uita, septa tot undiq; periculis? & ut sit aliquantisper certa, utiq; non est diu duratura. Quid habemus, quur in tanta infirmitate ferociamus?

Quũq; nihil sit aliud hæc uita, quàm peregrinatio, 220
qua in alteram sempiternam tendimus, paucissimisq;

rebus

rebus ad hoc iter conficiendum egeamus.

221 Quid est quam ob rem his quæ huc atque illuc uolui & iactari cernimus, sollicitemur aut omnino moueamur?

222 Cupiditati quare seruiendum est, quum sint futura incertißima, & præsentia paucis contenta?

223 Liber ille, qui cupit solum quæ sunt in ipsius manu: seruus, qui contrà.

224 Iam fortunæ muneribus expleri, quid aliud est, quā peditem multis sarcinis impediri ac obrui?

225 Nemo est tam stupidè amens, qui non se illi ciuitati, ad quā tendit, & ubi morari destinat, potius quàm itineri adornet, componatq;.

226 Vita hæc nostra, quum sit natura sua fugax & arcta, maxima eius pars, ac ferè tota perturbationib. perit: neq; enim uiuimus, quādiu affectibus concutimur, & in primis mortis metu.

227 Quæ quum ex infinitis causis immineat, & appropinquet, expauenda non est ex una & altera: quum necessariò peruentura, fugienda non est per scelus, aut mœrendum quòd accedat.

228 Quum sit uita innumeris tædijs ac miserijs referta, cur est tam arctè retinenda? Quum ad alteram æternam proficiscamur, ita nos comparemus, ut rectà ad illam euolemus, plenißimam bonorum omnium.

Ergo

Ergo premimur sæpius nostris erroribus, quàm rebus ipsis, quum magna mala aut bona censemus, quæ non sunt. 229

Natura & conditio, & uera rerum precia illa sunt, quæ initio posui: quo apparet, nihil præter uirtutem pulchrum aut magnum esse, aut etiam nostrum. 230

Nos uerò in consilium mentis amorem corporis, & cupidinem rerum uitæ huius accersimus quæ à multis uocari solent, Amor nostri. 231

Hic animos uiriles eneruat, ut nulla res tam minuta sit, quæ in eos non penetret, nec ulla tam exilis aut tenuis, quin eos concutiat. 232

Hinc tenebræ oboriuntur oculo mentis, & ubi regnum affectus occupauere, iam illis tanquam dominis blandimur, indulgemus, paremus. 233

Ita aliena mordicus tanquam nostra apprehendimus, & si detrahantur, lamentamur, & afflictamus nosipsos. 234

Et nostra tanquam aliena negligimus, & auersamur profutura, ceu in primis noxia, & nocitura amplectimur pro utilibus. 235

Aliena mala nobis uidentur leuißima, nostra illis non maiora intolerabilia, & semper queruli nec aliena desideria ferimus nec nostra. 236

Nec iam nobis placemus ipsi, nec hic mundus cum sua lege nobis satis facit. Immutatas uellemus rerum 237

naturas

naturas:tanta est ex delicijs impatientia.

238 Quæ cruces possunt cum his comparari? nec sunt alia apud uita functos tormenta.

239 Nec dæmones alijs supplices sunt miserrimi, quàm superbia, inuidia, odio, ira.

240 Cernere est uultus eorum, qui his affectibus tenentur, quàm uarij sunt, quàm anxij, anheli, truces, horridi: ad eundem modum & animi sunt affecti.

241 Ira perturbationum omnium atrocissimum, maximè hominem dedecet.

242 Naturam hominis in truculentam mutat feram.

243 Et quum quæuis perturbatio mentis aciem, & iudicium omne obscuret, tum ira tenebras densissimas offundit, ut nec uerum, nec uile, nec decorum possit cernere.

244 Arrodit cor, & ualetudinem affligit.

245 Id cogit facere, quod ilico pœnitentia cõsequatur.

245 Iam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempestas? oculorum ardor? dentium stridor? despumatio? & totius oris pallor? fœda in lingua titubatio & clamor?

247 Vt ille, qui iratum se ad speculum uidit, non sine causa dicatur se non agnouisse.

248 Ob hanc toruitatem uultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorũ, adimitur uiro omnis autoritas, omnis beneuolentia, diffugiunt amici, recedunt obuij, solitudo undiq;, omnes oderunt, omnes detestantur.

Quo fit

Quo fit, ut maximi uiri nihil uel cauerint magis 249
uel texerint, quàm iram, & irati opera: addò ut natu
ræ etiam suæ repurgarint, ac uim attulerint.

Quid enim ridiculum magis, quàm tantulum, tam 250
imbecillum animalculum sic ferocire ac furere?

Et tantas tragœdias, tam atroces de uilißimis re= 251
bus excitare, ut de corporeis, de fortuitis etiam, si dijs
placet, de uno uerbulo?

Iram facilè domabis, si illud animo perceptum & 252
fixum tenueris:

Iniuriã non fieri, nisi lædatur animus: cui à nemine 253
noceri potest, nisi à poßidente, introducto in eũ uitio.

Hæc ad hominem, ex homine, nunc altius, nempe 254
ex Deo, etiamsi & illa quoq; ex Deo, sed hæc aliquan
to expreßius ac proprius.

DE RELIGIONE.

Nihil potuit hominum generi dari maius, aut præ 255
stabilius, quàm religio, quæ est cognitio & amor
Principis & parentis uniuersitatis mundi huius.

In nullos homines æquè est beneficus Deus, ac in il 256
los, quos docet qui sit uerus sui cultus.

Idcirco Psalmista inter maxima Dei in populum 257
Israeliticum munera, illud ponit, Qui annunciat uer=
bum suum Iacob, iustitias & iudicia suâ Israeli.

Non fecit taliter omni nation, & iudicia sua non 258
manifestauit eis.

159 *Per religionem* Deus *cognoscitur, & cognitus fieri nequit aliter, quin ametur.*

260 *Vnus* Deus *est princeps, & autor, & dominus uniuersorum, qui potest, qui scit omnia.*

261 *Mundus hic, est uelut domus quædam eius, uel potius templũ: ipse ex nihilo in hanc faciem atq; ornatũ protulit. Vnde nomen accepit apud* Græcos *ornati.*

262 *Idem regit atq; administrat, non minore conseruationis miraculo, quàm creationis.*

263 *Et quemadmodum in domo prudentißimi patrisfamiliàs nihil iniussu eius agitur: sic in omni mundo nihil iniussu* Dei *geritur, omnia potentis & scientis.*

254 *Illi angelos, dæmones, homines, animantia, stirpes, lapides, cœlos, & elementa, cuncta deniq; curæ esse ac parêre.*

265 *Nihil fieri, nihil moueri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli ullam, aut floccum uolitare extra illius præscripta & iussa.*

266 *Hanc esse uniuersi legem, non alium esse in rebus casum, non fortunam, aut sortem.*

267 *Omnià ab eo fieri cum summa æquitate & sapientia, tametsi uijs nobis ignoratis.*

268 *Quæcunq; cuiuis contingunt, ad eius referri commoda, si sit bonus, non ad ista pecuniolæ, aut mundi huius momentanei, sed illius æternæ salutis.*

259 *Ergo quæcunq; in hoc mundo accidunt, tanquã ab autore*

autore Deo profecta, æquis animis accipienda atq; approbanda sunt, ne affectu nostro, & tanquã iudicio cõsilium damnare uideamur, & improbare uoluntatem iustißimi illius, & sapientißimi rectoris omnium Dei, quia non assequimur.

Ei nos obsequi ac subditos præbere, laudare, atque approbare cuncta quæ facit, fas piumq; est. 270

Nos pueri & meliorem rerum inscij, quæ damnosißima sunt, deflemus non dari, tanquã utilißima: quæ utilißima, horremus tanquam aduersißima. 271

Vt nihil sit nobis sæpenumero pestilentius, quàm fieri uotorum nostrorum compotes. 272

Cumq; in tantis tenebris ignorationis uersemur, sic Deo uisum est, ut nobis sola sit præstanda culpa, cætera omnia illius curæ remittantur. 273

Nobis, uelimus nolimus, exequendum est, quod de nobis statuit ac iubet rector huius tanti operis: quorsum igitur spectat malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi, quàm hilariter & ultro duci? 274

Certè amicus omnis Dei, legibus & uoluntati amici obtemperabit. 275

Hæc potißima ratio est Dei amandi, sicut CHRISTVS *inquit: Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio uobis.* 276

Pacificator humani generis cũ Deo, & autor salutis nostræ est IESVS CHRISTVS, *homo Deus,* 277

Dei omnipotētis filius unigenitus, quem ad hoc ipsum pater misit, quum ei uisum est misereri generis humani, quòd maximo suo malo inimicum se fecerat Deo.

278 Nullum excogitari potest malum pestilentius, aut exitiabilius, quàm per peccatum à Deo separari, à perenni bonorum omnium fonte ad perniciosißimam conuerti miseriam, & à dulcißima uita in acerbißimam mortem.

279 In hoc inter cætera Christus uenit, ut rectißimam uiam nos edoceret, qua insisteremus proficiscentes ad Deum, nec ab ea uel pilum deflecteremus.

280 Hanc ipse & uerbis indicauit ac patefecit, & exemplo uitæ suæ muniuit expeditißimam atq; certißimam.

281 Humana omnis sapientia, si cum religione Christiana conferatur, cœnum est & mera stultitia.

282 Quicquid graue, prudens, sapiens, purū, sanctum, religiosum, quicquid cum admiratione, exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur: quicquid ex illis commendatur, ediscitur, in cœlum tollitur: id totū purius, rectius, apertius, expeditius inuenitur in pietate nostra.

283 Hanc nosse, perfecta est sapientia: iuxta hanc uiuere, perfecta uirtus: sed nemo uere nouit, qui non sic uiuat.

284 Vita CHRISTI testatur humanam eius probitatem

tatem: miracula, omnipotentiam diuinitatis: lex, cœlestem sapientiam.

Vt ex probitate accedat exemplum ad imitandum, ex autoritate uis ad obediendum, ex sapientia fides ad credendum. 285

Probitas amorē eliciat, maiestas cultū, sapiētia fidē. 286

Si quis quæ CHRISTVS præcipit expendat, comperiet omnia ad nostras utilitates referri, ut nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere. 287

Vt nihil est homini gratius, quàm fidi sibi, ita nec Deo: nec quisquam bene de illo cogitat, cui timidè se ipsum credit. 288

Fundamentū salutis est, credere Deū esse patrem, & huius filium unicum IESVM CHRISTVM legis latorem nostrum: & ex utroq; spirari sanctum illū afflatum, sine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelsum, aut profuturum nobis. 289

Verus Dei cultus est, animum morbis & prauis affectibus perpurgare, & in illius quàm proximè possumus transformari simulachrum, ut puri & sancti simus, sicut & ipse est, neminem oderimus, omnibus prodesse studeamus. 290

Quo magis te à corporalibus ad incorporea transtuleris, hoc uitam diuiniorem uiues. 291

Ità fiet, ut Deus cognatā & similem sibi naturam agnoscat, eaq; delectetur: ac uelut in uero & germano 292

templo habitet, multo sibi acceptiore, quàm ista sunt lapidum & metallorum.

293 Templum Dei *sanctum est, inquit* Paulus, *quod estis uos.*

294 *Tantus hospes conseruandus est: nec tetro peccatorum fœtor expellendus.*

295 *Corporalia opera fatua sunt ante* Deum, *nisi condi tura ex anima addatur.*

296 *In occultißimis receßibus, & procul ab omnium oculis, atq; adeò in corde ipso, atq; in animo tuo scito te habere* Deum *arbitrum, testem iudicem omnium etiam cogitationum tuarum: ut illius præsentiam reueritus, nihil non modò facias, sed nec in animum admittas nefarium aut turpe.*

297 *Charitas erga* Deum *hæc esse debet, ut illum cæteris rebus uniuersis anteponas, honoremq; & gloriam illius chariorem habeas cunctis uitæ huius honoribus & commodis.*

298 *Et quemadmodum amicus, quum amici memoria occurrit, beneuola quadam afficitur & pia lætitia: sic curare te decet, ut diuina omnia amicißima tibi sint, & proinde gratißima, uerserisq; in illis multo libentißimè.*

299 *Quoties nominari audis* Deum, *maius quiddam & admirabilius occurrat, quàm quòd poßit humana mens capere.*

Quæ

Quæ de illo & diuis dicuntur, audi, non quomodo 300
humana, sed cum magna animi admiratione.

De Deo ne quid temerè censeas aut de illius factis 301
pronuncies aliter quàm uenerabundus & timidè.

Impium, in res sacris iocari, aut dicta sanctorum 302
scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata conuertere, ceu quis medicinæ ad salutem paratæ cœnum aspergat: ad obscœnitatem autem trahere, id uerò nefarium & intolerabile.

Omnia decet illic esse admiranda, & cum ingenti 303
dignatione in animos recipienda.

Sacris intersis attentè ac piè, non ignarus, quæcunq; 304
ibi seu uides, seu audis, esse purißima & sacrosancta, spectareq; ad immensam illam Dei maiestatem: quem adorare facilè est, comprehendere impoßibile.

Ita ut in Diuina illa sapientia altiora semper existi 305
mes latêre, quàm quò poßit uis ulla humani ingenij pertingere.

Dicta sapientum hominum etiam non intellecta ue- 306
neramur: quanto id æquius est diuinis deferri?

Quoties nominari audis IESVM CHRISTVM, 307
toties ueniat tibi in mentem charitas illius in nos inæstimabilis, & recordatio illius sit tibi dulcedinis & ue nerationis plena.

Cum titulum aliquem, aut epitheton CHRISTI 308
audis, extolle te in eius contemplationem: & ora, ut

talem se præbeat erga te:uelut cum clementem,mitē, placidum,ut talem illum experiare: quum omnipotentem,ut id ostendat in te,ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium,ex nihilo aliquid: quum terribilem, ut eos à quibus terrere,terreat.

309 Q*uum Dominum uocas,fac illi seruias: quum patrem, fac ames, & te dignum præstes tanto patre filium.*

310 N*ulla res est in toto uniuerso, cuius si uel originē, uel naturam,uiresq; intuearis,non suppeditet, quo autorem omnium* D*eum admireris & adores.*

311 N*ihil exordire, non inuocato prius numine.* D*eus enim,in cuius manu sunt progressus & exitus, optatos eos tribuit ijs actibus,quos ab ipso auspicamur.*

312 *quicquid aggressurus es, finem spectato,& ubi tu rectum consiliū præstiteris, de euentu ne sis sollicitus.*

313 I*lli fide,in cuius potestate sunt rerum euentus.*

314 Q*uandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris,preces da operam ut intelligas: & caue ne ore tantùm permurmures,sed quum oras,totus & animo, & mente,& cogitatione,& uultu in hoc sis.ut omnia secum consentiant, & excellentissimæ respondeant actioni.*

315 E*xecrantur illum cœlestia oracula, qui opus* D*ei facit negligenter.*

316 S*i in citharœdo turpe est,aliud ipsum ore,aliud fides*

des eius sonare: multò est turpius, quum Dei psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

Vota nostra sobria sint, & digna quæ à Deo petantur, & quæ Deus det, ne stulta illum, aut inepta offendant. 317

Sumpturus cibum, recordare omnipotentiæ Dei, qui cuncta ex nihilo cõdidit, sapientiæ ac benignitatis, qui ea sustinet: mansuetudinis & clementiæ, qui etiam inimicos suos pascit. 318

Expende quantum illud sit, tot uitis uniuersitatis mundi huius, tam uariam quotidie alimoniam sufficere, conseruare omnia, & uindicare ab interitu, quò nutu suo tendunt. 319

Nullam neq; hominem, neq; angelorum sapientiam non modò hoc posse præstare, sed nec intelligere. 320

Itaq; quum scias te de illius bonis uiuere, cogita quàm execrandæ sit ingratitudinis, quàm perditæ temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cuius beneficio, & uoluntate consistis, nõ amplius, si nolit, futurus. 321

Ad mensam sint casta omnia, pura, cordata, sancta, qualis ille est, inter cuius munera tunc uersaris. 322

Omnis detractio, uirulentia, atrocitas, crudelitas à mensa arceatur, in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suauitatem & clementiam. 323

Quò intolerabilius est, cum te locũ asperitate aut 324

odio in fratrem contaminare, ubi tu beniguam & largam in te lenitatem percipis.

325 Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob causam mensæ sacra nominabant læta & festa: ad quam triste aliquid aut atrox dici fieriue nefas erat.

326 Quumq; sis omnipotēti, sapientißimo, largißimo Deo curæ, tu immodicam sustentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffisus: unicam curam suscipe, quomodo illi placeas, ac satisfacias.

327 Stultißimum est, alimenti causa prauum ullum facinus admittere: & illum offendere, à quo solo alimenta ueniunt: ut eum tibi iratum facias, à quo aliquid contendis impetrare.

328 Præsertim quum alimentis non conseruetur uita, sed uoluntate Dei, quemadmodum diuinis oraculis declaratum est, non pane hominem uiuere, sed uerbo Dei.

329 Habemus syngrapham IESV, uniuersorum in cœlo & in terra domini: Nihil eorum quæ opus sunt homini, de futurum ijs, qui quæsierint regnum Dei, & iustitiam eius.

330 Tum ex Dei donis, quæ ipse arbitrio suo & largitur & tollit, quum is in te tā benignus fuerit, tu in fratrem tuum, illius filiam, malignus ne esto, reputans uos ex æquo esse Dei filios: nec Deum plus tibi debere, quàm illi tantùm uoluisse te dispensatorem & administrato-

nistratorem esse, & à quo secundum Deum frater tuus peteret.

Nihil uerius datur CHRISTO, *quàm quòd egenis datur.* 331

Sumpto cibo, considera cuius sit sapientiæ, cuius potentiæ, uitam nostram ijs rebus quas edisti, sustentare, & ruentem fulcire. 332

Itaq; habeas Deo *gratiam, non quantam haberes illi, qui tibi pecunia sua cibariũ emisset: sed quãta habenda est ei, qui te & cibum ipsum cõdidit, & cibum propter te, & cibo te sustentat, non ui illius, sed sua.* 333

Quum petis quietem, & quum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, *non in te solùm, sed in totum genus hominum, atq; adeo mundum uniuersum.* 334

Cogita quantæ sint hostis hominum per licentiam quietis insidiæ, dum homo uelut cadauer iacet, impos sui quo instantius orandus est Christus, *ut nos tam imbecillos tueatur.* 335

Nec ullo nostro peccato irritandus est custos, & præses noster. 336

Et frons & pectus crucis nota exterius muniendum: interius uerò, pijs precibus & sanctis meditationibus. 337

Vbi iam lectum ingrediaris, fac cogites, unũquemque diem imaginẽ esse humanæ uitæ: cui succedit nox, & somnus, simulachrum mortis expreßißimum. 338

Itaq;

339 *Itaq; rogandus est* CHRISTVS, *ut in uita, & in morte adsit semper propitius ac fauens, illamq; ipsam noctem præbeat nobis placidam atq; tranquillam.*

340 *Neue in somnijs terreamur: Semperq; etiam sopitis, ille menti nostræ obseruetur, illius solatijs recreati ad matutinum tempus, sospites & læti perueniamus cum pia memoria sanctißimæ mortis ipsius precij, quo genus humanum redemptum est.*

341 *Cubile seruabis castum mundumq;: ne ius ullū in id inueniat autor ille, & caput totius spurcitiei.*

142 *Signo crucis, & sacra aqua, & inuocatione diuini nominis, sed in primis sanctis cogitationibus, & statuto custodiendæ pietatis, omnem ab eo diaboli ditionem pelles.*

343 *De mane surgens commenda te* CHRISTO: *cui & age gratias, quòd illius ope ac præsidio nō es illa ipsa nocte oppressus dolis & inuidia immanis hostis.*

344 *Et quemadmodum de nocte dormijsti, postea euigilasti: sic nostra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda uitæ à* CHRISTO, *quum apparebit iudex uiuorum & mortuorum.*

345 *Quem supplex obtestare, ut sequentem diem uelit ac faciat te in obsequio suo totum consumere, ne quem lædas, neu à quo lædatur tua probitas: sed septus undique ac munitus pietate Christiana, sospes & integer tot euadas retia, tot pedicas, quot per uias omnes*

& aditus

*& aditus humanos ſparſit tetenditq; inſidioſus dia-
bolus.*

Sanctiſsimam Dei parentem MARIAM, *& reli-
quos diuos, diuesq; uenerare, tanquam charos amicos* 345
CHRISTI *Dei uiuentis in ſecula ſeculorum.*

De illorū uita & actis crebrò uel legito, uel audito 347
*attentiſsimus & libentiſsimè, pio & uenerabundo a-
nimo, ut tibi ad imitationem proſint.*

De illis ſic ſenti, ſic loquere, tanquam non iam ho- 348
*minibus, ſed ſupergreſsis naturā omnem & faſtigium
humanum, diuinitati proximis & coniunctis.*

Inter homines uerò, quum tanta ſit cognatio ſimili 349
*tudinis in copore, & toto auimo, ſimusq; omnes pari
iure in mundum inuecti, ad ſocietatem & uitæ com-
munionem facti: ad hanc conſeruandam lex eſt à natu-
ra proclamata, ne quis alteri fecerit, quod ſibi factum
nolit.*

Hoc unum inſtaurator ille naturæ collapſæ ſuum eſ 350
ſe dogma profeſſus eſt, ſed explicatum & illuſtratum.

Nam ut humanā naturam ad ſimilitudinem Dei, 351
*ad eius fieri poteſt, ſublatam ſuis omnibus numeris cō
ſummaret, non modò mutuum amorem imperauit, ſed
eorum quoq; qui nos oderunt.*

Vt ſimus cœleſtis patris ſimiles, qui ſuos quoq; ini- 352
*micos amat: quo declarat beneficijs illos proſequendo,
& quiden maximis: neminem odit.*

Quid

353 *Quid quod hominum ingeniū ita fert, ut beneuolos in se illos uelint, etiam in quos ipsi sunt maleuoli?*

DE CHARITATE.

354 *SApientißimus uitæ nostræ magister, nempe & autor, unicum dedit ad uiuendum documentū, ut amemus: gnarus uitam nostram, si amemus, fore felicißimam, nec alijs opus esse legibus.*

355 *Nihil felicius, quā amare: idcirco Deus & angeli felicißimi, qui amant omnia.*

356 *Infelicius nihil quàm odisse, quo affectu miserrimi sunt diaboli.*

357 *Verus amor omnia exæquat: ubi is uiget, nemo alteri quærit præferri, nemo à dilecto rapere, quū apud se esse censeat, quæ apud illum.*

358 *Non litem mouere fratri charo, ac neq; se unquàm iniuria putat ab illo affici: ideo nec ultionem meditatur. Nemo inuidet ei quem amat, nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis indolet: contrà potius gaudet cū gaudentibus (iuxta dictum Apostoli) flet cum flentibus: idq; non fictè aut simulatè, sed ex animo, quoniam amor omnia reddit communia, suaq; esse existimat, quæ sunt eius quem amat.*

359 *Documenti huius solidum & uerißimum exēplar oculis nostris ad imitationem propositum, sunt Christi actiones.*

360 *Venit enim Dei filius, nō ut uerbis modò, sed exem*

plo ui-

plo uitæ suæ rectam nos doceret uiuendi rationem, ut illustratis sole illo suo animis nostris, apertè qualis quæq; res esset cerneremus.

Primum exercitus per omne genus patientiæ, quã tam ostendit animi moderationem, in quanta potentia, impetitus tot, tam grauibus contumelijs, nemini rema ledixit: tantum docuit uiam Dei, aduersam detestatus: uinciri se est passus, qui mundum euertere uel uni co poterat nutu. 351

Calumniam quàm patienter tulit? 352

Deniq; sic gessit sese, ut nemo in eo potentiam noue rit, nisi ad iuuandum. 353

Rex & Dominus uniuersorũ, per quem fecit pater huuc mundum, quàm æquè tulit æquari se infimis mor talium, & propriam sibi domum, & charis suis ministris deesse alimenta? 354

Conditor rectorq; naturæ, malorũ naturæ nostræ ex pers non fuit, esurijt, sitijt, delassatus fuit & mœstus: quorsum hæc nisi ad exemplum nostrum? 355

Tam amicus pacis, cõcordiæ, charitatis, ut nullum uitium magis sit insectatus, quàm superbiam: & quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambitionem, contentionem, dißidia, simultates. 356

Ostendens nihil esse, quur quis uel ab externis sibi quicquam arroget, uel à corporeis, quum sint aduentia, & aliena. 357

Nec

368 *Nec ab internis, & uirtute, quum à Deo dentur: & ob hoc ipsum tolluntur, quòd quis eiusmodi muneribus sese efferat, nec fontẽ atq; originem agnoscat, despiciens eos, ad quorum utilitatem hæc à Deo accepit.*

369 *Et ad superbiam infringendam, ne quis tãquam rite subditus religioni, & seruator legis Euangelicæ sibi placeat, audiuimus ab eo: Quum omnia quæ uobis præcepi, feceritis, dicite, serui inutiles sumus.*

370 *Quanta stultitia est eorum, qui se exactè Christianos gloriantur, & alijs in obseruanda lege sese anteponunt?*

371 *Quum nemo se norit, an uirtutem habeat, utrum odio Dei an gratia dignus sit: an ille, cui sese præfert, uirtute sit locupletior: an ascitus & destinatus in consortium cœlestium, quum sit ipse miserijs sempiternis aßignatus.*

372 *Idcirco iudicium omne de homine homini ademit, cæco & ignaro recessum cordis: ad se transtulit scrutatorem pectoris humani.*

373 *Exteriora enim quæ sola oculos hominis intuetur, infirma & incerta sunt interiorum signa.*

374 *Non ergo uno congressu, quod nõnulli faciunt temerarij, non cẽtum, non longißimo coniectu de ingenio, uitijs, aut uirtutibus cuiusquam sententiam in totum feras.*

375 *Longißimæ & obscurißimæ sunt in humano cor-*

da la-

de latebræ: quæ humana acies in tantam caliginem penetrabit?

Et cùm CHRISTVS *uniuersum genus hominum* 376
morte sua sibi asseruerit, tantoq; precio de seruitute diaboli redemerit, nemo ausit contemnere, nemo ludere animam: quam ita Dominus *amauit, ut nihil cunctatus sit uitam suam pro illa effundere.*

Pro uniuersis crucifixus est Dominus, *& pro sin-* 377
gulis.

Nec speres fore CHRISTO *rem gratam, si tu o-* 378
deris quem ille amat.

Hanc uult sibi referri gratiam, ut quemadmodum 379
ipse Dominus *nos seruos nequam & peßimè meritos amauit, ita & nos conseruos nostros.*

Hic inchoauit mutuam hominum inter se & cum 380
Deo *charitatem, hoc est, humanæ beatitudinis iecit fundamenta, in cœlo absoluit.*

Hæc est uita & gratia CHRISTI, *sapientia hu-* 381
manum ingenium excedens, æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

Nemo se Christianum esse putet, nemo se Deo *esse* 381
charum confidat, si quem odit: quum CHRISTVS
nobis homines omnes commendarit.

Hominem tibi à Deo *commendatum, si dignus est,* 382
ama, quia dignus est quem ames: sin indignus, ama, quia Deus *dignus cui pareas.*

384 *Non ieiunia, non erogatæ opes omnes in pauperum usum, hominem* Deo *gratiosum reddunt: sola hoc præstat hominum charitas, hoc nos* Apostolus *eius docuit.*

385 *Nullũ uidebis hominem, quem non existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut eius rebus prosperis gaudeas, aduersis doleas, iuuesq;, quantum erit opis tuæ.*

385 *Non natio affectum hunc minuat, non ciuitas, non cognatio, non professio, non conditio, non ingenium: unus est omniũ pater* Deus, *quem tu edoctus à* CHRISTO *quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscet, si tu eius filios fratres agnoueris.*

387 *Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem* Deus *non dedignatur filium.*

388 *Pacem & concordiam, & amorem inuexit* Deus.

389 *Partes & factiones, & priuatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dißidia, rixas, contentiones, bella, diabolus, peritißimus horum artifex.*

390 *Deus quia uult nos saluos, spargit beneuolentiam: diabolus quia perditos, inimicitias.*

391 *Concordia etiam pusilla coalescunt, discordia maxima dißipantur.*

392 *Qui pacem, qui concordiam student inter homines uel conciliare, uel conseruare sartam tectam, ij filij* Dei *uocabuntur, teste* CHRISTO: *hi uerè sunt pacifici, de quibus ipse loquitur. Qui uerò discordias serere,*

ſerere, charitatem hominum inter ſe reſcindere, ij filij diaboli.

Summum inimicitiarum, quo belluarum feritatem omnium homo ſuperat, bellum: ſcito rem eſſe non hominum, ſed quod uerbum ipſum loquitur, belluarum. 393

Quam deteſtatur natura, quæ hominem inermem genuit ad manſuetudinem & communionem uitæ: aduerſatur Deus, *qui penitus uult & imperat mutuam inter homines omnes charitatem.* 394

Nec quiſquam homo homini uel bellum facere, uel nocere poteſt ſine ſcelere. 395

Si quem arbitreris iniquo aut infenſo eſſe in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacunq; ratione lenias & places tibi. 396

Neq; in ea re uel precibus, uel obſequio, uel fortunis parcas, modò tibi gratiam omnium pares, celerem uiam ad gratiam Dei. 397

Neminem irriſeris, cogitans quod uni alicui accidit, poſſe cuiuis accidere. Age potius Deo gratias, *quòd te extra eam ſortem poſuerit: & ora, tum tibi ne quid tale accidat, tum illi ſic afflicto ſaltem remedium aliquod, uel æquum animum: & ipſe ſubueni, ſi potes.* 398

Crudelis animi eſt, alienis malis gaudere, & non miſerari communem naturam. 399

Eſto hominibus miſericors, & conſequêre à Deo *miſericordiam.* 400

401 *Fortuna & casus humani, sunt omnibus communes, unicuiq; minantur, unicuiq; impendent,*

402 *Hoc amore hominibus debito, nihil existimato posse te facere aptius, & congruentius, quàm si maximũ bonum, hoc est, uirtutem eis procurauerıs: si studueris, ut omnes, si potes, utiq; quamplurimos reddas bonos.*

403 *Nihil magis amori dissonum, nihil damnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos reddideris uel suasibus, uel exemplo, uel ullo alio incitamento.*

404 *Primum omnium & felicißimum est, si ames etiã odiosus: sed iucundißimum quoq; est, & maximè tutum amari.*

405 *Nullæ certiores opes, quàm certæ amicitiæ.*

406 *Nullum potentius satellitium, quàm amici fideles.*

407 *Solem è mundo tollit, qui è uita amicitiam.*

408 *Sed uera & solida, & duratura amicitia, tantummodo est inter bonos, inter quos facilè amor coalescit.*

409 *Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.*

410 *Vt ameris, certißima est & breuißima per amorem uia: nihil enim sic amorem elicit, ut amor.*

411 *Conciliatur quoq; uirtute, quæ natura sua amabilis est, ut uel ignotißimos ad se amandã inuitet et trahat.*

412 *Tum etiam uirtutis signis, mansuetudine, modestia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate: si nihil uel dixeris, uel feceris, quod arrogantiam, aut insolentiam, aut petulentiam, aut obscœnitatem resipiat:*

piat: omnia sint dulcia, mitia, lenia, & pura.

Amicitiæ uenenum, si ames tanquam osurus: & a- 413
micum sic habeas, ut putes posse inimicum fieri.

Salutare illud, Odi tanquam amaturus 414

In amicitia nulla sit inimicitiæ cogitatio, quem ha- 415
bes amicum, ne credas futurum unquam inimicum:
alioqui infirma & fragilis erit amicitia.

In qua decet inesse fidem, constantiam, simplicita- 416
tem, ut de amico nec ipse suspiceris, nec suspicantibus
aut deferentibus aurem accommodes.

Vita non est uita suspicacibus aut timidis, sed aßi- 417
dua mors.

Ne in alienas uitas inquiras, ne'ue curiosius scrute- 418
ris quid quisq; agat: multæ hinc suboriuntur simul-
tates.

Et qui hæc faciunt, suorum solent esse incuriosi, 419
alienorum solliciti. Stultum est, alios tam probe nosse,
seipsum ignorare.

Nec amare tantum homines debes, sed etiam quos 420
æquum est reuereri, ac inter eos honestè uersari, &
cum decore, in quo est officium uitæ communis.

Ne putes nihil interesse, ubi, cum quibus, apud 421
quos agas.

DE CONVICTU HOMINUM.

Sit tibi inter homines modestia, & moderatio in 422
uniuerso corpore, & præcipuè in oculis, ac ore

f 3 toto,

toto, à quo absit species omnis fastidij & contemptus, absit gesticulatio & lasciuia, serenitas illud & quietudo exornent, argumentum animi ad eum modum affecti.

423 *Solum humanæ faciei tegumentum decorum in primis & fauorabile, modestia & uerecundia, qua nudis nihil dici potest fœdius aut detestabilius.*

424 *Desperanda illius salus, quam desijt pudere malefacere.*

425 *Nec uultus sit in atrocitatē, aut seueritatem nimiā cōpositus: unde colligitur sæuus & impotens animus.*

426 *Risus ne sit frequens, aut immoderatus, aut cum clamore & cōncussione corporis, ne in cachinnum aut irrisum exeat.*

427 *Nullam esse rem talem existima, quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere risum cogat.*

428 *Sed risus potest esse causa aliqua, irrisus nulla.*

429 *Irridere bona nefas, mala crudelitas, media stultitia, probos impium, improbos sæuum, notos inmanitas, ignotos dementia: deniq; hominem, inhumanum.*

430 *Oculi sint quieti, manus ne ludibundæ, ne gesticulatrices.*

431 *Nec assuesce quenquam cædere: ex talitro uenitur ad pugnum, hinc ad fustem & ferrum.*

432 *Solos bonos uero ac germano honore prosequere, qui ex ueneratione animi nascitur.*

Magi-

Magiſtratibus exteriorem honorem exhibe, illisq́; audiens eſto, etiamſi grauia & moleſta imperent, hoc enim uult Deus, propter publicam quietem. 433

Diuitibus cede, ne irritati, & tibi, & alijs bonis noceant. 434

435 *Seni aſſurge, reueritus ætatem & rerum uſum, prudentiamq́;, quæ in illa eſſe ſolet. Honorationi alienæ non modò paria facito, uerumetiam, iuxta præceptum Apoſtoli, præuerte. Salutantem non reſalutare, nec feliciter precanti feliciter reprecari, ſi id factum cognoſcas, aut extremæ barbariei eſt, aut incuriæ ſecordiſsimæ. Quàm exiguæ res ſunt & nullius impendij, ſalutatio, affabilitas, comitas, honor? at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, diſſoluunt prætermiſſæ? Quanta eſt bonarum rerum ignorantia, nolle multorum beneuolentiam tantulo redimere? Generoſiſsimus ut quiſq; eſt, & optimè educatus, ita ſe maximè mitem omnibus & comem præbet: ut faſtidium et ferocia ex uilitate ſunt, aut hebetudine, aut imperitia, unde in bonas artes eruditio, Humanitas nuncupata eſt. Ipſe ſi non ſalutare, aut reſalutare, negligentiæ magis adſcribito, uel inconſiderātiæ, quā cōtemptui. Parū blādè aut honorificè appellatus, ſeu moribus ſeu naturæ attribue, nō malitiæ uel odio. Hiſce interpretationibus ac ſimilibus, ſanctā tibi ac iucundiſsimā parabis uitam: quippe omnes diliges,*

nec à quoquam te offensum arbitrabere. Vetus dictum, Vt uerax, ne suspicax: hoc uerbis nouum, sententia priscum, Vt quietus, ne suspicax.

435 *Neminem contemnere uidearis, non uultu, non uerbo, non facto aliquo.*

437 *Si inferior es, quis superiorum ferat se contemni abs te? sin maior, irritas, et auertis minorem contẽptu.*

438 *Intolerabilis est contemptus, propterea quòd nemo uidetur sibi tam uilis, ut contemptum mereatur.*

439 *Multi laborant ut à contemptu se uindicent, sed plures ut de contemptu.*

440 *Nec quisquam tantus est, quem non aliquando fortuna indigere minimis cogat.*

441 *Præter hæc omnia, nullus est contemptibilis, quem* Deus *filium dignatur, nisi in hoc* Dei *iudicium contemnas.*

442 *Et sæpe quem homines contemptu dignum putant, si perscrutarentur, ueneratione & adoratione dignissimum comperirent.*

DE VERBIS.

443 *Linguam dedit* Deus *hominibus, ut sit instrumentum societatis & communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.*

444 *Hæc magnorum & bonorum, & malorum est causa, prout utaris.* Scitè Iacobus Apostolus *aßimilauit eam clauo nauis: freni sunt illi inijciendi, & cohibenda,*

cohibenda, ne uel alijs noceat, uel sibi ipsi.

Nullum est peccati, ut facilius instrumentum, ita nec crebrius. 445

Nemini conuitium feceris, neminem execreris, nemini noceto, non modò in re, sed nec fama atq; existimatione. 446

In neminem petulantius aut procacius debacche-ris uel effusius ac immoderatius inuehare, etiam lacessitus & læsus: magis enim te & apud Deum, & apud homines cordatos lædes, quàm illum ipsum cui maledicis. 447

Conuitiũ conuitio regerere, est lutũ luto purgare. 448

Minitari, muliercularum est, nec probarum. 449

Nec sis tam tener, ut uerbulis transuerbereris. 450

Nec facundiam exerceas caninam, nec diserti laudem affectes in alienam contumeliam, in quem infantem & mutum esse satius est. 451

Alios reprehendere ne sis solicitus: hoc cura, ne in te sit, quod alij poßint meritò taxare. 452

Verum reprehendens ne utare acerbitate, aut atrocitate ulla uerborum, fac ut obiurgationis amarori aliquid admisceatur dulce, quod plagam leniat, si quam facis. 453

Modò ne fructus pereat reprehensionis, dum rem studes nimium mitigare, neu in assentationem prolabaris. 454

455 *Aſſentatio deforme uitium, turpe illi, qui dicit: perniciosum ei, qui audit.*

456 *Nec putes rem ullam eſſe tantam, ut à recto & uero propter eam ſuſtineas deflectere: non hoc abs te opes, non ullæ neceßitudines, non preces, non minæ, non mortis metus & certum periculum extorqueant.*

457 *Sic tibi & autoritatem parabis, & fidem, ut oracula putentur eſſe, quæcunq; dicas: aliter deſpicieris, & in digniſsimus iudicaberis, qui uel audiare.*

458 *Sermone utitor modeſto, ciuili, cōmi, non aſpero, non ruſticano, uel imperito, ſed nec accurato aut affectato nimis, ne quum loquendum ſit ut intelligamur, ſermoni tuo interprete ſit opus.*

459 *Nec contumelioſum uſurpes ſermonem, aut reprehenſorium, aut rigidum, ſed neq; blandum, aut fractum, aut adulatorium.*

460 *Eſt quiddam mediocre, quod nec ſuam dignitatem abijcit, nec alienam tollit.*

461 *Laſciuia & ſpurcities à ſermone extirpanda, ut à cibis uenenum.*

462 *Ne celeritatem in loquendo nimiam ſuſcipias, nec ut cogitationem præuertant uerba: nec reſpondeas, antequam qua de re agatur plenè intellexeris, & quid ille cui reſpondes, dixerit, ſenſeritq;.*

463 *Rariſsimum debet eſſe illud* Ciceronis, Quicquid *in buccam: & meritò ſoli* Attico *dictum, ac neſcio*

an uſquam

an usquam admittendum, quum inter amicos cauendum sit, ne quid dicamus, quod amicitiam dirimat aut lædat.

Quàm turpe illud & periculosum, Lingua quo uadis? 454

CHRISTVS Dominus noster, scient ex loquaci- 455
tate plurima oriri mala, & illa in primis quæ pugnant cum capite legis suæ, rixas, discordias, simultates:

Ad circumspectionem loquendi interminatus est: 456
De omni uerbo ocioso, quod homines fuerint loquuti, redditturos eos rationem in disquisitione illa mundi.

Idcirco Psalmista inquit: Pone custodiam ori meo 457
& ostium circunstantiæ labijs meis.

Ne sis in sermone immodicus, ac ne multus qui- 458
dem: ne'ue audiri uelis solus: est enim in loquendo uicißitudo, etiamsi cum imperitißimis agas, aut uilißimis. Sed nec adeò rarus aut tardus, ut ipse te auscultare existimeris, idq; facere, quod singula tua uerba singulæ tibi rosæ uideantur.

Inter prudentes præstat audire, quàm loqui: sed est 459
locus, ubi tacere tam est uitium, quàm loqui quando non oportet. Nulla uoluptas est tanta, quæ comparari queat colloquio prudentis hominis ac diserti.

Ne sis nimius percontator, est enim molestum & 470
odiosum. Noris & illud Horatij: Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

In dis-

471 In disserendo ne sis contentiosus, aut pertinax: si uerum audias, hoc protinus silentio reuerere, illiq; tanquam diuinæ rei assurgito.

472 Si non audias, nihilominus concede hoc uel amico, uel modestiæ tuæ: præsertim ubi nullum neq; probi mores detrimentum accipiunt, neq; pietas.

473 Superuacanea est contentio, si non adsit proficiendi spes.

474 Arrogantiam, aut iactantiam, aut superbiam & fastidiosam autoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem uiris, & omnem laudem meritis.

475 Ne uerbis quod scis ostentes, sed rebus te ostende scire.

476 Nec quicquid est iucundum tibi dicenti, idem credideris esse alijs audientibus.

477 Caue ne quid facias, quod securus non sis, nisi celetur: sed si fecisse contingat, nemini detexeris: quod taceri uis, prior ipse taceas. sin detecturus es, uide etiam atq; etiam, cui. Arcanum quid aut celandum maximè amico quum committis, caue ne iocum admisceas, ne ille iocum ut referat, occultum retegat.

478 Tibi uerò arcanum creditum, accuratius & fidelius custodi, quàm depositam pecuniam.

479 Nihil erit in humana uita tutum, si tollatur secretorum fides.

480 Si quid promiseris, præsta, etiam si res sit ardua in

primis

primis, & difficilis, saltem ut obligatam alteri tuam fidem soluas.

Si quid tibi sit promissum, ne exigas: acrior semper 481
in te iudex, quàm in alios.

Existimare decet te, homines habere sensum, ra= 482
tionem, mentem iudicium: ne speres te illis posse per=
suadere, malefacta esse benefacta, aut contrà: nec falli
posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis, quæ
tandem produnt se, & fiunt tanto fœdiores ac inui=
siores, quanto prius occultiores fuerant.

Infestis enim animis accipimus ea, à quibus sumus 483
decepti.

Ideo consultius est omnia esse aperta, nuda, sim= 484
plicia.

Nam etsi aliquando ueritas initio odiosa sit, dein= 485
ceps tamen nihil est amabilius aut gratius.

Laborat aliquando ueritas, nunquam opprimitur. 485

Nec mendacij utilitas solida est, ac diuturna: nec 487
ueritatis damnum diu nocet.

A mendacio tanquam corruptela quadam abhor= 488
reto: nihil est enim humanæ conditioni abiectius, ut
quod illam procul à Deo separat, diabolo similem ac
mancipium facit.

Deinde seu tardè, seu celeriter mendacium depre= 489
henditur, uertiturq; mentienti in turpem ignominiã.

Quid despectius aut uilius mendace? 490

Si men=

491 *Si mendacem te norint, nemo credet tibi, etiamsi affirmes uerißima.*

492 *Contrà, si ueracem, maiorem habebit fidem nutus tuus, quàm aliorum sanctißimum iusiurandum.*

493 *Si non uis loqui repugnantia, si uis inesse uerbis tuis constantiam, nihil opus est memoria, aut arte alia, quã ut dicas semper quod credis uerum esse.*

494 *Verum uero consentiens: falsum nec uero, nec falso.*

495 *Sed si uis in opinione tua uerum inesse, ne facilè credas nisi comperta, uel magnam ueri faciem præ se ferentia.*

496 *Neu sis suspicax: unde illud sapienter dictum: Si uis esse uerax, suspicax non eris.*

497 *Miserum illum qui id egit, unde extricare se non potest, nisi per mendacium.*

498 *Iurare ne consuescas. Sapiens enim ait: Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga.*

499 *Et Dominus in Euangelio suo uetat nos penitus iurare, tantum affirmare, ita est: aut negare, non est.*

500 *Magna est Dei reuerentia, non illum passim, aut facilè testem adducere: non hoc debet, nisi ab inuito & coacto fieri.*

501 *Qui facilè in serijs iurat, in iocis iurabit: qui in iocis, & in mendacio.*

502 *Si qui tibi credituri sunt, æquè iniurato credent, ut iu-*

ut iurato: non credituri, magis etiam iureiurando a-uertentur.

QVOMODO HOMINIBVS *utendum.*

INter homines est aliquod faciendum discrimen. Sunt enim ex eis alij domestici, alij noti tãtum, alij ignoti. 503

Domesticos uoco, consanguineos, affines, & quibus cum in eadem domo & familia degis. 504

Omnes sunt diligendi, etiam in ignotos talem te ostendes, ut sentiant te in uniuersum toti generi humano amicum esse, omnibusq; bene cupere. 505

Non tamen te eundem præstabis omnibus, ut lineam albam in albo saxo. Alios adhibebis consilijs, alijs parebis & obsequêre, alios reuereberis ac coles, alijs gratiam referes, si quod ab eis tuleris beneficium: & ijs potißimum, quorum opera usus es utili tibi, aut diligenti, aut fideli. 506

In quo animus pro opere computandus est, non in multo peiore loco uideatur esse qui conatus est, qui uoluit prodesse, quàm qui profuit. 507

Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo & compensando solicitus, quàm si pecunias mutuas. 508

Nec putes minus esse operam dedisse, duntaxat honestam, & à syncero profectam animo, quàm pecuniam: quin hoc maius, quo cuiq; corpus quàm externa charius debet esse. Ne expectes, dum neceßitates 509

ad te

amicis gesserint, ne te postea necessitudinis pœniteat.

Ne familiaris illi fias, cuius familiaritatem bonos 518
uides auersari. Eos etiam uita, qui non te amabunt,
sed tua, quales sunt parasiti, & quorum consuetudine
ac tanquam affrictu uel peior fies, uel labem aut periculum contrahes. Illos quoq;, qui amicis feliciori=bus inuident: tum qui iocorum studiosi, nihil pensi habent in uitam & maximè arcana amicorum ludere, ac dicta dicere, aut innata loquacitate reticenda cum primis effutiunt. Sed illos potissimum, qui ob leuem rixulam grauissimas inimicitias cum charissimis suscipiunt, acriusq; in eos ulciscuntur, quos aliquando amarunt, quàm quos semper oderunt, barbarica quadam persuasione, minus ferendam esse iniuriam quæ fit ab amico, quàm quæ ab inimico: in quo se ostendunt, nunquam amasse, alioqui non putarent se tam citò læsos. Eiusmodi præstat inimicos aut certè ignotos habere, quàm amicos.

Esto in admittendis ad familiaritatem cunctatior, 519
in retinendis semel admissis constantior.

Familiares elige, non placituros tantum, sed & pro 520
futuros: non eos qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodum: nec qui suauiter assentabuntur, sed qui uerè admonebunt.

Si consueueris assentatoribus delectari, nunquam 521
uerum audies,

522 *Ex bestijs exitiabiles maximè inter feras inuidia, inter mansuetas adulatio.*

523 *Quàm amandæ sapientia & uirtus, tam execranda assentatio: quæ impedit, ne illuc perueniamus, dum suadet iam peruenisse: tam diligenda recta admonitio, quæ illuc prouehit, dum quantum supersit, & quemadmodum conficiendum sit, docet.*

524 *Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.*

525 *Miserum illum, qui admonitorem, cum eget, non habet.*

526 *Malorum hominum consuetudinem non secus atq; ictos peste deuita: utrinque enim metuendum contagium.*

527 *Nisi talis sis, qui confidas te posse illos meliores reddere.*

528 *Sed huic fiduciæ non est nimis fidendũ, præsertim quoniam natura nostra in malum fertur prona: ad uirtutem autem accliuis est, atq; ardua semita.*

529 *Explora & ipse qui sis, quo loco, qua conditione, nec putes rem ullam esse tantam, ob quam tibi plusquã cæteris liceat.*

530 *Quo tibi plus concedente more licet, hoc minus retrahente moderatione libeat.*

531 *In minores præbe te comem, in maiores reuerentem, in pares facilem ac tractabilem.*

Sic

Sic ut uitiosis semper durus, rigidus, inexorabilis. 532

A potentioribus contemni te ne iniquè accipias, 533 potiusq; id crede fortunæ uitio fieri, quàm hominis.

Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parum 534 placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem.

Te etiam nimis esse delicatum, cui leues titillationes, grandes uideantur esse plagæ. 535

Nec oportet existimes te solum esse hominem, reli- 536 quos pecudes, quibus nec mutire liceat: homo es, uiue æquo cum reliquis hominibus iure.

Imò uerò si sapientior es, si melior, hoc indulge, 537 hoc concede magis de iure tuo cæteris tanquam imperitioribus, aut imbecillioribus: tibi uerò minus uelis ignosci, cui tantum robur sapientia & uirtus attulere.

Si uirtute non excellis, cur postulas uideri alijs po- 538 tior? si excellis, cur affectibus moderandis, non plusquã uulgus præstas?

Iniuriam accipere, quàm facere: decipi, quàm de- 539 cipere, satius & præstantius: quod nec humana ignorauit sapientia, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca.

Memineris humanæ imbecillitatis esse falli: errare: 540 ne te grauiter aliorum delicta offendant, præsertim aduersum.

Ignoscere, generosi pectoris; irã retinere, atrocis, 541

 sæui,

sæui, degeneris, uilis: quod & natura in mutis animantibus ostendit.

542 Cumq; Deus nihil uel crebrius faciat, uel libentius, quàm ignoscere, quis est tam demens, qui negare posit illud esse pulcherrimum atque excellentißimũ, quo tam prope ad naturam illam accedimus summi & præpotentis Dei?

543 Eris in homines talis, qualem cupis CHRISTVM erga te.

544 Et est profectò æquum, ut eam tu des hominibus ueniam, qua in eisdem delictis, aut alijs non paulò leuioribus ipse eges.

545 Nulla oratio præstantior, aut efficacior apud Deũ illa, quam edocti sumus ab eius filio CHRISTO domino: quæ idcirco Dominica nominatur.

546 At illam non potes uerè ac puro animo dicere, nisi toto pectore homini condonaris, quicquid ipse condonari tibi à Deo petis.

547 Hac lege remittitur nobis ingens debitum, si nos exiguum remittamus.

548 Quicquid unquam homo in hominem peccauit, minutißima pars est eius, quod quiuis hominum singulis momentis in Deum peccat: nimirum tantum, quanto maior & excelsior est homine Deus.

549 Si cui es iratus, fac iuxta monitum Apostoli, ne sol occidat super iram tuam.

Con-

Concessurus cubitum, omnes ex animo rixas, iras, offensiones, cupiditatès, solicitudines depone, ut composito & tranquillo animo placidißimæ te quieti tradas. 550

Cui semel ignoueris, cura ut ille sentiat bona fide id esse actum, ut nec ipse iniuriarum memineris, & experiatur te amicum, si qua in re iuuare, aut commodare illi potes. 551

Affectus iniuria, caue ne ultionem tuis manibus de quoquam sumas, nec eam ulli mortalium mandes: non est tibi ius in seruum alienum, imò in conseruum tuum. Domino tuo iniuriam facis, si non illi cognitionem relinquis de conseruo tuo. 552

Atqui Deus est omnium dominus, uniuersi sumus eius serui: sit satis te questum, ac ne queraris quidem: oculus Domini singula intuetur, & iuxta sacrum uerbum, ipse nouit & facientem iniuriam, & patientem. 553

Idcirco sic ipse omnibus edicit: Mihi uindictam, & ego retribuam.

Nam quum in animo sit iniuria, non in facto, solus Deus scit, qui fuerit animus, & quod ei debetur supplicium. 554

Plerunque putamus eam esse iniuriam, quæ non est: ut sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula ritè examinare, sed ad iudicandum transuersos ui sua rapiunt. 555

QVOMODO SE QVISQVE GEret erga seipsum.

557 Conuenit te non charum modò esse tibiipsi, sed etiā uenerabilem præbere, ut pudeat te tuiipsius aliquid facturi uel ineptè, uel imprudenter, uel impudenter, sæpè, flagitiosè, sceleratè, nefariè, impiè.

558 Pluris facias iudicium conscientiæ tuæ, quàm uoces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita & stulta est: ignota temerè ut probat, sic & damnat.

559 Conscientia est, quæ turbata maximos affert animo cruciatus, tranquilla maximam beatitudinem, cui nullæ opes, nulla possunt regna comparari.

560 Hoc est, quod Dominus in Euangelio pollicetur suis, multo plura etiam in hac uita recepturos eos, quàm quæ pro se repudiarint.

561 Fama nec profutura malo, nec læsura bonum.

562 Mortuus quid plus referes de fama, quàm pictura Apellis laudata? aut equus in Olympia uictor? nec uiuo quidem prodest, si eam ignorat: si nouit, nihil adfert aliud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

563 Conscientia uerum & solidum, & duraturum reddit testimonium, plurimum in illo Dei iudicio ualiturum, uitæq; huius magna est magistra: & quemadmodum scitè illi dixit, murus aheneus, quo & tuti agimus inter innumera uitæ pericula, & securi: nec

ullus

ullus est tantus terror, qui eum commoueat. Est enim mente defixus Deo, *illiq; fidit uni, ac ei se nouit peculiari esse curæ, cui scit parêre uniuersa.*

Turpe est alijs notum esse, ignotum sibi: 554

An non tibi sufficit, te & tibi notum esse, & (quod 555
*maximum est (*Deo?

Qui tamen nominis curam abijciunt, ut audacius 556
& securius peccent, ij dupliciter sunt mali, quòd nec homines reuerentur, nec Deum.

Et *in conscientiam iniurij sunt, quam derident ac* 556
deludunt, tanquam ob id spreuerint famam, ut se conscientiæ suæ liberius uendicarent: quæ hac de causa effusius delinquit, quòd iam nullo metu coërcetur.

Hoc est amare se conari, laborare, magnis preci- 557
bus à Deo *petere ac contendere, ut excellentißima nostri pars ornata atq; exculta sit ueris germanisq; ornamentis, nempe religione.*

Non is amat se, qui opes, qui honores amat, qui uo- 558
luptates, deniq; quæcunq; siue extrinsecus sunt, siue in corpore: quum potißima hominis pars sit mens:

Nec amat se, qui ignoratione sui seipsum fallit, uel 559
falli se ab alijs patitur: interdum gaudet, quum ea sibi persuadet inesse bona, quæ nulla insunt.

Hic non est in homine amor sui, quum ipse sit ani- 570
mus, sed amor corporis inconsultus, cæcus, ferus, perniciosus sibi & alijs.

571 Quem non iniuria caput esse ac originem malorum omnium, Socrates pronunciauit, quippe tollit charitatem mutuam, unde in genere humano mala omnia nascuntur.

572 Nimium qui se hoc modo amat, is nec alium amat, nec ab alio amatur.

573 Superbus mitibus discors, superbis multò etiam magis.

574 Seruator noster breui declarat documento, quid sit amare se, quid odisse. Qui odit, inquit, animam suam, nihil illi in rebus istis fortuitis aut perituris indulgendo, is uerè amat eam, & saluam cupit: qui uerò amat indulgendo, is odit, is uult perditam.

575 Laborem pro æterno & cœlesti præmio, quis nisi amens refugiat, quum nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur?

576 Hæc est lex eorum, quibus pater est Adam, ut laborent: hæc eorum execratio, quibus mater Eua, ut affligantur.

577 Quanto præstat anniti, ut maxima merces opera nostra quæratur: quàm exigua, uilis, & euanida, atque hinc sempiternus cruciatus & mœror?

578 Quid quòd facilius & tutius, & securius, ac proinde iucundius leuiusq; est, bene agere, quum peccatum timoris & solicitudinis sit plenum?

579 Peccatum hominis mors, ut iugulare seipsum uideatur,

deatur,quisquis peccat: abducit enim se à Deo uita nostra,& à quiete conscientiæ suæ, qua nihil est beatius.

Peccati sordes ablues lachrymis,pœnitentia, et inuocatione diuinæ clementiæ,multum huic confisus. 580

Occasio omnis peccandi & causa,intentißima cura uitanda est. Sapiens ait: Qui amat periculum,peribit in eo. 581

Et imminet semper occasioni suæ diabolus, per quē nunquam nobis libet securis agere. 582

Semper est cum eo belligerandum, ut uere Iob dixerit: Militia est uita hominis super terram. 584

Et quum sit hostis tam potens,robustus, uafer, tam callidus,ueteranus, exercitatus, tot uires habeat, tot stratagemata, nulla ratione, aut arte, aut ui nostra propria possemus pares illi, nedum superiores è conflictu excedere: idcirco diffisi nostris copijs, ad Deum accurrendum est ad opem implorandam. 585

Hac causa Dominus ac magister noster suis illud subinde præcipit,orent, & religiosis affectibus à patre omnium petant, ne in tentationem ducantur, hoc est,in prælium,quò manus cum diabolo conserant. 586

Et in oratione, quam ipse nos docuit, illa est coronis, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à prauo illo insidiatore. 587

Sic ergo agamus semper,tanquam in acie armati, uigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non 588

indormientes. Et quum tanta sit uitæ fugacitas, in tanta incertitate, ut ne crastinum quidem poßit sibi quisquam polliceri, stultum est & periculosißimum, si spes nostras in longum tendamus, differamusq; nos adornare futuro itineri, quò singulis momentis uocamur, inscij quando (uelimus nolimus) in illud pertrahemur. Quamobrem paremus nobis thesaurum ad futuram uitam, cui aliquid quotidie accrescat, quo instructi & confisi, nunquam per segnitiem aut secordiam inopinantes opprimamur: aut discedamus mœsti, sed parati abire, & uitæ huius pleni, agentes præ nobis magnam & optimam spem uitæ, innocenter sanctéq; transactæ per fidem filij Dei, & pietatem, quàm nos edocuit, quo munere nullum potuit homini à Deo maius aut pulchrius dari: quo Deum noscimus, & quantum effici à mortali potest, æmulamur, sequimur, consequimur.

589 *Sine hoc quid est homo aliud, quàm immortale pecus?*

590 *Vt unus dies humanæ uitæ præferendus est longißimæ ætati corui aut cerui, ita dies unus ex religione actus, hoc est, diuinæ uitæ, toti æternitati sine religione anteponendus.*

591 *Hæc est uita æterna, inquit* CHRISTVS *Dominus, ut agnoscamus patrem, & quem ille misit* IESVM CHRISTVM.

Hic

Hic est cursus absolutæ sapientiæ, cuius primus gradus est nosse se, postremus nosse Deum. 592

Regi seculorum immortali & inuisibili,
soli Deo honor & gloria.
Brugis, 1524.

IOANNES LVDOVICVS VIVES D. MARIAE CAMBRIAE PRINCIPI, HENrici VIII. Angliæ Regis filiæ S.



OLITVM *est principibus adhiberi satellitium, quod pro custodia corporis ac uitæ illorum perpetuò excubet, recepto magis more quàm sapienti aut probo, quum principes eo ipso metum suum testentur, qui ferè ex conscientia nascitur, nec ulla certior custodia sit, aut fidelior, quàm innocentia & populorum amor, qui nõ armis aut terrore extorquetur: amore, fide, diligentia, cura communium cõmodorum elicitur. Nec immeritò laudata est Agesiclis Lacedæmonum Regis sapientissima uox, posse quemuis sine satellitio regnare: qui sic*

sic subditis imperaret, ut filijs pater. Sed si consuetudo tot annorum usu comprobata tolli tam subitò non potest, ne custodibus corporis istius careas, parentes tui curabunt. Ego uerò à matre tua, inclyta & sanctißima fœmina rogatus, Satellitium circundabo animo tuo: quod te securiorem ac tutiorem præstabit, quàm hastati aut sagittarij quicunq;. Nam hæc corporea custodia, corrupta nonnunquam uel precio, uel metu, uel delicijs, imperatorem suum aut deseruit, ut Neronem: aut prodidit, ut Galbam: aut etiam occidit, ut Pertinacem. Hi abs te semel bona fide asciti, pectora sua pro salute tua aduersus impetus assultusq; & insidias omnes obijcient. Est enim maius animo periculum à uiribus & astu uitiorum, quàm corpori ab externis aut intimis simultatibus: quanto cuiq; charior esse debet animus quàm corpus, & uitiorum callidiores insidiæ atq; occultiores, & eorum tyrannis grauior, & interitus animi acerbior ac terribilior. Accipies igitur Satellites ducentos, aut paulò plures, quos sic tibi facies familiares, ut nec noctu, nec interdiu, nec domi, nec in publico sinas à tutela tui uel latum unguem discedere, ne his, aut certè similibus destituta, prædæ sis diabolo: qui, ut Petrus ait, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Symbola appellaui, quasi notas quasdam, cuiusmodi uetus mos erat Principibus se insignire, quod & fit hodie. Sed latius res

Symbola

patuit,

patuit, ad uulgum etiam progressa: unde tanquam ex stultitiæ fonte manarunt illa stolidæ cuiusdam arrogantiæ, quæ hoc tempore Principes usurpant, indigna non modò Christianis, sed etiam gentilibus: quibus illi omnibus minantur, omnes terrent, & sibi ipsi plus tribuunt, quàm homini est concessum: maioremq; in potentia sua fiduciam collocant, quàm in Deo. Intelligi potest de quibus loquar, nec mihi explicatius quicquam dicere necesse est. Eiusdem ferociæ sunt insignia leonum, ursorum, pardorum, luporum, serpentum, draconum, molossorum, aquilarum, uulturum, gladiorum, ignium, & huiusmodi: tanquam pulchrum & magnificum, & uerè Principe dignum sit, talis esse ingenij, qualis sunt illa, atrocis, rapacis, sæui, cruentiq;. Quanto præstaret, aliquid pro insignibus ostendere, quod humanitate, comitate, lenitate, dulcedine alliceret atq; inuitaret? aut grauitatis & præstantiæ magnitudine ac maiestate detineret? Porrò symbolorũ hæc est lex, ut sententiam absoluant uerbis ad summum quinque: & quo breuiora sunt, hoc uenustatis plus habeant: quale est illud Augusti, Matura. Obscuritatis aliquid & allegoriæ symbolum condit, ut paulum à naturali sensu deflectatur: modò ne tanta sit, quanta Pythagoras est usus, ut ab intelligentia dictorum suorum arceret imperitos: qui symbola sua longißimè uerbis abduxit illinc, quò sensus spectabat:

Insignia.

Symbolorũ lex.

adeò

adeò ut Tyrrhenos induxerit illis citra omnem allegoriam parêre, quum eam non assequerentur. Idcirco & expositiunculas addidi, breues quidem pro rei argumento, sed in hoc tantum, ne te in multis ambiguitas uel remoraretur, uel falleret. Mihi pro hoc satellitio nolo stipendiū aliud numerari, quàm ut lex CHRISTI, *unde sunt nobis hæc desumpta, utique uoluimus, in tota uita atque actionibus tuis regnet, magno exemplo priuatarum, si talis sis Princeps ipsa: quod facilè consequeris, matris tuæ imitatione. Homini enim Christiano, quod potest amplius præmium aut præstabilius in hac uita contingere, aut ad futuram fructuosius, quàm uidere rectas suas admonitiones, non irritas cecidisse? & opera sua auctam aliquorum pietatem? Impertiat tibi Dominus* IESVS *spiritum suum, ut & felicißima quàm diutißimè uiuas, & fortunis omnibus probitatem anteponas.*

Brugis ad Calēdas Quintiles.

M. D. XXIIII.

SCOPVS



COPVS uitæ CHRISTVS. 1

Sit hoc primum symbolum tanquam felix auspicium cæterorum: quo monemur, omnia referenda in CHRISTVM, *& in eum dirigenda, ut iaculentium sagittas in scopulum.*

Pax CHRISTI. 2

Hæc est quæ in totum hominem placidißimam cõcordiam & quietem inuehit, ne quid in ipso tumultuetur, nec cum alio intus aut foris pugnet, uel dissentiat.

Murus æneus sana conscientia. 3

Impenetrabilis est enim, & qui maximè hominem tutatur, ex Horatio: *Hic murus aheneus esto,* Nil *conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Felicitas unica, intus nil strepere. 4

Fons humanæ felicitatis & miseriæ in animo est, qui si tranquillus sit, suauißimè agimus: sin commoueatur, insuauißimè: ut si fons turbetur, cœnosa est aqua: si quiescat, liquida, & gustui grata.

Bonis omnia in bonum. 5

Homo probus & sapiens, quæcunq; siue bona contingant, siue mala, ad suam utilitatem uertit, dexteritate sapientiæ. Deus etiam omnia quæ dat charis sibi,

conuertit

conuertit in salutis instrumentum, sicut Paulus inquit, Diligentibus Deum omnia redeunt in bona.

6 Suspicionibus securis.

Non indulgendum suspicionibus: non leuiter auertendæ, sed securibus sunt rescindendæ.

7 Virtus instar omnium.

Nulla enim re ad bene uiuendum indiget, qui eam habet: quod Stoici senserunt, & id sentire Christianos magis decet.

8 Virtus citra fortunam ualida.

Et hoc ex Stoicis, & Christianis.

9 Tibicen fortunæ uirtus.

Infirma sunt sine uirtute, quæcunq; uel exterius contingunt, uel corpori: ideo sustentaculum fortunæ est uirtus; hoc est enim in ædificijs tibicen.

10 Sanus intus & exterius.

Iuuenalis, ex Socrate: Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

11 Antidotum uitæ, patientia.

Horatius, Cuiuis dolori remedium est patientia. Hoc est uerum antidotum contra tot uenena uitæ huius, quibus undique intrinsecus, & extrinsecus inuadimur, ac urgemur.

12 Sal uitæ, amicitia.

Insulsa

Insulsa est enim uita sine amicitia, & maxima quæque oblectamenta insuauia, ut Cice. in Lælio declarat.

Oculus uitæ, sapientia. 13

Sapientia est rerum humanarum & diuinarum notitia, qua sublata cæca esset uita nostra, & densissimis tenebris destituta.

In uirtute oculi & manus. 14

Inspicienda enim uirtus & agenda.

Multi nimium, nemo satis. 15

Habent, intellige, ex Seneca: Fortuna multis nimiū dedit, nemini satis. Nam multi quum plus quàm sufficit aut oportet possideant, nondum tamen uidentur sibi habere satis: quòd ad cupiditatem uiuunt, quæ insatiabilis est.

Satis hoc contento. 16

Nihil tam exiguum, quod non sufficiat ei, qui amplius non requirit.

Satis relicturo. 17

Quid iuuat tam multa congerere, aut tam anxiè custodire: quum uelimus nolimus, relinquenda sint?

Intus quàm exterius formosior. 18

Vera pulchritudo est in animo. Idcirco Stoici solū sapientem uocabant pulchrum. Cicero 3. de Fin. & Socrates apud Platonem in Alcibiade de uotis, optabat ut intus pulcher efficeretur.

19 Intus quàm exterius ornatior.

Ornamenta interiora sunt uirtutes, eruditio, acumen: quæ excellentiora sunt uestimentis, aut forma corporis.

20 Harmonia interna.

Vt nihil ab alio dissonet, sed sit concentus in animo dulcißimus: hanc ueram esse musicā dicebat Socrates.

21 Velle instar omnia.

Apud Deum sufficit uelle. Et gentilium sunt illa celebrata: Si desunt uires, tamen est laudanda uoluntas: & Voluntas pro facultate.

22 Natura quis pauper?

Nulli potest deesse, quo se sustentet: sic enim prouidit natura, ut facilè suppetat animantibus alimonia, modò ne quis putet se non posse uiuere sine pane siligineo, & piscibus ex mari Aegæo aduectis, aut auiculis multò parandis. Panis & aqua uitæ sufficit, interim solum olus.

23 Opinione quis diues?

Nemo est humanis opinionibus diues, quæ in immensum nostros usus auxerunt, ut nemo tam habeat multa, cui non aliquid deesse uideatur. Quo fit, ut diues non sit, quum aliquid requirit amplius. Ita si errorem communē recipimus, nec sua opinione quisquam erit diues, nec aliena.

Nec

Nec malum, nec frontem. 24

Nec mali quid feceris, reueritus Deum: nec quod malum esse existimetur, reueritus homines: tum ne alios offendas, aut exemplo sis ad malum.

Sapiens solus longeuus. 25

Vita enim stultorum non est uita, ea demũ est uita, quæ per sapientiam agitur. Ita præferendus est dies unus sapientis longißimæ æternitati stultorum, ex Cicerone 5. Tuscul. quæstionum.

Nocere promptum, ut pessimum. 26

Prodesse abstrusum, ut optimum. 27

Nihil est tam imbecillum, aut tenue, quod nõ possit aliquâ nocere, sed prodesse difficillimum, non est hoc cuiusuis. Et nocere peßimum, nempe diabolicum: prodesse uerò, utpote diuinum, præstantißimum. Idcirco nemo explicare debet uires suas nocendo, quum aranei morsus poßit hominem necare: sed iuuando, quod rarum est, & pulcherrimum, diuinæq; naturæ cognatum.

Pauper egens, non carens. 28

Non est pauper, qui caret, sed qui eget, qui desiderat. Socrates forum ingressus, Quàm multis ego, inquit, non egeo?

Alienis lachrymis cautior. 29

Alieno risu lætior. 30

Non est gaudendum alienis malis, sed danda opera, ut illis fiamus cautiores, ne in illorum causam incidamus: nec inuidendum alienæ lætitiæ, sed gaudendū, tanquam si tibi contigisset.

31 Cor canum in iuuenili corpore.

Vt sit prudentia senilis in iuuenta: cor enim sedes est ingenij, & mentis, unde cordati homines.

32 Pedica, nimia fiducia.

Decipitur facilè, quisquis nimium fidit alijs: sed potißimum, qui sibi ipse. Ne uirtuti quidem suæ, unde facilè nascitur arrogantia, & uanitas, quæ sæpißimè uirtutibus succrescit.

33 Columbi oculus in serpentino corde.

Hoc ex Euangelio: Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ. Decet enim nos corde sapere, sed oculos in iudicando uti minimè maligno, aut uafro.

34 Oculus in sceptro.

Nulla uirtus magis decet principem, quàm prudentia. Quid enim aliud est potentia in stulto, quàm gladius in manu furentis? Istud sumptum ex Hieroglyphycis Aegyptiorum.

35 In uirtute delphinus.

Narrant nullum animaliū celerius esse delphyno. Admonemur non debere nos differre bene agere, sed

uti in

uti in eo aggrediendo magna celeritate.

In ultione Callipedes. 36

Suetonius in Tyberio refert, hunc seu hominem, seu animans aliud, quum diem totum se commouerit, non promouere tamen cubitum unũ, ut tarditas illa in prouerbium uenerit. Significat symbolum, lentißimos debere nos esse in ulciscendo.

Temporis minister. 37

Allusio ad uetus oraculũ, Tempori pare: de quo Plato, & Cic. & Seneca. Acõmodare se debet unusquisq; tempori, nec speret coacturũ se tempora, ut suis rebus seruiant. Ipse potius præsenti rerum statu subseruiat.

Temporis parcus dispensator. 38

Et istud uetus, Tempori parce. Nihil charius debet nobis esse. Quippe nihil est aliud tempus, quàm uita, quam unusquisq; tantum se amare profitetur, quũ nullius rei magis sit prodigus, quàm temporis. Seneca de breuitate uitæ, eòdem spectat:

Magno uendendum tempus. 39

Gloria Crocodilus. 40

Animal est in Nilo amne Aegypti, cuius hanc ferunt naturam, ut persequentes fugiat, fugientes persequatur: sic gloria quærentes fugit, negligentes sequitur. Sallustius de Catone: Quo minus gloriam petebat, hoc eam magis assequebatur.

41 Hemerobia uana gloria.

Aristoteles scribit, Ad Hippanim Scythiæ fluuium nasci bestiolas, quæ ad perendinum diem nunquam perueniant, quæ hac de causa dicuntur ἐφημερίδες, & ἡμερόβιαι, quasi diariæ: sic inanis gloria citò extinguitur, nec diuturna esse potest.

42 Disce uiuere.

43 Disce mori.

Vtrunq; ex æquo discendum, & rectè uiuere, & rectè moritur, Nemo rectè moritur, qui non rectè uixerit. Hoc est totius uitæ exercitium, ut bene uiuamus, nec iniquo moriamur animo.

44 Viue, ut pòst uiuas.

Sic est hic uiuendum, ut ad alteram perueniamus meliorem, atq; adeò ueram uitam: nam præsens uita quid aliud est quàm peregrinatio?

45 Virtus exercetur, non perit.

46 Generosa uirtus flatu accenditur.

47 Virtus inimicitijs fortunæ crescit.

Eôdem pertinet, Virtutem maiorem fieri aduersis, tanquã materia suorum incrementorum. Medium referri potest, uel ad flatum iratæ fortunæ, uel ad laudẽ.

48 Extorquet quies.

Nullum imperium grauius aut potentius quieto, in quo inest plus autoritatis & maiestatis, quàm in

uehement

uehementi & turbulento. Tale describit Vergil. 1. Aeneidos: Ac ueluti magno in populo. & Claudianus de consulatu Manlij Theodori: Imperium concitatum, ut multum habet impetus, sic minus uirium, citius contemnitur, facilius frangitur.

Terret imperium. 49

De imperio uehementi, quod metum quidem incutit, sed debilitat subditorum uires.

Blandum imperium imperiosum. 50

Maiores enim habet uires, & fortius cogit. Ausonius: Blando uis latet imperio.

Domitrix omnium patientia. 51

Vergilius: Vincenda omnis fortuna ferendo est. Fortuna & casus humani, & impetus hominum retunduntur, si oponatur moles patientiae: quod ostenderunt martyres nostrae pietatis.

Nobilitatem non dat unus dies. 52

Nemo est nobilis, quod his aut illis parentibus natus sit, nec sors nascendi, quae uno die contingit, facit nobilem, sed praeclari uirtutis actus. Iuuenalis: Tota licet ueteres exornent undiq; cerae Atria, Nobilitas sola est, atq; unica uirtus.

Generositas uirtus non sanguis. 53

Ad idem tendit. Inductione ad eam rem utuntur, Quis equus generosus? quis canis? nonne qui optimus.

mus? & sic in cæteris animantibus, ac stirpibus. Ergo *& generosus homo non alius, quàm optimus.*

54 Fortuna nimis blanda, hamata.

Publius in Mimis: Fortuna cum blanditur, captatum uenit. Nulla est alia Fortuna, quàm Deus: sed ad monemur, non efferri, non fidere corporis aut diuitiarum successibus: hi enim fortunæ nomine solent intelligi. Nec Deus nos fallit, ipsi nos fallimus, stultè utentes rebus.

55 Fortuna fallacior, quò blandior.

Quod ego ad moderationem animi Cardinali Cronio dederam: sed non tam symbolum id fuit, quàm uaticinium. Nam quum se effusissimè fortuna in illius & Ceruiani patrui sinum effudisset, repentè utrunq; absumpsit, sed Cardinalem adolescentem adhuc, alterius & uiginti annorum.

55 Stabilissima fortuna stultissima.

Idem Mimus: Fortuna nimium quem fouet, stultũ facit. Adimit enim mentem, & tantis successibus insolescit animus humanus, ut iam nec alios ferre poßit, nec se. Memini matrem tuam sapientißimam fœminã dixisse mihi, quum à Sion ad Richemundiam cymba reueheremur, se quidem temperatam & mediã quandam fortunam malle, quàm uel asperrimam, uel lenißimam: alterutrum tamen optandum si esset, electuram

tam citius tristißimam, quàm blandißimam: infelicibus non deesse consolationem, fortunatiß. deesse mentem. Quod dictum uerè pudici pectoris & sapientis, ego apud multos in hac regione celeberrimum feci.

Corpus excors fragile. 57

Horatius: Robur sine consilio, mole ruit sua: & apud Ciceronem sæpe, Nihil esse uires citra consilium.

Cor uel incorporeum firmum. 58

Consilium magnas per se habet uires, etiamsi corporeæ uires desint: quod ostendit natura in formicis, & apiculis. Sallustius: Non uiribus, aut uelocitate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate. Eadem est sententia Ciceronis in Catone maiore.

Fideli nullæ seræ. 59

Omnia ei concreduntur, nihil est ei clausum. Theognides: O Cyrne, argento fidelis prestat & auro. Contrà, infideli nihil est satis clausum.

Autoritas rerum gerendarum telum. 60

Plura perficit autoritas, quàm uires, aut etiam consilia. Declarari hoc potest in principibus, qui magnas res gerunt, non tam opibus aut sapientia, quam autoritate & maiestate. Bella dicebat Cæsar, fama plurimum confici. Multum quoq; interest, quis dicat, honoratus an inhonoratus: ut ait apud Euripidem Hecuba.

mus? & sic in cæteris animantibus, ac stirpibus. Ergo *& generosus homo non alius, quàm optimus.*

54 Fortuna nimis blanda, hamata.

Publius in Mimis: *Fortuna cum blanditur, captatum uenit. Nulla est alia Fortuna, quàm Deus: sed ad moneмur, non efferri, non fidere corporis aut diuitiarum successibus: hi enim fortunæ nomine solent intelligi. Nec Deus nos fallit, ipsi nos fallimus, stultè utentes rebus.*

55 Fortuna fallacior, quò blandior.

Quod ego ad moderationem animi Cardinali Cronio dederam: sed non tam symbolum id fuit, quàm uaticinium. Nam quum se effusißimè fortuna in illius & Ceruiani patrui sinum effudisset, repentè utrunq; absumpsit, sed Cardinalem adolescentem adhuc, alterius & uiginti annorum.

55 Stabilissima fortuna stultissima.

Idem Mimus: Fortuna nimium quem fouet, stultũ facit. Adimit enim mentem, & tantis successibus insolescit animus humanus, ut iam nec alios ferre poßit, nec se. Memini matrem tuam sapientißimam fœminã dixisse mihi, quum à Sion ad Richemundiam cymba reueheremur, se quidem temperatam & mediã quandam fortunam malle, quàm uel asperrimam, uel lenissimam: alterutrum tamen optandum si esset, electuram

tam citius tristißimam, quàm blandißimam: infelici- bus non deesse consolationem, fortunatiß. deesse men- tem. Quod dictum uerè pudici pectoris & sapientis, ego apud multos in hac regione celeberrimum feci.

Corpus excors fragile. 57

Horatius: Robur sine consilio, mole ruit sua: & a- pud Ciceronem sæpe, Nihil esse uires citra consilium.

Cor uel incorporeum firmum. 58

Consilium magnas per se habet uires, etiamsi cor- poreæ uires desint: quod ostendit natura in formicis, & apiculis. Sallustius: Non uiribus, aut uelocitate cor porum res magnæ geruntur, sed consilio, autoritate. Eadem est sententia Ciceronis in Catone maiore.

Fideli nullæ seræ. 59

Omnia ei concreduntur, nihil est ei clausum. Theo gnides: O Cyrne, argento fidelis præstat & auro. Con- trà, infideli nihil est satis clausum.

Autoritas rerum gerendarum telum. 60

Plura perficit autoritas, quàm uires, aut etiam consilia. Declarari hoc potest in principibus, qui ma- gnas res gerunt, non tam opibus aut sapientia, quam autoritate & maiestate. Bella dicebat Cæsar, fama plu rimum confici. Multum quoq; interest, quis dicat, ho- noratus an inhonoratus: ut ait apud Euripidem He- cuba.

61 Veraci creditur, & mentienti.

Propter autoritatem, & praeceptam fidem.

62 Mendaci non creditur, & iurato.

Aristoteles interrogatus, quid lucrarentur mendaces: respondit, ut quum uera dicant, nemo credat.

63 Magnes amoris amor.

Nihil est quod sic eliciat amorem, ut amor. Martialis: Hoc non fit uerbis Marce, ut ameris ama. Est naturalis quaedam in rebus coniunctio & harmonia, ut nemo illum oderit, à quo diligitur. De hoc Plato, Seneca, & alij.

64 Philtra amor.

Itaq; non est opus alio poculo amatorio, ad amorem exprimendum, quàm amore.

65 Magnum satellitium amor.

Claudianus: Non sic excubiae, nec circunstantia pila, Vt tutatur amor. Sallustius: Non arma, aut opes praesidia regni sunt, sed amici: nemo enim uult nocere ei quem amat. Simile est quod sequitur.

66 Firmissimae opes amor.

Non modò impia, sed stulta est etiam in rebus mundanis illorum uox, qui aiunt omnia in pecunia esse cōstituta, amorem parum posse, quum uideamus maximas opes propter odium subuersas: minimas uerò, & infirmas, in amicitijs constabilitas. Hinc uerbum uetus:

tus:Vbi amici, ibi opes. Apud Germanos & Scythas nullæ fuerunt olim opes aliæ.

Vbi terror,ibi timor. 67

Necesse est eum timere, qui terret alios: ex uetere sententia,apud multos celebri.

Vbi uber,ibi tuber. 68

Apuleius in Floridis: Nihil quicquam homini tam prosperum diuinitus datum, quin & tamen admistum sit aliquid difficultatis, ut etiam in amplissima quaq; lætitia subsit,quæpiam uel parua querimonia,coniugatione quadam mellis & fellis; Vbi uber,ibi tuber.

Omnia proposuit labori Deus. 69

Horatius:Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus. & Vergilius: Labor omnia uincit improbus. Ferunt fabulæ,Iouem hominibus omnia uenalia exposuisse,precium esse laborem. Dici nõ potest,quantum in re omni ualeat quantulacunq; sedulitas,ut de formicis scribit Plinius.

Immodica imbecilla, 70

Modica firma. 71

Quum Theopompus rex Lacedæmoniorum Ephoros regio imperio opposuisset, querenti uxori, quòd minorem filijs potentiam esset traditurus,quàm à patre accepisset:Atqui firmiorem,inquit. Nodicum uerò cum mediocre est, tum moderatum:utrõq; dictum pertinet.

pertinet. Et in omni uita res mediocres iucundiores ac stabiliores sunt, quam uastæ atq; immanes. Vnde illud Hesiodi: Dimidium plus toto: quia mediocritas nimietate præstabilior, & Claudianus: Viuitur exiguo melius.

72 Magnus ope minorum.

Nemo ad magnitudinem peruenit, nisi auxilio minorum: quo grauius est illum infirmiores despicere, quorum adiumento eò euectus est, unde hoc ipsi facere liceret.

73 Vicit uim uirtus.

Virtus ut Deo cognata, uires omnes hominum infringit.

74 Stratuit fortunam uirtus.

Multis exemplis ostensum est, potentiorem esse uirtutem opibus, & casibus fortuitis, ut magni & excellentes uirtute uiri humanos casus sublimes & intrepidi calcarint, & quibus opes succubuissent, ea uirtus superauit, uelut carcerem Socrates, Rutilius exilium, inimicitias potentum Cato, sed atrocissima dictu nostri martyres.

75 Fortitudo in fortunam, non homines.

Non est fortitudo cædere, sternere cladem hominibus afferre: hoc beluarum est, non hominum. Vera fortitudo est, uitia cohibere, fortuita despicere, nihil nisi

probitatis timere iacturam.

Optima, cibus inuidiæ. 76

Inuidia non arrodit, nisi excelsa & optima: humilia, abiecta, uilia negligit, non sunt illi esui. Molestum est inuidiam ferre, & tamen molestius, nihil habere inuidendum.

Inuidia sibi & alijs uenenum. 77

Alia perimit, sed primum seipsam: in cæteris inuidia est iniquißima, in hoc æquißima, quòd & illum tanquam ueneno consumit, in quo est, & eum ulciscitur quem impetit.

Inuidia uipera. 78

Ferunt hanc edi, arrosis matris lateribus: ita priusquam exeat, matrem perimit. Sic inuidia, primum omnium enecat eum in quo gignitur, tum prodit uenenatißima fera.

Quod Deo & homini. 79

Aequum est nos ipsos uoluntati Dei præbere morigeros, ac obsequentes: nobisq; idem placere, quod Deo: ne quis indignetur, aut improbet res sic aut aliter euenire, quum autor sit omnium Deus: nos quorsum tendant ignari.

Da cæcus. 80

Accipe oculatus. 81

Decet eum qui dat, non meminisse beneficij, nec multum

multum spectare cui det, certè continuò oculos auertere, ne exprobrare aut imputare uideatur, aut laudem quærere: eum uerò, qui accipit, intueri non tam munus, quàm dantem, & semper meminisse gratiæ. Idcirco fingunt tres esse Gratias, duas nunquam retrospicere, tertiam semper priores intueri.

82 Bonus bonis & malis.

83 Malus nec malis, nec bonis.

Bonus & admirabilis, & charus est bonis & malis: malus uerò neutris.

84 Præsidium in innocentia.

Inter tot uitæ huius pericula, quum reliqua omnia iniuriæ obnoxia sint, innocentiæ noceri non potest: tū & reliqua fluxa, & euanida, & infirma sunt: sola innocentia efficit, ne aliquâ uiolari poßimus: nec quisquā alia re magis fidere, aut alia debet comparare suæ salutis munimēta, queis non tutus modò agat inter pericula, sed inter maximos terrores securus. Innocentia humanorū summum, inquit Plinius in Præfatione.

85 Matura.

Quod aliter dicitur, Festina tardè. Augusti uerbum apud Suetonium. Per quod intellige, debere in negocijs gerendis celeritatē tarditati admisceri, nec quicquam nimis properantur agi, nec nimis lētè. Hæc duo uerbo unico significari putant Matura, ut apud Salluſtium:

Sallustium: Nam prius quàm incipias, consulto: & ubi consulueris, maturè opus est facto. Quanquam in consulendo uelim suscipi plus tarditatis, in agendo autē, modò sit satis grauiter deliberatum, plus celeritatis.

Ciconiæ beneficium. 86

Ciconiæ hic est mos, ut unum è pullis relinquat ei domui, in qua est nidulata. Tùm & parentes senio defectos tandiu & nutrit, & gestat humeris, quàm ipsa ab eis fuerat paruula atq; imbecillis educata, unde ἀντιπελαργεῖν. Ita optimè in eam collocatur beneficium, & in homines gratos, qui eius significātur nota, tametsi commodandum est cuicunq; poßis. Quod uulgò nostrates dicūt, Benefac, nec spectes cui, sed gratis, potißimum propter exemplum.

Comœdia uita humana. 87

Est enim seu ludus quidam, in quo unusquisq; agit personam suam. Danda est opera, ut moderatis affectibus transigatur, nec cruenta sit Catastrophe, aut funesta, qualis solet esse in Tragœdijs, sed læta, qualis in comœdijs, ideo additur.

Ne uita tragœdia. 88

In qua turbulenta & sæua sunt omnia.

Confide rectè agens. 89

Neminem metue innocens. Nam probo animo nemo potest nocere, & si corpori noceat, hactenus nocet, ut

ut animam ex eo tãquam è carcere in libertatem emittat, ueramq; uitam.

90 Veritas temporis filia.

Verum quod diu latuit, procedente tempore existit & apparet, ne quis fidat mendacio, uel putet in occulto semper ueritatem fore. Cicero: Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

91 Lupus mendacio tempus.

Vorat enim, & absumit.

92 Veritas premitur, non opprimitur.

Laborat uerum, sed eluctatur tandem.

93 Mendacio comites tenebræ.

Tandem enim obscuratur, tum & amat tenebras, quibus tueatur sese.

94 Veritatis splendor comes.

95 Exilium inter malos.

Non est exilium à patria abesse, sed à bonis, & inter malos agere. Relegarant Sinopenses Diogenem Cynicum: Et ego illos relegaui, inquit Diogenes: quũ hic Athenis uiueret, illi in Pontica barbarie.

96 Ne hilarem insaniam insanias.

Ex Seneca: quum quis mente abiecta, uel submersa, uoluptatibus se & delicijs mancipauit.

97 Inter spinas calceatus.

Admonet, non incautè agendum inter inimicos: quumq;

quumq; inimicis septa sit hæc uita, circunspectione & magna cautione opus est ad eam transigendam.

Deum sequere. 98

Vetus dictum ἕπου θεῷ. potest sic dici, Deus dux: ut illius & ductui atq; auspicijs te totũ in hac uitæ militia permittas, & imperijs obtemperes, & exemplum æmuleris.

Fama pluris quàm opes. 99

Et iucundior est, & utilior. Multos uidemus magnis spoliatos opibus propter aduersam famam, alios propter secundũ & fauorabilẽ rumorẽ locupletatos.

Virtus pluris quàm fama. 100

Res solida & firma, & perennatura pluris æstimãda est, quàm ficta, atq; adumbrata: & corpus quanto maioris, quàm umbra?

Virtutis umbra gloria. 101

Ex Socrate. Ideo compendiosa est ad gloriam per uirtutem uia.

Oculus in pectus. 102

In pectore est cor, sedes cogitationum. Perinde est ac si dicas, Nosce teipsum.

Non extorquebis amari. 103

Claudianus in Panegyrico sexti cõsulatus Honorij. Cætera extorquentur ui, amori non potest uis inferri.

Tempus edax rerum. 104

Ouidij in Metamorph. 15. & Aristoteles: Omnia tempore contabescunt, & decidunt, præter Deum: & spiritus, quibus ille immortalitatem communicauit.

105 Subiecta Dei manu consistimus.

Nec angeli, nec animæ nostræ sunt natura sua immortales, sed uoluntate Dei: nec res ulla uel momentum duraret, nisi eam regentis Dei cura sustineret. Quo intolerabilior est in tanta infirmitate superbia, aut ingratitudo, si non agnoscis cuius munus sit uita, & ea quibus intumescis.

106 Gloria uento discutitur.

Quum aliud non sit, quàm flatus quidam.

107 Propter inuidiam uel opulentiam.

Inuidia, inquit Sallustius, ex opulentia orta est: ideo opes celandæ sunt, ne inuidiam nobis pariant: graue est enim eam ferre, quamuis innoxiam.

108 Honores onera.

Multæ curæ & solicitudines suscipiendæ sunt, multi labores adeundi constitutis in dignitate, aut honore, maximè quum illum student conseruare. Non minus erit uenustum, si dicatur, Fasces, fasces. Erant fasces magistratum Romanorum insignia, sunt & fasces sarcinæ ac onera.

109 Virtutis radices altæ.

Ad stabilitatem uirtutis pertinet, quum reliqua uix summo solo hæreant.

Mortalibus immortalia præferenda. 110

Vt uirtus & eius æternum præmium, diuitijs aut honoribus, quibusuis humanis affectibus.

Alata ætas. 111

Celerrimè enim auolat: Et fugiunt freno non remorante dies. Et hoc citius, si sit bona ætas: nam mala diutius immorantur, & premunt.

Fidens, non confidens. 112

Sperandum est bene, sed non stolidè, aut imprudenter: quumq; incerta sint omnia futura, nec in felicitate attollendus est animus, nec in aduersis contrahendus. Nec id tamen sperandum, aut aggrediēdum quod maius sit uiribus, aut uerecundiæ terminos excedat.

Cuius pudebit, pigeat. 113

Ne feceris, quod factum nolis. 114

Finis in re omni spectandus est: stultumq; est id agere, quod postea multo redempturus sis. Ne feceris, quũ parum proderit pœnitentia.

Stulta de alienis superbia. 115

Videtur enim absonum, si ob eas te res extollas, quæ tuæ non sunt Porrò quid sit alienum, declaratur proximo symbolo.

Alienum quicquid adimitur. 116

Quod tolli potest, nostrum non est, ut fortuita & corporea: solus animus est noster.

117 Quod commodauit fortuna, tollet.

118 Quod mutuauit natura, repetet.

119 Quod parauerit uirtus, retinebis.

Commodata uidentur à fortuna, quae eadem redduntur: mutuata à natura, quae similia, non eadem: sed utraq; non diutius futura sunt apud nos, quàm creditor aut commendator permiserit. At uirtutis praeclara facinora, quemadmodum inquit Sallustius, sicuti anima ipsa, immortalia sunt.

120 Princeps priuatis sublimior sentiendo.

Non decet principem aut opibus modò, aut potentia priuatos excellere: sed sensu quodam & opinionibus supra popularem captum sapientißimis, ut non moueatur exiguis & uilibus reculis, sicut plebecula, sed sit in eo, ut dignitas, ita sapientia quaedam singularis. Indignum enim est, eos, quibus caeteri parent, non melius de rebus censere, quàm uulgus imperitorũ hominum.

121 Princeps multis consulendo.

Hoc demum est principem agere, publicas utilitates suis anteponere, existimareq; neminem esse inter subditos, cuius cura peculiariter ad se non pertineat. Itaq; princeps officium suum implet, propria commoda &

da & proprios affectus exuendo, induendo, commu-nes. Idcirco enim electi sunt principes, ut essent qui suis priuatis soluti curis, publicis excubarent. Licebit & sic dicere: Officium est imperare, non regnum.

Tu tibi uenerabilis. 122

Ne quid turpe uel agas, uel cogites, reueritus te-ipsum.

Malum occultum, perniciosissimum. 123

Non enim potest aut pœnitudine deleri, aut casti-gatione tolli, aut explicatione leuari, aut consolatione leniri, siue sit delictum, siue affectus aliquis.

Non quandiu, sed quàm bene. 124

Ad uitam & actiones omnes pertinet. Multis bre-ue tempus seu uitæ contigit, seu quid aliud agendi: ne mini adempta est in quantulocunq; tempore facultas rectè se in eo gerendi, quod instituit. Ideo non refert, quanta sit ei diuturnitas, sed qualis administratio: nec uitam, ut sit bona, longam esse oportet, uel in uno mo-mento sanctißimè licet uiuere.

Nomen præ opibus. 125

Pluris enim faciendum est bonum nomen, quàm di-uitiæ multæ, iuxta sententiam Solomonis.

Odiosus, modò immeritò 126

Ne cures, quòd odio habearis, modò id culpa tua non contingat, quòd aliquid ipse feceris odio dignum.

127 Ingratitudo multis immeretib. noxia.

Cessant enim homines benefacere, si in ingratos inciderint. Ita gratos recusant experiri, ab ingratis læsi. Idcirco lex erat in Græcia aduersus ingratos, quod id uitium uideretur communioni, & societati hominum uehementer damnosum.

128 Iniuria obliuione ulciscenda.

Non est uerior aduersus iniuriam ultio, quàm si obliuiscaris eius: sic enim nec animum uret, nec magis lædet, quàm si facta non esset.

129 Præcipitis consilij assecla pœnientia.

Multum enim cogitandum & deliberandum est, antequam statuas. Sententia ex Platone sumpta.

130 Quod uni, & omnibus.

Pari sumus omnes creati lege: quicquid uni euenit, potest & omnibus euenire: ne quis quum aliena uidit mala, securus agat.

131 Ne ferrum igni.

Non est ira ferro armanda. Ex Pythagoræ symbolis.

132 Lachrymis ignis extinguendus.

Iram contra te lachrymis & pœnitentia, & petitione ueniæ placato, non solùm Dei, sed etiam hominum, Non est turpe ueniam precari, turpe est Deum aut hominem habere inimicum,

Fasti-

Fastigio caput summitte. 133

Potentiæ cede: ne cum opulẽtiore, aut maiore, aut meliore contendito.

Falso nomine non gaudendum. 134

Fluxum est enim, & momentaneum: nec iuuat, quũ reclamet conscientia.

Amicus, ut non alius. 135

Inimicus ut non idem. 136

Amicus sic amandus est, sic colendus, sic cum eo uersandum, ut non putes posse inimicum fieri: inimicum uerò sic oderis, tanquam aliquando amicus sit futurus: in quo damnatur à Cicerone sententia Biantis Prienæi, quam sequutus est in Mimis Publius.

Quod uideri uis, esto. 137

Nulla uia facilior, non idem ualent fucata & simulata, quod uera & solida: magna istis inest uis, infirma sunt illa.

Oculum in metam. 138

Spectandus est in rebus omnibus finis & exitus, ne præsentibus periculosè decipiamur.

Nocens metuit pœnam. 139

Innocens nec casum. 140

Nocens stimulante conscientia, metuit paratam legibus pœnam: innocens fiducia conscientiæ nec humanos casus pertimescit, quum sua omnia in se uno,

hoc est, in animo & uirtute posita esse ducat: tum & illũ sequitur, illi fidit, in cuius manu sunt casus omnes.

141 Excusanda seruitus sub necessitate.

Non dico honesta, ut Publius, sed excusanda: causam enim probabilem potest afferre, cur seruiat, quia necessitate impellitur. Sed multum interest, quã quisque fingat sibi necessitatem.

142 Ne à pudendo uincaris hoste.

Vt uoluptatibus, libidinibus, cupiditatibus, ira, & cæteris uitijs.

143 Turpibus ne seruito.

Vt uitijs, & malis hominibus, quorũ consuetudine fis peior, & eorum sceleribus uideris esse administer.

144 Amicum inimicum fugito.

Hoc est, assentatorem, fucatum amicũ, & eum qui sub amicitiæ nomine odit, aut contemnit, aut inuidet: sunt enim, qui amicos infelices diligunt, felicibus inuident. Tum illos potißimum fugito, qui amorẽ simulant, quum insidientur probitati & uirtuti: aut qui familiaritate ostensa, labem & ignominiam afferunt: quiq; ad flagitia & facinora uel exhortantur, uel incitamento sunt exemplo sui.

145 Ne lingua mente celerior.

Cogitandum prius quid loquaris. Velocißimus datus est

tus est animus, ne quid poßit eum praeuertere, si uelit: debet hic esse linguae clauus.

Bellum cum uitijs. 146

Non cum hominibus debet geri bellum, nec uires ac robur in eos ostentandae, sed in uitia, qui sunt ueri hostes nobis exitiabiles.

Diuitiae iniuriae pignora. 147

Ex Eucherio Lugdunen. Multis fit iniuria, tantum ut tollantur opes, expilantur à furibus, spoliantur à latronibus, & caeduntur: in hos calumniatores inuadunt, in hos iudices acriter cognoscunt, & animaduertunt: praesertim in ijs criminibus, ob quae fortunae adimuntur, in quibus nulli tutiores sunt, quàm qui quod perdãt nõ habent. Nulli periculo propiores diuitibus.

Bona ad benefaciendum. 148

Non conuenit bona uel animi, uel corporis, uel externa data esse homini ad nocendum, nec ad malefaciendum tributa sunt, quod nomen ipsum indicat, ut et sibi prosint, & alijs.

Maximae opes, prodesse. 149

Nihil iucundius ipsi, qui id facit, nihil eidem tutius, nam qui profuit multis, hunc tuentur multi.

Thesaurus gratia boni. 150

Magnus est thesaurus gratia, quàm uir bonus debet pro beneficio.

151 Quod uides, non diu.

Quæcunq; in uita cernis, non diu cernes: aut enim illa interitus auferet, aut te.

152 Vt uerax, ne suspicax.

Ex Eucherio. *Qui enim suspicax est, facilè quæ cō perta non habet, affirmabit: ita mentietur affectus impulsu.*

153 Non diues, ni contemnas.

Ex Seneca. *Nemo enim suis diuitijs, ut oportet utitur: nec fructum ex eis ullum capit, qui noctes & dies pro illis est solicitus: qui uerò poßidet tanquam alienas, hic demum tanquam suis fruitur.* Nullum bonum *iuuat animum, nisi ad cuius amißionem ipse præparatus est: hinc illud* Mimi: *Despicere oportet, quod poßis deperdere.*

154 Expende.

Singulorum pondus & precium æstimandum, tum quæ dicturus, quæq; acturus, exordia, progressus, exitus rerum.

155 Sine querela.

Viuendum ita, ut non sit cur uel de te quisquam cō queratur, uel ipse de quoquam, aut de fortuna: nec ipse cuiquā facias iniuriam, nec factam tibi credas. Seneca de tranquillitate uitæ: *Assuescendum itaq; conditioni suæ, & quàm minimum de illa querendum, & quic-*

quid

quid habeat circa se commodi, apprehendendum. Nihil *tam acerbum est, in quo non æquus animus solatiũ inueniat.* Hoc est *symbolum nostrum.*

Frenum in lingua. 156

Ne soluta dicat, quod noceat: unde infrenes nominantur.

Ne bos in lingua. 157

Allusio ad uetus prouerbiũ. Bos *moneta erat nummi* Attici, *& hinc ipse nummus sic appellabatur.* Qui *tacebant precio conducti, dicebantur loqui non posse, quòd bouem haberent in lingua. Simile est illud, quod in* Demosthenem *mercede tacentem, quum anginam causaretur, quidam dixit:* Non *anginam patitur, sed argentanginam.*

Accuratè cogita immutabilia. 158

Multum deliberandum est antequam facias, quod factum mutari non poterit: ut, ducere uxorem, sacris initiari, aut bellum suscipere, aut prælium cõmittere. Potest *etiam aliò referri, ut multũ de æternis illis post uitam cogitemus, quo sanctius hic uiuamus.*

Longius, modò tutius. 159

Ad *uitam spectat, ad tempus etiam, ne sectemur dispendiosa compendia uel in eruditione, uel in parandis opibus, aut eiusmodi.* Augustus *solitus erat dicere:* Sat *citò, si sat bene.*

Populo

150 Populo cede, non pare.

Non est cum multitudine pugnandum, belua multicipiti, sed nec eius opinionibus assentiendum.

151 Et pilo sua umbra.

Nullus est tam contemptibilis, qui non & prodesse in loco, & quod facilius est, nocere poßit, ideo nemo contemnendus.

152 Hospes ne curiosus.

In aliena domo, in aliena ciuitate decet unumquemque modestè se gerere, nec curiosè se interponere in administrationē, multò magis conuenit nos in hoc mundo, minimè sollicitè aut curiosè agere, in quo planè hospites sumus, seu exules uerius.

153 Cæde, modò doce.

Ex amore, sciendi dictum à Diogene Antistheni, *cum is sustulisset baculum, ut discipulum cæderet molestum sciscitatorem.*

154 Magnum hospitium magni hospitis.

Non potest esse exiguum hospitium, quod implet magnus hospes, nec contemnendum id corpus, quod inhabitat excellens animus.

155 Tota uita dies unus.

Ex Q*uintiliano in* Mathematico, Si *omnia uitæ huius diligenter excutiantur, quid aliud est uita tota, quàm dies unus? aut quid est in uniuersa uita, quod* non

non sit in quouis die? ut mirandum sit, non exatiari homines eisdem toties redeuntibus.

Diarij omnes. 166

Ex superiore pendet, & ad breuitatem ætatis refertur.

Ex usu, non collatione fortuna. 167

Vt sis diues, non spectandũ est tibi quantum alij possideant, sed quanto tu egeas.

Maiores superbus, minores mœstus. 168

Ad minuendam superbiam spectet quisq; præstantiores se, in eo de quo intumescit, ad leniendum mœrorem, infeliciores in eo de quo tristatur.

Foris Argus, domi talpa. 169

In eos, qui in aliena mirè oculati sunt, ad sua cæci. Argus centoculus fuit, talpa est cæca. Fabella est de manticis apud Aesopum & Persium, quarum altera dependet ad pectus, in qua sunt aliena uitia, altera ad tergum, in qua nostra. Potest etiam dici, Domi Tiresias, foris lynx.

Ne nimium scrutare. 170

In eandẽ sententiã, & sic, Nec molestus percõtatur.

Certum incerto. 171

Nihil est uita incertius, in hac paranda est uirtus, certißima poßeßio, intuenda altera illa immortalis, cogitanda mors, qua nihil est certius, uanæ & incertæ

spes

spes, & solicitudines dimittēdæ, ut quibus (quēadmodum Manlius inquit) dum quærimus æuū, perdamus.

172 Voluptates specta abeuntes.

Nam quum adueniunt, delectant, ideo pulchræ iucundæq; existimetur: recedentes turpitudinem ac fœditatem suam produnt. Posset sic affirmari, In uoluptate dorsum, non faciem. Videbis fœditatem earum, & pœnitentiam quam relinquunt: sic fiet, ut eas auerseris ac detesteris.

173 Voluptas malorum esca.

Platonis sentētia: Malus capitur uoluptate, bonus consilio: bono uiro Deus est lex: malo, cupiditas.

174 Falle uiuens sed non te

Vetus erat, λάθε βιώσας. Putant fuisse dictū Epicuri, de quo Plutarchus, & horatius: Nec uixit malè, qui natus moriensq; fefellit. Addendū tamen, ne quis seipsum in uita ignoret, & si ab alijs ignoretur.

175 Non refert, quà, sed quò.

Nihil refert quà transeas in hac peregrinatione uitæ, sed quò peruenias: in omni loco, in omni fortuna licet rectè agere, & illò peruenire quò intendimus.

176 Scopulus in undis.

Vt sit in animo tanta firmitas, quam undæ omnes, & fluctus humanorum casuū concutere non ualeant, semper immobilis, & altior fortuna.

Miserri-

Miserrimum pendere. 177

Inter spem & metum suspensum esse, miserrimum.

Ne bis puer. 178

Antiquum prouerbium, Bis pueri senes, de senibus deliris & dementibus, admonet, ne in grandiore ætate uiuamus, aut sapiamus pueriliter.

Ne laborem citra præmium. Et, 179
Ne laborem laboris præmium.

Laboris in res mundanas uel præmium est nullum, aut certè uanitas, uel alter labor honestior quidem sed molestior, ut qui dignitates dignitatibus mutant. Sic clamat Hercules ille in tragœdia: Finis unius mali, gradus est sequentis. Interim præmium borum laborum est sempiternus cruciatus, sicut Paulus inquit: Stipendia peccati, mors.

Pertuso dolio, nihil infunde. 180

Allusio ad dolium Danaidum apud inferos, ut habent fabulæ. Ad multa tendit, ne quid des prodigo & profuso: ne rimosæ auri, & loquaci arcanum credas, ne cupiditatibus inseruias, ne uoluptatibus obsequaris, ne insatiabilibus largiri assuescas.

Turpe gigantem in nano. 181

In tam pusillo corpore, quantum natura dedit hominibus, tam fragili & infirmo turpissimum est esse

tam ferum & superbum animum, qui stultitia & superbia cœlos etiam contingat.

182 Difficilis gloriæ custodia.

Quam multa perferenda sunt studioso gloriæ, ut paretur, ut parta conseruetur: maior perpetienda est seruitus, quam emptis de lapide: quum gloria nisi fundamentis uirtutis innitatur, fugacißima sit.

183 Malus potentiæ custos metus.

Fragiles opes, quas multi metuunt, ac proinde oderunt. Sententia est omnium ferè sapientum, quam tractat in officijs Cicero.

184 Nescis quid uesper serus uehat.

Futura incertißima, ne quis nimium uel confidat, uel desperet. Dictum est Varronis, qui sic Satyras aliquot suas inscripsit. Eôdē refertur, Inter os & offam.

185 Faciem ne aperias.

Tecta est facies humana uerecūdia, quod solum uelamentum reliquit ei natura. Non est exuenda tā honesto tegumento, nihil enim inuerecundia detestabilius.

186 Manum per frontem ne ducito.

Allusi ad illud, perfricare frontē, siue faciem, siue os. De ijs dictum, qui pudorem excutiunt.

187 Splendor summus non intuendus.

Solem si sereno cœlo intuearis, nocet oculis, interdum excæcat: sic si diuinitatis fulgorem tentes contē-

plari

plari, oculos mentis amittes. Qui scrutatur maiesta-tem, inquit Sapiens, opprimetur à gloria: non capiunt angustiæ mentis humanæ rem tam sublimem atque amplam. Non uidebit me homo, & uiuet, ait Deus: adoranda sunt hæc, non scrutanda.

Linguas ne præscinde, sed caue. 188

Non est libertas hominibus tollenda: nam sicut Augustus dixit: Decet in liberis ciuitatibus liberas esse linguas: sed sic uiuendum, ne sit cur homines suam in te libertatem uelint exercere.

Ora uirtute obtura, non metu. 189

Eòdem spectat: Nõ claudenda sunt ora metu, operculo fragili & inualido: bene agendo efficies, ne quis malè de te sentiat, ac proinde nec loquatur.

Cogitatus liber. 190

Nemo prohibere potest quenquam cogitare.

Cogitatus quis coget? uis ueritatis. 191

Hæc enim suspiciones oẽs tollit, et tãta est, ut ultro in mẽtes hominũ se insinuet, efficiatque, ut nemini aliter libeat cogitare, sæpe nec liceat. Ideo rectè agẽdũ est: nõ aliter assequemur, ut omnes de nobis rectè sentiant.

Homo homini par. 192

Ne quis supra hominem se efferat, ne contemnat, ne despiciat, ne se præferat alteri, quum simus omnes à Deo parente omnium æquo iure conditi, & in hanc

uitam mißi. Poteſt etiam ex Seneca ſic dici: Deo imperium, homini conſortium.

193 Suauiſſimus poſt laborem fructus.

Sic demum frui iuuat, quum res labore quæſita eſt: ut moleſtia præterita uſu præſenti leuetur. Vulgare eſt, Parta labore iuuant.

194 Animo corpus fulciendum.

Non ſuccumbendum operibus honeſtis, & deficientibus corporis uiribus: animi conatus tantus ſit, ut labens ac decidens corpus ſuſtentet, ex Seneca lib. de Vita beata.

195 Nocẽs ſe iudice nunquam abſoluitur.

Semper enim accuſatur & condemnatur à conſcientia mentis ſuæ. Iuuenal. Exemplo quodcunq; malo committitur, ipſi Diſplicet autori: prima hæc eſt ultio, quòd ſe Iudice nemo nocens abſoluitur. De hac re Cic. in Piſonem, & pro Roſcio Amerino, & Seneca multis in locis. Apud Quintil, eſt illud prouerbij loco, Conſcientia mille teſtes:

196 Ebrietas nec madida, nec ſicca.

Ebrietas madida eſt, quæ fit ex uino aut ceruiſia: ſicca uerò, quæ affectu aliquo immodico, cum is uim omnem mentis et iudicij conſopiuit, ut ira, lætitia, metus, inſolentia ex immodicis fortunæ ſucceßibus: arrogantia, uoluptates, & omne delectamentorum genus,

quam ebrietatem Græci uocant ἄοινον, quasi inuinam. Vtraq; cauenda, utraq; hominem extra se pellit, & impotem sui reddit.

Potentiorem in te ne admittito. 197

Consuetudo uitiorum, & qui à philosophis habitus dicitur, à Græcis ἕξις, uiolentissimus est tyrannus, quum animum occupauit. Ideo magnopere laborandum est, ne quis talis in nobis inualescat: non erimus nostri iuris illo admisso. Idem dicendum de multis perturbationibus, ut ira, ut auaritia, sed potissimùm ludi cupiditate, amore, & uoluptate.

Precibus emptum charum. 198

Vulgare dictum. Cicero: Emere malo, quàm rogate. Idem Apuleius in Florid. Magnum precium sunt preces, quippe illis additur uerecundia. Sic igitur te compara, ut paucis egeas, quò pauca roges: & rogatus magnum te credito accepisse precium eius quod rogaris, ne sis exoratu difficilis.

Quiesce nihil acturus. 199

Dictum Attilij, quod citat Plinius Nouocomensis: Satius est ociosum esse: quàm nihil agere. Nihil agere, est rem inutilem, aut non successuram tractare; consultius est quiescere, quàm id agere.

Ingenium inexercitatum, torpidum. 200

Cato ingenium hominis dicebat ferro esse simile,

 quod

quod ex usu splendescit: at in ocio, rubigine obducitur & exeditur. Exercendum *semper ingenium: ocia enim feraciss. uitiorum seminarium, sed honesto aliquo & pulchro opere, uelut eruditione & uirtute: nam rebus flagitiosis aut turpibus exercere, hoc uerò nõ exercere est, sed corrumpere, de quo est sequens symbolum.*

201 Ingenium situ pereat, non sentibus.

Præstat ociosum degere, quàm malis exercitamentis occupari.

202 Nullus sine linea dies.

Ex *uetere dicto, & more* Apellis Coi *pictoris, qui tanta fuit in arte sua diligentia, ut nullus præteriret dies tam alijs rebus occupatus, in quo non ipse saltem lineam aliquam penicillo duxisset.* Et *erat olim maxima pars artis in lineis tenuißimè ducendis sita.* Ad*monet, non debere diem ullum abire, in quo nõ aliquid dignũ homine egerimus: opus uidelicet ingenij, uel ad eruditionem, uel ad prudentiam, uel ad probitatem et pietatem spectans: quem dicunt fuisse* Censorij Catonis *morem.* Iis *uerò qui alijs artibus uitam quærunt, aliquid esse in sua cuiq; arte quotidie exercendum.*

203 Calumniæ morsui remedium nullum.

Nullum ferè est tantum malum, cui natura remedium non pararit, saltem fuga: atqui calumnia & clàm mordet, & antè occidit, quàm sentiatur.

Bene-

Beneuoli multi, consiliarij pauci. 204

Ex Solomone. Multis bene et uelis, & facias, arcana tua ne cuiuis committas, ne quemlibet consule. Delige, quo poßis in hanc rem tutò & cum fructu uti.

Iustitia gratuita. 205

Ex Cicerone, primo de Legibus: Nihil est iniustius, quàm iustitiæ præmium quærere: & qui mercede est uir bonus, mercede etiam erit malus.

Misericordia uenalis, crudelis. 206

Crudele est, eum qui sic affectus est, ut misericordia indigeat, cogere aliquid pendere, quo subleuetur. Est enim acerbus & immitis animus, quem non flectit hominis calamitas, sed suum commodum.

Bonorum rector, malorum uictor. 207

Ex Seneca, epist. 85. In secundis rebus regendũ est, in aduersis pugnandũ. Fortuna prospera gubernanda arte, cõsilio, prudentia, ingenio: irata retundenda magno robore, & inuicto animo superanda & calcanda.

Quod inuenisse pigeat, ne quæras. 208

Satius est id ignorari, ut probrum domesticum, tristem sortem à diuinaculo: quæ si prædicatur, nihil aliud quàm angit aßiduò cor.

Tantum scis, quantum operaris. 209

Ferunt uerbũ hoc fuiße frequens Diuo Francisco. Ita est. Verius scit uir bonus & rudis, quid sit uirtus,

quàm malus & doctus: & in rebus sacris CHRISTI *spiritus copiosissimè præbet se pijs. Quid prodest malo scientia? nec uerè scit, tametsi argutè disserat: nam in peccato semper inest cæcitas. An non melius nouit quid sit pingere, qui imperitè de pictura disputans, peritè pingit: quàm qui doctissimè disputans, indoctissimè & lineas ducit, & colores inducit?*

210 Persona publica priuatam depone.

Cui magistratus, aut imperiũ, aut principatus mandatur, is sciat iã nõ sibi suas utilitates quærẽdas, sed populi, cui præest: sic optimè publicũ officiũ administrabit, alioqui fiet tyrannus. Deberet pro curiarũ foribus dictũ aliquod in hãc sententiã inscribi, quo admonerẽtur magistratus, & eorũ cõsultores: Huc ingrediens, *personã priuatam relinque in limine, publicam sume.*

211 Paruo fames constat, magno fastidium.

Naturæ paucis rebus satisfit, fames exiguo cibo placatur & tollitur: ingentes mensæ fastidium adferunt & morbos.

212 Vnum est necessarium.

Verbum Domini & Seruatoris nostri CHRISTI, *ad augendam curam pietatis, & minuendam sollicitudinem rerum periturarum. Procuratio & cibi, & potus, & rei familiaris, in qua Martha uersabatur, utilis quidẽ homini ad tẽpus: at sedere ad pedes Domini, & uerbum illius puris animis haurire, quod erat*

Magda-

Magdalenæ munus, id demum necessarium, & quod nunquam aufertur. Cum omnia siue ingenij decora atque ornamenta, siue corporis atq; externa commoda expenderis, intelliges unum esse homini necessarium.

Mente Deo defixus. 213

Hoc symbolum tam fausto omine ponetur ultimum, quam illud primũ, Scopus uitæ, CHRISTVS. Ipse est initium, ipse finis, ab ipso proficiscuntur omnia, in ipsum tendunt. Huic oportet nos affigamus, si uolumus beati esse, non alio clauo, quàm mente ipsa. Possunt alia permulta Symbola deduci ex Platone, Cicerone, Seneca, Horatio: sed præcipuè sacris literis, fonte ut copiosißimo, ita liquidißimo ac purißimo, & scriptoribus nostræ religionis. Adsunt prouerbia tot, & metaphoræ, & allegoriæ, fabulæ quoq; & historiæ, quæ suppeditare magnum numerum possunt: et nostra hæc mutari, atq; in alias uerti formulas licebit, & ex scholiolis alia desumi. Quocirca nec illa attigi, quæ sunt omnibus in ore, Nosce teipsum, Ne quid nimis: Sponde, iactura præsto est, quæ dicuntur tria Apollinis oracula: &, Dimidium plus toto, quod Hesiodi: tum, Sustine & abstine, quod Epicteti. Hæc quæ posui, sufficient siue ad sententiarum copiam, quæ omnes penè his sunt conclusæ, siue ad rationem ostendendam, quemadmodum alia poßint innumera excogitari.

FINIS.

D. ERASMI ROTERODAMI DE RATIONE STVDII, AC LEGENDI INTERpretandiq; autores, Libellus uerè aureus.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS PETRO VITERIO, liberalium disciplinarum professori eximio, S. D.



AE tu remiſtam, mi PETRE ſuauiſſime, & perſpicis acute, & grauiter uereq; iudicas, plurimum referre qua ratione, quoq; ordine quid inſtituas, idq; maximum habere momentum, cum cæteris in rebus omnibus, tum uero præcipue in bonarum ſtudijs literarum. An non uidemus ingentia pondera, ſi artem adhibeas, minimo tolli negotio, quæ nullis alioqui uiribus moueri poterant? Quemadmodum & in bello non perinde refert, quantis copijs, quantisq; uiribus hoſtem adoriaris, ut quam probe inſtructo exercitu, quo conſilio, quoq; ordine pugnam capeſſas. Ac multo celerius quo tendunt, perueniunt ij qui ſemitas com

compendiarias norunt,quam qui amnem(ut ait Plautus) ducem ſequuntur, & uel contempto Pythagora τῆς λεωφόρου ingrediuntur, uel uarijs etiam errorum ambagibus circumaguntur. Proinde rogas,ut tibi ſtudiorum ordinem,ac uiam formamq; præſcribam,quam tu ueluti Theſei filium ſecutus, & in autorum labyrinthis citra errorem uerſari queas, & ad eruditionis ſummam celerius emergere, uel magis aliorum ſtudijs conſulere, quos bonis literis inſtituis, quandoquidem ipſe iam propemodum ad eruditionis faſtigium perueniſti. Equidem pro mea certe uirili non grauatim parebo homini tam amico, ut nephas ſit quiduis etiam flagitanti negare, nedum rem tam honeſtam, tamq; frugiferam. Quod ſi ſenſeris noſtrum hoc conſilium tibi commodo fuiſſe, tui candoris erit, & alijs ad bonas literas enitentibus,digito uiã indicare. Vale.


RINCIPIO *duplex omnino uidetur cognitio, rerum, ac uerborum. Verborum prior, rerum potior. Sed nonnulli dum ἀνίπτοις (ut aiunt) ποσὶν ad res discendas festinant, sermonis curam negligunt, & male affectato compendio, in maxima incidunt dispendia.* Etenim cum res non nisi per uocum notas cognoscantur, qui sermonis uim non calleat, is passim in rerum quoq; iudicio caecutiat, hallucinetur, deliret necesse est. *Postremò uideas nullos omnium magis ubiq; de noculis cauillari, quàm eos, qui iactitant sese uerba negligere, rem ipsam spectare.* Quapropter utroq; in genere statim optima, & quidem ab optimo, & quidem ab optimis sunt discenda. Quid enim stultius, quàm magno labore discere, quae postea maiori cogaris dediscere? Nihil autem facilius discitur, quàm quod rectum ac uerum est. At praua si semel inhaeserint ingenio, dictu mirum quàm non possint reuelli. Primum igitur locum grammatica sibi uendicat, eaq; protinus duplex tradenda pueris, Graeca uidelicet, ac Latina: Non modò quòd his duabus linguis omnia fermè sunt prodita, quae digna cognitu uideantur, uerumetiam quòd utraq; alteri sic affinis est, ut ambae citius percipi queant coniunctim, quàm altera sine altera, certè quàm Latina sine Graeca. A' Graecis auspicari nos mauult Quintilianus,

tilianus, sed ita, si his literis perceptis, non longo interuallo latinæ succedant: sanè utrasq; pari cura tuendas esse monet, atq; ita futurum, ut neutræ alteris officiant. Ergo *utriusq; linguæ rudimenta, & statim, & ab optimo præceptore sunt haurienda: qui si fortè non contingat, tum (quod est proximum) optimis certè utendum autoribus, quos equidem perpaucos, sed delectos esse uelim.* Inter *Græcos grammaticos nemo non primum locum tribuit* Theodoro *Gazæ: proximum, mea sententia, Constantinus* La*scaris sibi iure suo ueridicat.* Inter *Latinos uetustiores* Diomedes. Inter *recentiores haud multum uideo discriminis, nisi quòd* Nicolaus Perottus *uideatur omnium diligentissimus, circa superstitionem tamen.* Verùm *ut huiusmodi præcepta fateor necessaria, ita uelim esse, quoad fieri possit, quam paucissima, modò sint optima.* Nec *unquam probaui literatorum uulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur.* Nam *uera emendatè loquendi facultas optimè paratur, cùm ex castigatè loquentium colloquio conuictuq;, tum ex eloquentium autorum assidua lectione, è quibus ij primùm sunt imbibendi, quorum oratio præterquam quòd est castigatissima, argumenti quoq; illecebras aliquas discentibus blandiatur.* Quo *quidem in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demostheni, tertias* Hero*doto.*

doto. Rursum ex Poëtis primas Aristophani, alteras Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui uel primas daturus eram, desideramus. Rursum inter Latinos quis utilior loquendi autor, quàm Terentius? purus, tersus, & quotidiano sermoni proximus, tum ipse quoq; argumenti genere iucundus adolescentiæ. Huic si quis aliquot selectas Plauti Comœdias putet addendas, quæ uacent obscœnitate, equidem nihil repugno. Proximus locus erit Virgilio, tertius Horatio, quartus Ciceroni, quintus C. Cæsari. Sallustium si quis adiungendum arbitrabitur, cum hoc non magnopere contenderim, atq; hos quidem ad utriusq; linguæ cognitionem satis esse duco. Neq; enim mihi placent, qui in euoluendis hunc in usum autoribus etiam quibuslibet, uitam omnem conterunt, prorsus infantem existimantes eum, quem ulla chartula suffugerit. Ergo parata sermonis facultate, si non luxuriosa, certè casta, mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus. Tametsi ex his quoq; scriptoribus, quos expoliendæ linguæ gratia legimus, non mediocris obiter rerum quoq; cognitio percipitur, uerùm ex instituto omnis ferè rerum scientia à Græcis autoribus petenda est. Nam undé nã haurias uel purius, uel citius, uel iucundius, quàm ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discendæ sint, & ex quibus potißimùm præceptoribus, id aliâs fortasse rectius ostendemus. Interim ad primæ ætatis

studia

studia reuertamur. Vt igitur ex his autoribus unde linguæ copiam petendam esse diximus, fructum capias, & maturius & uberiorem, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter euoluendum, qui de Latini sermonis elegantia scripsit elegantißimè. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neq; enim te uelim per omnia uelut addictum, Laurentianis seruire præceptis. Adiuuabit hoc quoq; si figuras grãmaticas à Donato ac Diomede traditas edidiceris, si carminis leges ac formas omnes tenueris, si Rhetorices summam, hoc est, propositiones, locos probationum, exornationes, amplificationes, transitionum formulas in promptu habueris. Conducunt enim hæc non solùm ad iudicandum, uerumetiam ad imitandum. His itaq; rebus instructus, inter legendum autores non oscitanter obseruabis, si quod incidat insigne uerbum, si quid antiquè aut nouè dictum, si quod argumentum, aut inuentum acutè, aut tortum aptè, si quod egregium orationis decus, si quod Adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna quæ memoriæ commendetur. Isq; locus erit apta notula quapiã insigniendus. Notis autem non solùm uarijs erit utendum, uerumetiam accommodatis, quò protinus quid rei sit admoneant. Ad hæc si quis dialecticen addendam statuet, non admodum refragabor, modò ab Aristotele eam discat, non ab isto loquacißimo sophistarum genere, neq; rursum

ibi desideat, et uelut ad scopulos (ut inquit Gellius) apud Syrenes consenescat. Verùm illud interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stylum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Neq; negligẽda memoria, lectionis thesaurus. Eam tametsi locis & imaginibus adiuuari non inficior, tamen tribus rebus potißimùm constat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Siquidem bonæ memoriæ pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiam quæ semel exciderint, quasi postliminio in animum reuocemus. Porrò, cura omnibus in rebus, non hic tantum plurimum ualet. Itaq; quæ meminisse uelis, ea sunt attentius ac crebrius relegenda, deinde sæpius à nobis ipsis exigenda, ut si quid fortè suffugerit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admoneatur. Adiuuabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria, ueluti locorum quos tradunt Cosmographi, pedum metricorũ, figurarum grammaticarum, genealogiarũ, aut si qua sunt similia, ea quàm fieri potest breuißimè simul, & luculentißimè in tabulis depicta, in cubiculi parietibus suspendantur, quò paßim & aliud agentibus, sint obuia. Item, si quædam breuiter, sed insigniter dicta, uelut apophthegmata, prouerbia, sententias, in frontibus, atq; in calcibus singulorum codicum inscribes,

quædam

quædam annulis aut poculis insculpes, nonnulla pro foribus, & in parietibus, aut uitreis etiam fenestris depinges, quò nusquam non occurrat oculis, quod eruditionem adiuuet. Hæc enim tametsi singula per se pusilla uideantur, tamen in unum collata aceruum, doctrinæ thesaurum lucro augent, haud quaquam negligendo τῷ εἰς ἄφενον σπεύδοντι, id est, his opibus properanti ditescere. Postremò illud non ad unum aliquid, sed ad omnia simul plurimùm conducet, si frequenter alios quoq; doceas. Nusquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non. Atq; interim noua quædam occurrunt commentanti, differentiáq; nihil non altius infigitur animo.

FINIS.

EIVSDEM DE RATIONE INSTITVENDI DISCIPVLOS.



SED *uideo te cupere, ut de docendi quoq; ratione nonnihil attingamus. Age, mos geratur Viterio: quanquam uideo Fabium hisce de rebus diligentissimè præcepisse, adeò ut post hunc*

de iisdem

de iisdem scribere prorsus impudentißimū esse uideatur: Ergo qui uolet instituere quempiam, dabit operā, ut statim optima tradat: uerùm qui rectißimè tradat optima, is omnia sciat necesse est: aut si id hominis ingenio negatum est, certè uniuscuiusq; disciplinæ præcipua. In hoc non ero contentus decem illis, aut duodecim autoribus, sed orbem illū doctrinæ requirā, ut nihil ignoret, etiā qui minima paret docere. Erit igitur huic per omne scriptorum genus uagandum, ut optimum quenq; primum legat, sed ita, ut neminem relinquat inguſtatum, etiam si parū bonus sit autor. Atq; id quò cumulatiore fructu faciat, antè locos & ordines quosdam ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usq; inciderit annotandū, id suo adscribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in secūdo de copia cōmentario demonstrauimus. Verùm si cui uel ocium uel librorū copia defuerit, plurima Plinius unus suppeditabit, multa Macrobius, & Athenæus, uaria Gellius Sed in primis ad fontes ipsos properandū, id est Græcos & antiquos. Philosophiam optimè docebit Plato & Aristoteles, atq; huius discipulus Theophrastus, tum utrinq; mixtus Plotinus. Ex Theologis secundum diuinas literas, nemo melius Origine, nemo subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter Latinos duo duntaxat insignes in hoc genere, Ambrosius mirus in allusionibus, & Hieronymus in arca-

nis literis

nis literis exercitatißimus. Quòd si minus uacabit im morari singulis, omnes tamen censeo degustãdos, quorum in præsentia catalogum texere, non est ratio. Certè propter poëtarum enarrationem, quibus mos est ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenẽda est fabularum uis, quam unde potius petas, quàm ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leue momentum adferent, etiamsi Latinè scripti. Tenenda Cosmographia, quæ in historijs etiam est usui, nedum in poëtis. Hanc breuissimè tradit Pomponius Mela, doctißimè tradit Ptolomæus, diligentißmè Plinius. Nam Strabo non hoc tantum agit. Hic præcipua pars est obseruasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, uulgo recepta uocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborum, herbarum, animantiũ, instrumentorum, uestium gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, quàm nihil intelligat literatorũ uulgus. Horũ notitia partim è diuersis autoribus, qui de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium conscripserunt, colligitur. Quanquam Iulius Pollux ex professo de rerum uocabulis tradidit, quæ utinam tam accuratè distinxisset, quàm congeßit copiose, partim ex Etymologijs, partim ex his linguis, quæ prisci sermonis & incorrupti manifesta uestigia seruant in hanc usq;

ætatem, cuiuſmodi lingua Conſtantinopolitanorum, Italorum, & Hiſpanorum, nam Gallorum oratio longius degenerauit. Tenenda antiquitas, quæ non modò ex uetuſtis autoribus, uerumetiam è nomiſmatis priſcis, è titulis ſaxisq́; colligitur. Ediſcenda & Deorum genealogia, quibus undiq; refertæ ſunt fabulæ. Eam poſt Heſiodum felicius, quàm pro ſuo ſeculo, tradidit Bocatius. Non ignoranda aſtrologia, quòd hanc paßim ſuis figmentis aſpergunt poëtæ, præſertim Higini. Tenenda rerum omnium uis atq; natura, propterea quòd hinc ſimilia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atq; alia id genus ſchemata ſolent mutuò ſumere. In primis autem omnis tenenda eſt hiſtoria, cuius uſus latißimè patet, non tantum in poëtis. Iam ſi quis Prudentium, unum inter Chriſtianos uerè facundum Poëtam uolet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet. Poſtremò, nulla diſciplina eſt, nec militiæ, nec rei ruſticæ, nec muſices, nec architecturæ, quæ non uſui ſit ijs qui poëtas, aut oratores antiquos ſuſceperint enarrandos. Sed uideo, iamdudum frontem contrahis. Næ tu, inquis, immenſum onus imponis etiam literatori. Onera ſanè, ſed unum, ut quā plurimos exonerem. Volo ut unus euoluat omnia, ne ſingulis uniuerſa ſint euoluenda. Iam uerò de formando puerorum ore, deq́; tradendis ceu per luſum iocumq́; literarum figuris, ſatis præcepit Fabius. Equidem poſt tradita elemen=

elementa prima, malim ad usum loquendi statim uocari puerum. Etenim cum intra pauculos menses, quamuis barbaram linguam ætas ea sonet, quid uetat, quominus idem fiat in lingua Græca, siue Latina? Verùm id nec in magno puerorum grege locum habet, & domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoq; dabit operam, ut siue pluribus loquatur, siue seorsum uni, quàm potest emendatißimè dicat. Quædam obiter interpretetur, & ut imitentur admoneat. Loquentes illos aliquoties collaudet, si quid dictum erit aptius: aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoq; consuescant circumspectius & accuratius loqui, & preceptorem loquentem attentius obseruent. Iuuabit & illud, si propositis præmiolis aut pœnis, uelut ex lege prouocentur, ut ipsi quoq; inter sese alius alium emendent. Porrò præceptor eruditiores aliquot deliget, qui controuersiam faciant. Neq; fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conuiuijs uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint & iucundæ. Porrò, doctor ille diligens & doctus, acriq; iudicio, non grauabitur, collatis omnibus Grammaticorum præceptis excipere quædam & simplicißima, quoad fieri potest, & breuißima, tum ordine quàm maximè commodo. Posteaquam ea tradidit, statim ad au-

torem aliquem ad id accommodatißimum ac loquendi, scribendiq́; consuetudinem uocentur. Hic *præceptiones antè traditas ut incident, exemplaq́; diligenter inculcabit, quibus etiam addet nonnihil, uelut iam tum ad maiora properant.* Hinc *iam thematijs exerceri debent, in quibus illud in primis cauendum, ne (quod fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut uenustam habeant sententiam, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat: ut interim aliud agentes, simul & aliquid discant, in grauioribus studijs usui futurū.* Habeat igitur *thema quod pueris proponat, aut historiam memorabilem: quod genus sunt illa,* Marcelli *præceps calor rem* Romanam *subuertit,* Fabij *prudens cunctatio restituit:* Quanquam *hic subest etiam sententia.* Nimirum *præcipitata consilia parum fœliciter euenire solere.* Item, *difficile iudicatu sit, uter altero fuerit stultior,* Crates, *qui aurum abiecit in mare, an* Midas, *qui existimauit nihil auro melius esse.* Item, Demostheni *ac* Ciceroni *immodica eloquentia exitio fuit.* Rursum, *nulla laus* codri *regis meritis par esse potest, qui ciuium salutem propriæ uitæ dispendio redimendam putauit.* Sed *non magni negotij fuerit huiusmodi uim ex historiographis, præcipuè* Valerio Maximo, *colligere.* Aut *fabulā habeat, ut illud,* Hercules *ex pugnandis monstris immortalium sibi parauit.* Musæ *fontibus ac nemoribus*

unicè

unicè gaudent, à fumosis urbibus abhorrent. Aut Apologum, ut rectè docuit Caßita, non esse committendum amicis negociũ, quod per te poßis conficere. Itẽ, manticam pectore propendentem uident omnes: eam, quæ à tergo pendet, uidet nemo. Item, Sapiebat uulpes, quæ maluit muscas iam propè saturas retinere, quàm his expunctis, uacuas ac sitientes admittere, quæ quicquid reliquum esset sanguinis, epotarent. Aut Apophthegma, ut, Longè dissentiebat à uulgo nostræ ætatis, qui maluit uirũ absq; pecunia, quàm pecuniam sine uiro. Item, Iure Socrates contemnit eos, qui non edunt ut uiuant, sed uiuunt ut edant. Meritò non probauit Cato eos, qui plus sapiunt palato, quàm animo. Aut prouerbium, ut, Ne sutor ultra crepidam. Et non cuiuslibet hominis Corinthum nauigare. Ac nos quidẽ editis tot Chiliadibus, effecimus ne difficilis esset horum inuentio. Aut sententiam, ut Nihil carius constat, quàm quod precibus emitur. Et, Obsequium amicos, Veritas odiũ parit. Et, Amici qui procul absunt, amici non sunt. Aut rei cuiuspiam insignem naturam. Vt, Magnes ad sese ferrum attrahit, Naptha ignem. Item, Palmæ ea est natura, ut pondere imposito, non modò non deprimatur ad terram, uerumetiam sursum nitatur, & altius erigat sese. Item, Mirum Polypi ingeniũ, qui ad speciem subiecti soli mutat colorem, quò fallat insidias piscatoris. Aut figuram eximiam, aut grada-

tionem. Diuitiæ luxum pariunt, luxus saturitatem, saturitas ferocitatem, ferocitas odium multorũ, odium perniciem. Aut Similitudinem, ut Quemadmodum ferrum si exerceas, usu atteritur: si non exerceas, exeditur rubigine: Ita ingenium si exerceas, labore absumitur: si non exerceas, magis otio situq; læditur. Aut Allegoriam: ut, Non est addendus ignis igni, Non est addendum oleum incendio. Aut commutationem, ut, Non ideo te talem iudico, quòd uehementer amem: sed ideò uehementer amo, quòd talem iudicarim. Aut distributionem: Stultior est, quàm ut poßit tacere: infantior, quàm ut poßit loqui. Simplicior est, quã qui poßit mẽtiri: grauior, quàm ut uelit. Sed mihi sat est indicasse tantùm. Aut exquisitam aliquam elegantiam. Cuius rei non est necesse ponere exemplum. Nihil autem obstat, quo minus plures commoditates in eandem incidant orationem: ueluti sentẽtia, historia, prouerbiũ, & figura. Ergo præceptor, quem oportet aßiduè in bonis autoribus obuersari, huiusmodi ceu flosculos undiquaq; colliget, eosq; delectos proponat: aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingenijs sint accommodati. Postquam his rebus ad aliquantam sermonis peritiam prouectus erit puer, tum si uidebitur, ad maiora grammatices præcepta reuocetur. Quæ per locos & ordines quosdã ita tradẽda sunt: ut primo loco simplicißima proponãtur, eaq; pauca. Deinde utcunq; adolesc-

adolescunt discentium ingenia, ita maioras suis quæq; locis oportebit subijcere. Is ordo cuiusmodi sit, è Theo dori Gazæ grammatica exemplum sumas licebit. Nec in his tamen uelim eos detineri longius, sed illico ad autores grauiores reuocari: præsertim si prius summam illam, de qua dixi, rhetorices, ac figuras, & carminum formas teneant. Interim thematis quoq; difficilioribus sunt exercendi, in quibus deligendis ac narrandis, diligentem ac doctum præceptorem requiram. Qui si sit mediocris, modò sit idem modestus, non grauabitur hæc ab alio doctiore petere. Thematum autē formæ huiusmodi ferè possunt esse. Nunc epistolæ breue argumentum, sed argutum, lingua uulgari proponat, Latinè Græceq;, aut utroq; sermone tractandum. Nunc Apologum, nunc narratiunculam nō insipidam, nunc sententiam ex quatuor constantem partibus, utriq; simili aut ratione subiecta. Nunc argumentationem quinq; tractandam partibus, nunc dilemma duabus, nūc expolitionem quam uocant, septem partibus explicandam, aliquando tanquam ad rhetorica preludentes, unum aliquod membrorum seorsim tractent. Cuiusmodi progymnasmata scripsit Aphthonius. Aliquando laudem, uituperationem, fabulam, similitudinem, comparationem. Aliquando figuram, uel descriptionem, distributionem, sermocinationem, subiectionem, notationem. Aliquoties iubeantur

carmen aliquod soluere, aliquoties solutam orationē pedibus alligare. Interim Pliniam aut Ciceronis epistolam, uerbis ac figuris imitentur. Nonnunquā eandem sententiam uariatis uerbis ac figuris sæpius efferant. Nonnunquam eandem Græcè simul ac Latinè metro & oratione prosa uarient. Nonnunquam eandem quinq; , aut sex carminum generibus quæ doctor præscripserit, explicent. Nonnunquam sententiam eandem per locos quàm plurimos ac schemata diffingant. Plurimum autem fructus est in Græcis uertendis. Quare conueniet eos hoc in genere sæpißime ac diligentissimè exerceri. Nam simul & exercetur ingenium in deprehendendis sententijs, & utriusq; sermonis uis ac proprietas penitus inspicitur: & quid nobis cum Græcis commune sit, quid non, deprehenditur. Deniq; ad reddendum Græcanicam emphasim omnes Latinæ linguæ opes excutias oportet. Hæc si initio pueris difficilia uidebuntur, tum usu fient faciliora, tum præceptoris ingenium, ac studium, bonam negotij partem pueris adimet, indicantis quæ putet esse suprà uires illorum. Atq; ijs interim exercitamentis crebræ prælectiones autorum misceantur, ut suppetat quod imitentur. Quanquam is, qui docet, proposito themate, simul uerborum quoq; & figurarum copiam debet indicare. Sub hæc ad inueniendi quoq; laborem prouocentur, ita propositis nudis argumentis, ut suo quisq;

Marte

Marte reperiat, quæ pertinebunt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam. Et hic delectum ac uarietatem requiram à præceptoris eruditi diligentia, gustum interim exhibebo. Sæpius argumentum epistolæ proponat suasoriæ, dissuasoriæ, exhortatoriæ, dehortatoriæ, narratoriæ, gratulatoriæ, expostulatoriæ, commendatoriæ, consolatoriæ. Et uniuscuiusq; generis naturam, locos, ac formulas quasdam communes, deinde etiam argumento proposito, peculiares indicabit. Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diuersis generibus, puta si iubeat eos uituperare Iulium Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demonstratiuo. Item, statim optima discenda. In opibus non esse felicitatem. Matrem proprio lacte nutricæ debere, quod peperit. Literis Græcis non esse dandam, aut esse dandam operam. Vxorem esse ducendam, aut non esse ducendam. Peregrinandum esse, aut non esse peregrinandum, in genere suasorio. Item, M. Horatium indignum esse supplicio, in genere iudiciali. Verùm hanc palæstram primùm ingredientibus, non grauabitur is, qui docendi prouinciam suscepit, primùm indicare, quot propositionibus id argumentum tractari poßit. Præterea propositionum ordinem demonstrabit, & quo pacto alia ex alia pendeat: Deinde quot rationibus unaquæq; proposito fulciri debet, quot confirmationibus unaquæq; ratio. Tum circumstantias ac locos, unde

ista peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententijs, prouerbijs, fabulis, Apologis, unaquæq; pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter uidebuntur incidere posse, quæ uel acriorem, uel ampliorem, uel magis dilucidam, uel iucundiorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonstret: siue per locos communes, siue per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintil. Quod si qui inciderint affectus, hi quoq; quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin & connectendi rationes præscribat, quis sit optimus futurus transitus, ab exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à diuisione ad argumentationem, à propositione ad propositionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut perorationem. Ostendat & formulas aliquot, quibus ibi commodè possint exordiri, aut etiam perorare. Postremò si potest, locos aliquot in autoribus indicet, unde ualeant aliquid imitandum sumere, propter rerum affinitatem. Id ubi septies aut octies erit factum, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice natare: & satis erit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper uelut infantibus cibum præmansum in os inserere. Nec mihi displicet illud exercitationis genus quod apud antiquos in usu uideo fuisse: ut ex Homero, Sophocle, Euripede, Vergilio, aut etiam ex historijs aliquã-

do legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Troianam concionem repetat Helenam: Aut Phœnix suadeat Achilli, ut redeat in prælium: Aut Vlysses suadeat Troianis, ut Helenam reddant potius, quàm bellum experiantur. Quo in genere extant aliquot Libanij, & Aristidis declamationes, Præterea, uti suadeat aliquis amicus Ciceroni, ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentum est apud Senecā. Vbi phalaris suadeat Delphis, ut taurum æneum Deo suo consecrent. Ad hoc genus pertineat epistolæ, quæ Phalaridis ac Bruti nomine circumferuntur. In emendando collaudabit, si quid felicius inuentum, tractatum, aut imitatum uidebitur: si quid prætermissum, aut non suo loco positum, si quid nimiū, aut remißius, si quid obscurius, aut etiam si quid parum eleganter dictum erit admonebit. Et quo pacto mutari poßit ostēdet, ac mutari, & sæpius, iubebit. Extimulabit autem præcipuè discentium animos, comparatione profectus, uelut æmulatione quadam inter ipsos excitata. Iam in prælegendis autoribus nolim te facere, quod parua quadam ambitione uulgus professorum hodie facit, ut omni loco coneris omnia dicere, sed ea duntaxat, quæ explicando præsenti loco sint idonea, nisi si quando delectandi causa digrediendū uidebitur. Quod si huius quoq; rei rationem à me requiris, hæc mihi quidem uidebitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores

laudes

Vt Pyladis & Orestis, ad amicitiæ commendationem Tantali fabulam ad auaritiæ detestationem. In his non mediocriter adiuuabit docentem Eustachius, Homeri interpres. Atq; ita fiet (si modò sit ingenij dextri præceptor) ut etiam si quid inciderit, quod inficere poßit ætatem illam, non solùm non officiat moribus, uerumetiam utilitatem aliquã adferat, uidelicet animis partim ad annotationem intentis, partim ad altiores cogitationes auocatis. Veluti si quis prælecturus secundam maronis Eglogam, commoda præfatione præparet, uel potius præmuniat auditorũ animos, ad hunc modum, ut dicat, Amicitiã non coire, nisi inter similes: similitudinẽ enim esse beneuolentiæ mutuæ conciliatricem: contra dißimilitudinem odij, dißidijq; parentem. Quoq; maior ac uerior, stabiliorq; similitudo fuerit, hoc firmior, atq; arctior est amicitia. Id nimirũ sibi uelle tot apud autores prouerbia: Boni ad bonorũ conuiuia, & inuocati accedunt. Et, Simile gaudet simili. Et, Aequalis æqualem delectat. Et, Aequalem tibi uxorẽ quære. Et, Vt semper similem ducit Deus ad similem. Et, Semper graculus aßidit graculo. Et, Similes habẽt labra lactucas. Et, Pares cum paribus facilimè congregantur. Et, Cæcus Cæcam ducit. Et Balbus balbam rectius intelligit. Et, Cicada cicadæ chara, formica formicæ. Et, Cretensis cum Aegineta. Contrà, tot dißimilitudinis Adagia, nihil aliud sibi uelle, quàm inter eos,

qui dißimili sunt fortuna, dißimili uitæ instituto, dißimilibus studijs, aut omnino non coire amicitiam, aut si coierit, non cohærere, citoq; dirimi: atq; ob id fieri, ut idiota studiosum literarum oderit, prophanus sacerdotem, rusticus aulicum, iuuenis senem. Atq; in eodem genere, *Epicurus Stoicum, philosophus iurisconsultum, Poëta Theologum, babus eloquentem.* Hinc geminorum gratiam fratrum, *Amphionis & Zyti penè dißiliisse, quòd alter lyræ studiosus esset, alter agris colẽdis gauderet: ac dißilierat, nisi amphion abiecta lyra fratris ingenio ceßisset.* Ob eandem causam insincera fuit *Castoris & pollucis amicitia: neq; caruit infamia tentati parricidij, cum uterq; eodem ex ouo essent prognati, ut iam magis esse gemelli non possent, quòd alter pugil esset, alter equis delectaretur.* Hinc male conuenisse Remo cum Romulo, *quòd alter tristioribus ac seueris esset moribus, alter blandior, unde &* Romulo pro Remo *mutatum nomen.* Peßimè conuenisse Caim cum Abel, *quòd diuerso uitæ genere caperentur. Summum autem amorem summæ similitudinis esse comitem: atque ideo fictum à Poëtis, quemadmodum* Narcissus, *antè ab omni abhorrens consortio, simul atq; suam ipsius imaginem in limpidißimò fonte cõspexisset, protinus amore flagrantißimo cœpit ardere.* Quid enim nostri *similius, quàm ipsa imago?* Ergo cum *doctus doctum amat, sobrius sobriũ, modestus modestum, probus probum,*

bum, nihil aliud amat uterq;, quàm suam ipsius in altero imaginem, hoc est, seipsum, sed alio modo. Verùm ea similitudo, si quidem sita est in bonis animi, quæ uerè sunt bona, hoc est, pietate, iustitia, temperantia, tum eiusmodi nascitur amicitia, cuiusmodi sunt eæ res, quibus amicitia conciliatur, hoc est, honesta, uera, syncera, stabilis, æterna. Contrà, si in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec uerè esse amicitiam, nec iucundam, nec diuturnam ostendet. Proinde, Platonem duas finxisse Veneres, alteram cœlestem, alteram terrestrem. Duos item Cupidines, suæ utrunq; matri respondentes. Cœlestem ueras gignere formas, & huius filium ueros & honestos immittere amores. Inter bonos semper amorem esse mutuum: Inter uulgares plerunq; alterum amare, alterum odisse, alterum prosequi, alterum fugitare. Id accidit ferè propter ingeniorum, uitæq; dissimilitudinem. Quod quidem eleganter significat apud Poëtas Cupido, qui nonnunquam hunc aurea cuspide figit, illũ plumbea, illum ut amet, hunc ut abhorreat: atq; hoc amicitiæ genera nihil esse potest infelicius. Eius igitur amicitiæ male cohærentis, quasi simulachrum quoddam, in hac Ecloga proponit Vergilius. Corydon rusticus, Alexis urbanus: Corydon pastor, Alexis aulicus: Corydon indoctus (nam huius carmina uocat incondita) Alexis eruditus: Corydon ætate prouectus, Alexis adolescens: Corydon defor-

deformis, hic formosus. Breuiter *dißimilia omnia.* Quare *prudentis est, amicum suis moribus aptum diligere, si uelit amari mutuum.* Hæc *inquam si præstetur, tum autem locos demonstratorios perperam & bucolicè à rustico affectatos indicet, nihil opinor turpe ueniet in mentem auditoribus, nisi si quis iam corruptus accesserit: nam iste uenenum nō hinc hauserit, sed huc secum attulerit.* Hoc *exemplum uerbosius exposui, quò facilius in cæteris itē sibi quisq; similia reperiat.* Iam *in aggressu cuiusq; operis conueniet in genere demonstrare, quæ sit argumenti natura, & quid in eò potißimùm sit spectandum: uelut in* Epigrammatis *argutam breuitatem laudari. Tum iocandi rationes, quas* Fabius *&* Cicero *tradunt, indicabit.* Hoc *genus præcipuè gaudere* Epiphonematis*, commodè in fine adiectis, quæ cogitationem uelut aculeum in animo lectoris relinquāt.* In Tragœdia *præcipuè spectandos affectus.* Et *quidē ferè acriores illos, ij quibus rebus moueantur, paucis ostendet. Tum argumenta ueluti declamantium. Postremò descriptiones locorum, temporum, rerum, aliquoties & argutas altercationes incidere, quæ nunc distichis, nunc singulis uersibus, nunc hemistichijs absoluantur.* In *comœdia cum primis obseruandum esse decorum, & uitæ communis imitationem, affectus esse mitiores, & iucundos magis quàm acres.* Decorum *autem in primis spectari, non*

solùm

ſolùm illud commune, ut adoleſcentes ament, lenones peierent, blandiatur meretrix, obiurget ſenex, fallat ſeruus, iactet ſe miles, atq; id genus alia. Verùm peculiare quoddam, quod ſuo arbitratu alius alijs affingit poëta. Velut in Andria duos inducit ſenes longè diuerſo ingenio: Simonem uehementē, ac ſubmoroſum, haud ſtultum tamen, nec improbum: Contrà Chremetem ciuilem, ac ſemper placidū, ubiq; ſibi præſentem, omnia, quantum poteſt, pacantem: at ita tamen lenem, ut minimè ſtupidum. Duos item adoleſcentes diſsimili natura. Pamphilum cordatum pro ratione ætatis, & conſultabundum, ſed acriorem, ut Simonis filium poſsis agnoſcere: E` diuerſo Charinum puerilem, ineptum, cōſilijq; inopem. Rurſum ſeruos duos diuerſis moribus. Dauum uafrum, & conſilijs abundantem, ac ſperandi pertinaciſsimum autorem: è regione Birriam nullius conſilij, tantùm perpetuum deſperationis autorem hero. Ad eundem modum in Adelphis: Mitionem etiam in obiurgando mitem, ac feſtiuum: Demeam etiam in blandiendo amarulentum. Rurſum Aeſchinum propter urbanæ uitæ conſuetudinem, et Mitionis fiduciam nihil non audentem, ſed ita ut probum ingenium deprehendas, officioſum in fratrem, fidum in puellam: E` diuerſo Cteſiphontem ſubruſticum ac timidum, propter earum rerum inſolentiam. Syrum callidum, & audacem, nihilq; non ſimulantem, ac diſsimulantem

adeò, ut sola ebrietas detexerit illius fucos: Dromonem stupidum, atq; hebetem. Sed ista persequi non huius est instituti, in præsentia satis est uiam indicasse. In Eclogis admoneat esse aurei seculi, ac priscæ illius uitæ imaginem. Proinde, quicquid illic est sententiarum, similium, aut comparationũ, à uita pastorali sumi, affectus sunt simplices, cãtionibus, sentẽtijs, ac prouerbijs delectantur, superstitione & augurijs capiuntur. Ad eundem modum, quid propriũ habeat carmen Heroicum, quid historia, quid dialogus, quid apologus, quid Satyra, quid Oda, quid reliqua scripti genera, curabit admonere. Tum quæ sint singulorum autorum in singulis argumentis dotes, aut etiã uitia, non grauabitur indicare, quò iam tum assuescant adolescentes, ei quod est in omni re præcipuum, iudicio. Atq; in hac parte præceptorem, præter artem & ingenium, adiuuabit etiã libellus Ciceronis de Claris oratoribus, & Quintiliani, Senecæ, atq; Antonij Campani de scriptoribus censuræ, neq; non ueteres interpretes, præcipuè Donatus hac in re peculiariter occupatus. Huc pertinet & consilij ratio, ueluti, quare M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere: et quare Virgilius tantopere laudibus uehat Turnum hostem Aeneæ: & quare abdicatus medicus apud Lucianum non lædit nouercam, sed magis laudat, & in patrem acrior est, quàm in nouercam. Sed id quoq; in immensum patet. At iudicabit

dicabit aliquis hæc nimium habere negotij. Equidem *præceptorem eruditum, longoq́; usu exercitatum uolo esse.* Is *si continget, hæc etiam facilè percipient pueri.* Quòd *si qua initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescent.* Optima *certè sunt, nisi fallor, & optimis conuenit statim assuescere: quanquam hæc non ubiq; omnia sunt inculcanda, ne tædio grauentur ingenia discentium: sed ut inciderint insigniora.* Neq; *uerò minorem adhibeat curam præceptor in exigendo quæ commiserit, quàm in prælegendo.* Est *omnino labor hic docēti grauißimus, sed discentibus utilißimus.* Nec *ordinem exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescant bona cum fide reddere.* Neq; *uerò deterreat ab hac re difficultas, quæ uel menstruo temporis spatio uincitur.* Mihi *nunquam placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes: fit enim hoc pacto, ut memoriæ cultus negligatur, nisi si qui pauca quædam notulis uelint excipere, idq; tantisper donec usu confirmata memoria, scripti non desiderent adminiculum.* Postremò *tamē arbitror esse momenti incōmoda docendi ratione, si modò diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negotio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusq; linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modò dentur ingenia non omnino infelicia, quàm isti literatores ad qualemcunq;*

illam suam balbutiem, uel infantiam potius prouehunt suos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis auibus ad altiores disciplinas conferat sese, & quocunq; se uerterit, facilè declarabit, quantopere referat ab optimis auspicatum fuisse. Hæc habui in præsentia mi charißime PETRE, *quæ tibi de studij ratione scriberem: ea si placent, utere: sin minus, sedulitatem certè nostram pro tuo candore boni consules. Tu modò pergè, ita ut instituisti, in bonas literas incumbere, ac Galliam tuam alioqui florentißimam, honestißimis etiam studijs illustra. Vale.*

FINIS.

D. ERASMI ROTERODAMI RATIO COLLIGENDI EXEMPLA.



VI *destinauit per omne genus autorum lectione grassari (nam id omnino semel in uita faciendum ei, qui uelit inter eruditos haberi) prius sibi quàm plurimos parabit locos. Eos sumet partim à generibus causarum, ac partibus uitiorum uirtutumq́; partim ab ijs quæ sunt in rebus mortalium præcipua, quæq́; frequentißimè solent in suadendo incidere.*

dere. Eaq́; conueniet iuxta rationem affinitatis & pugnantiæ digerere. Nam & quæ inter se cognata sunt, ultrò admonent, quid consequatur. Etiam contrariorũ eadem est memoria, puta, sit exẽpli causa, primus locus, Pietas & impietas. Huic subijcientur species inter se cognatæ. Prima est, pietas in Deum. Secunda, in patriam. Tertia, in parentes, aut liberos, aut etiã in eos, quos oportet parentum loco colere: ueluti præceptores, & quorum beneficio seruati sumus. Iam his cognata est superstitio, adijcienda igitur. Atq; hic aperit sese campus latißimus de prodigiosis deorũ cultibus, & uarijs diuersarum gentiũ ceremonijs. Sit proximus, si uidetur, titulus, Fides. Hanc in species seces licebit, de fide in amicos, de fide seruorum in dominos, de fide in hostes, totidemq́; de perfidia. Item, si titulus Beneficentia. Huic cum suas species subieceris, restat gratitudo, non illa quidem huic subiecta, neq; rursum contraria, sed adhærens, deq́; ea ueluti cõsequens. Sed uirtutum ac uitiorum ordinem sibi quisq; suo fingat arbitrio, aut è Cicerone; seu Valerio Maximo, aut ex Aristot. aut ex diuo Thoma petat. Denique, si malit, elementorum ordinem sequatur. Neq; enim id magni refert. Quanquam nolim illum omnes huius generis particulas tã minutim cõcisas, in ordines referre, uerũ eas duntaxat, quæ uideantur frequenter in dicendo usu uenire. Id autem uel ex locis causarum licebit cognoscere,

Pietas.

Fides.

Beneficentia.

ſcere, nempe demonſtratorijs, ſuaſorijs, & iudicialibus. Quod genus fermè ſunt tituli apud Valerium Maximum, & nonnulli apud Plinium. Cæterùm quæ extra uitiorum ac uirtutum genera ſumuntur, partim pertinent ad exempla, partim ad locos communes. Prioris generis fermè ſunt huiuſmodi, Inſignis longæuitas, uiuida ſenectus, ſenilis iuuenta, inſignis felicitas, inſignis memoria, ſubita rerum commutatio, ſubita mors, mors ſpontanea, mors prodigioſa, partus prodigioſi, inſignis eloquentia, inſignis opulentia. Ex humili genere clari, uafricies ingenij, inſigne corporis robur, inſignis forma, egregium ingenium in deformi corpore, atq; id genus innumera alia, quorum ſingulis oportebit ſubijcere, quæ cum his pugnant, quæq; cum his habent affinitatem, ut inſigni eloquentiæ opponitur inſignis infantia: finitima ſunt uocalitas, felicitas in geſticulando, hiſtrionica, & ſi qua ſunt huiuſmodi. Poſterioris autem generis ſunt iſtiuſmodi. Plurimum intereſt, quibus ſtudijs puer aſſueſcas. Magni refert, quibus cum uiuas. Suum cuiq; pulchrum. Facilis offenſa, reconciliatio difficilis. Tutiſsimum nulli credere. Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus. Bis dat, qui citò dat. Fortunam ſui cuiq; mores parant. Et, Lentæ regum iræ. Et, Perniculoſa principum amicitia. Et, Dulce inexpertis bellum. Et, Infida ſocietas regni. Et Optimũ ſenectæ uiaticum, eruditio.

Sed

Sed quid ego hæc recensere pergo, cū sint sexcēta milia? Ergo ex his ea sunt deligenda, quæ uidebuntur ad dicendum maximè commoda. Ad hunc gregem pertinent & illa comparatiua, Cœlibatus ne felicior, an coniugium? uita priuata, an secus? Potior monarchia, an democratia? uita studiosorum, an idiotarum? Tum autem ex superioribus, si qua sunt, quæ uirtuti aut uitio uidebuntur esse confinia, ea licebit suo titulo subijcere, ut illa: Bis dat, qui citò dat. Et, Nihil carius constat, quàm quod precibus emitur. Et, Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Et, Nihil perit, quàm quod confertur in ingratum. Et, Beneficij gratiam perdidit, quisquis exprobrauit. Hæc atq; huiusmodi ad liberalitatis titulum referri possunt. Verùm ne indigesta rerum turba pariat confusionem, profuerit titulos qui latius patent, in aliquas secare parteis. Liberalitatis titulum, ut exempli causa loquamur, ita licebit partiri, si subieceris: Beneficium promptè citoq; datum: Beneficium aptum, beneficium digno aut indigno collocatum: Beneficium exprobratum: Beneficium mutuū. Et si qua iudicabuntur magis idonea: nā nos indicandi gratia duntaxat hæc ponimus. Ergo posteaquam tibi locos compararis, quot erunt satis, eosq; in ordinem quem uoles digesseris, deinde singulis suas partes subieceris, rursum partibus addideris locos cōmunes, siue sentētias: iam quicquid usquam obuiū erit

in ullis autoribus, præcipuè si sit insignius, mox suo loco annotabis, siue erit fabula, siue apologus, siue exemplum, siue casus nouus, siue sententia, siue lepidè, aut alioqui mirè dictum, siue metaphora, aut parabola. Atq; ad eum modum pariter fiet, ut & altius insideant animo quæ legeris, & assuescas uti lectionis opibus. Sunt enim, qui plurima teneant, uelut in mundo reposita, cum in dicendo scribendoq; mirè sint inopes ac nudi. Postremò, utcunq; postulat occasio, ad manum erit dicendi supellex, certis ueluti nidis constitutis, unde quæ uoles, petas. Porrò nulla disciplina tam semota est à Rhetorica, unde non facias locos tuos locupletiores. Nam à Mathematicis, quæ remotißimæ uidentur sumuntur similitudines. Quandoquidem cum sphæra undiq; sui simili, cumq; tetragono, quocunq; cadat pariter quatuor angulis nixo, confertur sapiens suis opibus felix, nec aliunde pendens: & quæcunq; inciderit fortunæ procella, sua uirtute firmus & immobilis, ut ne dicam interim, quòd Theologi mysteriorum enarrationem frequenter à Mathematicis petunt propter arcanam quandam rerum ac numerorum analogiam. Nam à Physicis non solùm parabolæ, uerumetiam exempla quædam petuntur. Parabola fuerit, si dicas: Quemadmodum fulmen summos montes frequentißimè ferit, ita summa potestas grauißimis casibus est obnoxia. Item: Quemadmodum fulmen æs liquefacit

intacta cera, ita principum animus in rebelles & obsistentes sæuire debet, in cæteros uti clementia. Exempla fuerint elephanti in abdito coëuntes, si quis etiam in coniungatis modestiam, & uoluptatis dissimulationem desideret. Et delphini fœtus adultos diutius comitantes, nec sinētes paruulos suos ingredi, nisi grandior aliquis ceu pædagogus adsit, & custos: si quis admoneat quanta cura seruari atque institui debeat à parētibus prima illa & lubrica puerorū ætas. Itaq; studiosus ille uelut apicula diligēs, per omnes autorum hortos uolitabit. Flosculis omnibus assultabit, undique succi nonnihil colligens, quod in suum deferat aluearium. Et quoniam tanta est in his rerum fœcunditas, ut omnia decerpi nō possint, certè præcipua deliget, et ad operis sui structurā accōmodabit. Sunt autem, quæ eadem non solùm ad diuersos, uerùm ad contrarios usus quadrare possint, eóq; diuersis annotanda locis. Quod genus, si de insanabili cupiditate hominis auariagis, rectè accommodabis Charybdis fabulam. Rursum, si de inexplebili uentris ingluuie, aut libidine mulieris inexhausta, nimirum conueniet eadem. Item, apologus Aesopi de hirco ac uulpe simul in puteum descendentibus, quadrabit uel in prospicientiam, qua fit, ut non aggrediare negotium, nisi prius apud te perpenderis, qua ratione queas explicare: uel in fictum amicorum genus, qui cum uideantur amici commodis

consulere, maximè tamen agunt suum negotium. Praeterea ex morte Socratis, non solum ducitur exemplum, mortem non esse formidolosam uiro bono, cum ille tam alacri uultu cicutam biberit, uerumetiam uirtutē inuidiae obnoxiā, neq; satis tutā esse in turba malorū. Rursum inutile, uel potius pernitiosum esse Philosophiae studiū, nisi te ad mores cōmunes deflexeris. Iamq; hoc ipsum factū trahi potest & in laudē Socratis, & in uituperiū. Laudādus enim, qui nulla sua culpa, sed sola inuidia damnatus, tam fortiter mortē neglexerit. Vituperandus, qui inutili Philosophiae studio, neglectuq; morum communium, amicis acerbißimum luctum, uxori liberisq; calamitatem, sibi exitiū conciliarit, cū alij soleant utiles esse patriae, suis praesidio simul & ornamento. Eoq; uerè sapientis esse, relictis aliquando tetricis illis sapientiae decretis, uulgi studijs & opinionibus accommodare sese, temporiq; (quod aiunt) seruire. Iam si partes exempli circumspicias, quot locos licebit elicere? Accusatus per inuidiam ab Anyto & Melyto, perditißimis ciuibus, locus est: Veritas odium parit. Item alter, Insignis uirtus conciliat inuidiam. Rursum alius: Apud iudices plerunq; plus ualet nobilitatis ratio, quàm respectus honesti. Rursum alius: Nihil imprudentius opulentia, si cum improbis moribus copuletur. Quid enim absurdius, quàm omni facinore dedecorosos, Socratem

in ius

in ius uocare? Rursum alius locus: Non quidlibet cuiuis decorum est, eoq; Socrates non abijcit sese ad iudicum pedes: neq; enim conueniebat, ut, qui per omnem uitam docuerit mortem non esse formidandam, nisi turpis esset, eum nunc ueluti ob mortis metum abiectè supplicem esse. Quæ eadem causa commouit, ut neq; iudicium declinaret, neq; in media causa exilium eligeret, neq; postremò, cum liceret, è carcere uellet effugere, ne ipse à seipso discrepare uideretur. Atque hæc quidem una pars est. Deinde cum moriturus, tam ociose, tamq; placidè disputat, cum non alio uultu cicutam bibit, quàm quo uinum solet, cum mox emoriturus iocatur in Phædonem, admonens, ut gallum persoluat Aesculapio. Locus est: Mortem etiam optabilem esse his, qui sibi uitæ integrè actæ conscij sunt. Rursum alter locus: Cuiusmodi fuerit hominis uita, id in morte potissimùm apparere. Rursum: Constantis, suiq; perpetuo similis exemplū est. Etenim cuiusmodi fuerat in omni uita Socratis uultus oratioq;, talis erit etiam morituro. Tertia pars est: Dum in carcere agit Socrates, interim nusquam Alcibiades, nusquā Agatho, nusquam Phædrus, sed Crito, Phædon, Simias. Atq; hic locus est, In periculis demum apparere qui sint puri amici: nam uulgares illi sibi tum consulunt, quum in officijs communibus adsunt. Quarta pars est: Dum cum amicis de animæ immortalitate multa

multa disputat, uxorem ac liberos cum pauca mandasset, dimittit. Locus est, Philosophum leuiter tangi oportere uulgaribus affectibus, id quod mirè congruit cum doctrina Christi. Quinta pars est: Statim à morte Socratis, uersus est in accusatores populi furor. Socrati desiderato aurea posita statua. Locus erit, uulgus temerè odisse & amare. Rursum alius: Virtutem praesentem odimus, sublatam ex oculis quaerimus inuidi. Rursum alius: Fucatam gloriam unà cum uita perire, uirtutis splendorem à morte maximè clarescere. Hinc arbitror liquere, in quot usus idem exem-
Parabola. *plum possit accommodari. Similiter & in parabola fiet, uelut in nauigatione, quot similia duci poterunt. Vt optimum gubernatorem tempestas, ita optimum Imperatorem aduersae res declarant. Item, Vt nemo clauum committit amicissimo, sed nauigandi peritissimo: ita nemo reipub. gubernacula mandabit ei, cui studeat maximè, sed quem maximè iudicarit idoneum. Rursum: Quemadmodum uentis nimium secundis nautae uela contrahunt, cum parum prosperi sunt, tum latius pandunt sinus: ita cum res uehementer succedunt, temperandus est animus, ne insolescat. Contrà, cum inimica est fortuna, tum fortitudine ac spe securae felicitatis, dilatandus ac fulciendus. Item, quoties rectum cursum per tempestatem tenere non licet, tum obliquis flexibus eò nihilo secius, quò peruenire*
uelimus,

uelimus, contendere oportebit. Item, quoties nauem uincit tempestatis impotentia, tum anchoram iaciunt nautæ, uelis collectis: ita uesanienti multitudini nonnunquam cedendum est, donec oratione tractabilis esse incipiat. Item, quemadmodum nauta non semper eodem modo tenet uelum, uerùm nunc tollit in altum, nunc contrahit, nunc in hoc latus, nunc in illud transfert, utcunque uentorum ratio postulat: ita sapiens non in omni loco, omniq; tempore & negotio simili uitæ tenore debet uti, sed uultum, orationem, mores, præsentibus rebus accommodare. Item, sicut in magnis tempestatibus peritißimi nautæ, uel ab imperito nonnunquam admoneri se patiuntur, quòd alijs alia soleant in his casibus in mentem uenire: ita bonus rex in magnis reipub. periculis nullius consilium audire grauabitur. Item, ut minimo periculo nauigatur, eo gubernatore, qui maximis sit iactatus periculis: ita tutißimus est ciuitatis status, eo principe, qui grauißimis casibus sit exercitatus. Item, ut qui clauum regit, non satis arbitratur se suo fungi officio, nisi circumactis oculis, quid cuiq; faciendum, admonuerit: ita principem non agit, nisi qui magistratuum etiã inferiorum officia moderatur ac præstat. Item, quemadmodum insaniat nauta, si propter odium aliquorum quos naui uehit, nauim perire sinat, qua perdita, nec ipse poßit esse incolumis: ita sanæ mentis non

sit,

sit, qui ob factiones, patriæ incolumitatem non tueatur, quæ nisi sit incolumis, nec ipse incolumis esse possit. Item, ut non nisi sæuißimus tempestatibus sacram anchoram nautæ iacere solent: ita non est, nisi in grauißimis periculis ac rebus propè desperatis, ad extrema remedia ueniendum. Sed næ ego ineptus, qui ista persequar, cũ iam uideas aliquot similitudinum millia hinc sumi posse. Nonnunquam eadem quoq; collationis pars ad diuersa trahitur, quod genus sit, si lunæ crebras mutationes, uel ad fortunæ uices accommodes, uel ad humanæ uitæ instabilitatem, uel ad stultorũ inconstantiam. Quin eadem quoq; sententia uarios in usus deflectitur: ut, Facundus comes in uia pro uehiculo est, Iucundior est uita, si non solus agas, sed cum lepidis ac festiuis amicis consuetudinem habeas. Rursum: Semper bonus aliquis liber circũferendus, cuius lectione tædium discutias. Item: Si te lætus animus comitetur, & bene sibi conscius, nulla pars uitæ sentiet tædium. Hic optimus est uitæ comes, si læta narret: sin turpium factorum memoriam refricet, tædio enecat. Eadem est prouerbiorum & apophthegmatum ratio. Quorum usum ostendimus in principio collectaneorum prouerbialium. Proinde quædam erunt eadam diuersis ascribenda locis, aut annotanda certè. Nam sat erit aliquando tribus significasse uerbis ascriptis autorum locis, unde peti poßint, præsertim

quæ

quæ paucis exponi non queant. Sed iam quò res exemplo magis fiat perspicua, sit titulus Inconstantia, *aut morum inæqualitas, experiamurq́; quot res ad hunc conferri poßint. Primum è* Poëtarum *fabulis petam* Mercurium *uarias formas sumere solitum, ut est uafer deus, nunc apud superos, nunc apud inferos, nunc apud mortales agentem, uarijs etiam fungentem officijs, nunc* Ganymedis *agentem parteis, nunc nuntia perferentem, nunc animas deducentem ad* Charontē, *nunc negotiatoribus ac patronis operam dantem, nunc cithara utentem, nunc uirga, galero etiam bicolore, postremò uarijs gaudentem cognominibus.* Ea *sunt apud* Aristophanē *in* Pluto. Dicitur *enim* στροφαῖος, ἐμπολαῖος, δόλιος, ἡγεμόνιος, ἐναγώνιος. Apud Homerū *&* apud Hesio. διάκτορος, ἀργειφόντης. Dicitur *&* Cyllenius *&* ἐριούνιος. Petā Vertūnum *deū, cui inde etiā nomē, quòd uertat formā.* Petā Proteū, *omnia uertentem sese in miracula rerū.* Petā Empusam *ex* Aristophanis Ranis, *id est, dæmonis genus, identidē alia atque alia specie sese offerentis.* Itē: Morphea *quoscunq; uelit uultus induere solitū.* Item: Circen *ueneficijs ac magica uirga homines in uarias ferarū formas uertentē.* Nā *improbi secū non constāt, sed diuersis agitantur affectibus.* Petā καιρὸν *uolubilem deum, nunquam sui similem: & huic similem, si uidetur,* Rhamnusiam. Petam Iouem, *nunc aquilam, nunc*

Inconstantię excēpla uaria.

nunc cygnum, nunc taurum, nunc aureum hymbrem factum. Praeterea Chimaeram capite leonis, uentre uirgineo, cauda draconis. Ac uarium illud portentum, quod fingit Horatius in ipsa statim fronte artis poëticae. Adducam & Ianum bifrontem, & triformem Geryonem, & Bacchum, cui poëtae attribuunt τὺν ἡτειαν, hoc est, morum leuitatem & facilitatem, ac talem in Ranis figit Aristophanes. Et si qua sunt alia apud illos, quae prodigiosae uarietatis imaginem habent. Adducam & Vlyssem, & quamlibet pro tẽpore personam gerẽtem, unde & πολύτροπον statim in operis initio eũ uocat Homerus. Deinde à Physicis petam Lunae similitudinem nunquam eodem uultu nobis redeuntis, nunc semiplenae, nunc plenae, nunc emorientis, nunc renascentis, nunc pallentis, nunc rubentis, nũc albicantis, nunc antecedentis Solem, nunc à tergo sequentis. Petã similitudinem coeli uerni aut autumnalis, nunc nubibus obducti, nunc sereni, nunc tranquilli, nunc uentis cõmoti. Petam collationem maris assiduè uicibus aestuarijs decurrentis ac recurrẽtis, praecipuè Euripi mira celeritate septies die ac nocte reciprocãtis. Addam Polypũ, cuius mutabilitas etiam prouerbio locũ fecit. Addam Chamaeleontem colorẽ subinde mutantem. Item Pantherã, ac Pardũ uersicoloribus maculis uariegatũ, aut si quod est aliud animal huiusmodi. Adiungam pueritiae in horas mutatum ingenium.

Adijciam

Adijciam mulieris peculiarem inconstantiam. Vulgus leui momento mobile. Praeterea argenti uiui miram mobilitatem. Arundinem ad omnem auram facilè mobilem. Foliorum arentium, plumæ, ramentiq; leuitatem. Ceræ fluxibilem, ac mobilem naturam. Somniorũ inconstantiam, rotæ uolubilitatem. Adducam laminã, quæ summis turrium aut templorum fastigijs solet imponi, quò uentum circumactu suo indicet. Adducam bilibrem facili momento huc atque huc uergentẽ. Adducam opus uermiculatum uersicoloribus tessellis, miram uarietatem ostentãs. Quædam etiam ingenio finguntur, ueluti si quis comparet inconstantis hominis animũ, nunc hoc, nunc illud cogitantis, speculo rotundo, in foro frequentißimo suspenso, quod huc & illuc discurrente turba, figuris innumeris uarietur. Aut uitro, quod quẽcunq; colorẽ subieceris, eũ imitari uidetur: Aut pensili chalybi, quod hinc atq; hinc admotis magnetibus, quorũ alter alliciat ad sese, alter depellat, leui momento nunc huc, nũc illuc rapiatur, nec unquã conquiescat: Aut sphæræ in plano uolubili. Iam ex historijs mutuò sumam Græcorum genuinam leuitatem, quam describit Iuuenalis, Lubricam Allobrogũ fidem; Pœnos simili morum inconstantia, Scythas in dies mutatis pascuis, nullam certam colentes sedem. Virgam Moysi subinde in aliam atq; aliã uersam speciem. Aristippũ quamuis agentem personam, ut quem omnis (ut

inquit Flaccus) decuit color, nunc Cynico utentem pallio, nũc regia purpura. Item, τὸν μελάγχρουν illum de quo meminit Lucianus. Catilinam uario ingenio, ex Sallustio. Hannibalem, ex Tito Liuio: ex Valerio Maximo, quibus alius fuit uitæ tenor ex adolescentia atq; senectute. Rursum in tertia Horatij satyra Tigellium. Nil æquale homini fuit illi, sæpe uelut qui Currebat, fugiens hostẽ, persæpe uelut qui Iunonis sacra ferret. E Comœdijs exemplũ sumetur muliebris inconstantiæ. Sostrata in Adelphis: Au mi homo, sanus'ne es? an hoc proferendum tibi uidetur esse usquam? Ac paulo post: Ah minimè gentium, non faciam, proferam: Amantium inconstantiam exprimit Phædria è rure repentè rediens. Puerilem inconstantiam Antipho ex Phormione. Sed hoc persequi perlongum est. E Tragœdijs mutuabor Phædram uariatis secũ sententijs, nunc uolentem, nunc nolentem. Medeam item ante filiorum cædem diuersis agitatam affectibus. Ab Ouidio Biblidem, Narcissum. A Marone Didonem, iam Aenea parante discessum, atque hoc genus innumerabiles personas paßim exhibent Poëtæ. Ex Apologis allegabo rusticum illum, qui Satyro admirante, eodem ex ore modò callidum, modò frigidum efflabat. Et si qui sunt alij, nam in præsentia rationem duntaxat ostendimus. E prouerbijs mutuabor τὴν πανάγιαν ἄρτεμιν. Item, ἀνέμου παιδίον. Et τὸν μεταβολώτερος

τέρος κοβόρυς. Et ὕδρας ποικιλώτερος. Et, λιβυκὸν θηρίον. aliaq; consimilia. Nã ipsi in prouerbijs locos adiunximus, unde ista peti poßint. Et, Saxũ quod subinde uoluitur, non obducitur musco. Et, Arbor quæ subinde trãsplantatur, non grandescit. Rursum ex apophthegmatis adducã illud dictũ in Ciceronem: Duabus sedere sellis. Et in eundẽ à Sallustio scriptum: Aliud stans, Aliud sedẽs loquitur. Ex Homero, ἀλλοπρόσαλλον. Sic enim uocat Martẽ incertarũ partium, quiq; nũc cũ his sentit, nunc illis. Ex Ouidio, ni fallor: Et tantũ constans in leuitate sua. Ex Horatio: Leuior cortice. Et, Mutat quadrata rotundis. Et, Romæ Tybur amo, uentosus Tybure Romam. Ex Plauto: Tipula leuior. E Terentij Phormione: Volo, nolo: nolo, uolo: qd' dictũ est, nõ dictũ est. Ex Euripide: πλάγια γὰρ φρονεῖς, τὰ μὲν νῦν, τὰ δὲ πάλαι, τὰ δὲ αὖτίκα. Iã apparet, opinor, quanta huius quoq; generis suppellex ex tot scriptoribus colligi poßit. Eadem est sententiarũ ratio, quas nõ tantùm ab autoribus sumere, uerumetiã oro re nouas parere licet. Quibus omnibus, si totidem opponas contraria, deinde subiunxeris utrinque finitima, nimirum quàm immensus orationis penus futurus sit uides. At cum tam uarius sit usus, id quod diligentius ostendemus in opere de ratione conscribendarum epistolarum, nihil erit quod non aliqua pacto poßis ad locupletandam orationem accommo-

dare: quandoquidem contraria quoq; adhibentur, uel per ironiam, uel per dißimile, uel per comparationẽ. Per ironiam, ut si quis hominem nunquam sui similem, Socratẽ appellet, qui in omni uita semper eodem uisus est uultu. Per dißimile, ut si dicas: C. Iulium Cæsarem nullius unquam facti pœnituit: hic nihil unquam decreuit, quod non mox resciderit. Per comparationem, si dicas: Quàm Cato ille, quẽ Cicero præfractum uocat, à sententia non potuit abduci: tam hic non potest in eadem retineri sententia. Porrò finitima, quòd sunt facili deflexu, ád uicina trahuntur. Quod genus Persianum illud: Tecum habita. Nam etsi propriè quadrat in eum, qui maiora molitur, quàm pro sorte sua, tamen quia non esse sua sorte contentum, cum inconstantia cognationem habet, huc torqueri poterit, præsertim cùm Seneca scribat: Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari. Quin eadem simul & in laudem torqueri possunt, ut si omnium horarum hominem, uersatiliq; ac dextro ingenio laudes. Ex inconstantiæ penario sumes polypum, ad speciem subiecti soli mutantem colorem. Sumes Euripum, ac negabis mare hoc esse tam uersatile, quàm huius sit ingenium. Sumes flammam, stare nesciam. Sumes cœlum subinde alia facie. Sumes arundinem utcunq; flauerint auræ flectentem sese. Dices sapientis esse, pro re nata, pro

tempore,

tempore, pro loco mutare sententiam, ac uitæ rationem. Stupida saxa, ac brutam tellurem unam non moueri. Cæterùm ex animantibus, ut quodque præstantißimum est, ita maximè mobile esse. In uniuersa natura, quò quidq; præclarius est, hoc à quiete longius abesse. Infima est, quæ non mouetur terra, at mobilis aqua, mobilior aër, ignis hoc quoque mobilior, cœlum quàm maximè mobile. Proinde mentem hominis, auram atq; ignem ab antiquis uocari. Contrà, stultos, tardos, stupidos, lapides, plumbum, in quas res maximè cadit constantiæ uocabulum. Per huiusmodi locos pleraque è constantiæ supellectile ad uituperandum traxeris: & ex inconstantiæ, ad laudem detorseris. Verùm de his, at modò dictum est, aliâs tempestiuius.

MODVS REPETENDAE LECTIONIS EX ERASMO.

QVibusdam prima ac unica ferè cura est, statim ad uerbum ediscere: quod equidem non probo.

Est enim tum magni laboris, tum fructus propè nullius.

Quorsum enim attinet psittaci more uerba nõ intellecta reddere? Commodiorem igitur uiam accipe.

Lectionem quidem auditam continuò relege, ita ut uniuersam sententiam paulò altius animo infigas.

Deinde à calce rursus ad caput redibis, & singula uerba excutere incipias, ea duntaxat inquirens, quæ ad grammaticam curam attinent, uidelicet, si quod uerbum obscuræ aut ancipitis deriuationis, si heteroclitæ coniugationis, quod supinum, quod præteritum faciat, quos habeat maiores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet, & huiusmodi nonnulla.

Hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito, ea iã potißimùm inquirens, quæ ad artificium rhetoricum spectant.

Si quid uenustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum uidebitur, annotabis, indice, aut asterisco apposito.

Verborum compositionem inspicies, orationis decora sciscitabere. Autoris consilium indagabis, qua quidq; ratione dixerit.

Vbi quid te delectauerit uehementius, caue præter easam (quod aiunt) fugias. Fige pedem, ac abs teipso rationẽ exige, quare tantopere sis ea oratione delectatus, cur non ex cæteris quoq; parẽ ceperis uoluptatẽ.

Inuenies te acumine aut exornatione aliqua oratoria, aut compositionis harmonia, aut (ne omnia persequar) simili quadam causa commotum fuisse.

Quòd si aliquod Adagium, si qua sententia, si quod pro-

prouerbium uetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breuiter, acutè, aut alioqui ingeniose dictum esse uidebitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito, ad usum & imitationem.

His diligenter curatis, ne pigeat quartò iterare.

Nam hoc habent eruditorum uirorum, summo ingenio, summis uigilijs elucubrata scripta, ut millies relecta magis magisq; placeant, semperq; admiratori suo nouum miraculum ostendant.

Id quod tibi in tabula sua sæpenumero, nec sine causa laudata, euenire solet, quod antea non animaduertisses: idē tibi multo amplius in bonis autorib. eueniet.

Releges igitur quartò, ac quæ ad philosophiā, maximè uerò Ethicē referri posse uideantur, circūspicies, si quod exemplum quod moribus accommodari posśit.

Quid autem est, de quo non uel exemplum uiuendi, uel imago quædam, uel occasio sumi queat?

Nam aliorum pulchrè ac turpiter factis, quid deceat, quid non, iuxtà uidemus.

Hæc si facies, iam uel edidiceris, quanquam aliud egisti.

Tum demum, si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tū aut nullus erit, aut certè perquàm exiguus.

Quid deinde? Restat ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, uicisśimq;

illorum audias: alia laudabis, alia reprehendes: tua partim defendes, partim castigari permittes.

Postremò, quod in alijs laudasti, tuis in scriptis imitari conaberis.

Item, à lectione subinde surgas, ac tecum inambulans, quæ legeris repetas.

CONCIO DE PVERO IESV, PRONVNCIATA À PVERO IN SCHOLA *Coletica, nuper instituta Londini.*



VER *apud pueros uerba facturus de ineffabili puero* IESV, *non optarim mihi Tullianam illám eloquentiam, quæ breui atq; inani uoluptate aures deliniat. Quantũ enim abest* CHRISTI *sapientia à sapientia mundi (abest autem immenso interuallo) tantum oportet Christianam eloquentiam à mundana differre eloquentia. Sed illud unà mecum ardentibus uotis impetretis uelim ab optimi* IESV *optimo patre Deo, à quo ceu fonte, bonorum omnium summa proficiscitur, quiq; solus fœcundo illo suo spiritu linguas infantium reddit disertas,*

uel

uel è lactentium ore laudem absolutam depromere solitus, ut quemadmodum omnis nostra uita non alium exprimere debet, quàm ipsum, de quo dicturi sumus, IESVM: ita & oratio nostra illum sapiat, illum resferat, illum spiret, qui & uerbum est patris, & uerba uitæ solus habet, cuius sermo uiuus, & efficax, penetrantior est quouis gladio ancipiti, ad intimos etiam cordis recessus penetrans. Vtq; ipse, de cuius uentre flumina promanant aquæ uiuæ, non grauetur per organum uocis nostræ, uelut per canalem, in omnium uestrum animos influere, multoq; gratiæ cœlestis irrigare succo. Id ita futurum confido, commilitones mei charissimi, si pijs uotis purgatas, ac uerè sitientes aures adiungetis, eas uidelicet aures, quas æternus ille sermo requirens in Euangelio, Qui habet (inquit) aures ad audiendum, audiat. Nos porrò cur non audiamus rem hanc, arduam quidem illam, sed tamen piam aggredi? Præsertim ipso adiutore Deo, in quo hoc plus potest mortalis infirmitas, quo minus suis nititur uiribus, & in quo PAVLVS omnia se posse gloriatur. Iam uerò cùm tanto studio flagrent isti, qui mundanæ, hoc est, diabolicæ militiæ dedere nomina, ut suũ quiq; ducem laudibus uehant, nobis quid prius aut antiquius esse debet, quàm ut præceptorem, uindicem, imperatorem nostrum IESVM, ac eundem quidem omnium, sed tamen peculiariter nostrum, id est, pue-

rerum principem, certatim pijs celebremus præconijs? Hunc in primis cognoscere studeamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatum exprimamus, atq; imitemur, imitantes eo fruamur, fruentes immortali felicitate potiamur. Sed in tam ubere tamq; immensa rerum copia, unde quæso initium, aut ubi finem nostra reperiet oratio? Cum is de quo loqui paramus, fons sit, uel (ut uerius dicam) Oceanus bonorū omniū. Verùm ut ipse natura incomprehensus & infinitus, tamen sese uelut in arctum cohibuit, contraxitq; : Itidem & nostra oratio in explicandis eius laudibus, quæ modum nesciunt, modum tamen ipsa sibi faciat oportet. Equidem tria potißimùm esse uideo, quæ uel discipulorum, uel militum animos solent ad gnauiter agendum inflammare: ea sunt ducis admiratio, amor, & præmium. Itaq; quò præceptori nostro ac duci IESV studijs alacrioribus pareamus, agedum singulatim hæc in eo pia curiositate consideremus. Primo loco quàm sit suspiciendus undiq; ac stupendus. Deinde quantopere diligendus, atq; ob id imitandus. Postremò, quàm ingens dilectionis fructus. Ac mos quidem est rhetorum in hoc dicendi genere, illustrium principum adhibere exempla, uidelicet quò collatione crescat is, quem conantur laudibus attollere. Verum imperator noster usque adeò superat omne celsitudinis humanæ fastigium, ut quicquid quantumuis

egregium adhibueris, tenebras admoueris, non lucem. Cuius enim imagines, ac natalium splendor non uideatur esse fumus, si cum IESV componas? Qui quidem ineffabili, imò etiam incogitabili ratione Deus à Deo semper absq; tempore nascitur, æterno summoq; parenti per omnia æqualis. Quanquam huius uel humana natiuitas nonne facile regum omnium claritatem obscurauerit? Quippe qui stupente rerum natura, autore patre, afflante spiritu, pronubo Angelo, citra uirilem operam, uirgo de uirgine cœlitus grauida, natus est homo in tempore: & rursum ita natus homo, ut neq; Deus esse desineret, neq; sordium nostrarum quicquam omnino contraheret. Iam uerò quid eo fingi potest amplius, qui infusus per omnia, nullo tamen loco cohibitus, in se ipso manet immensus? Quid illo ditius, qui summum illud est bonum, à quo bona promanant omnia, nec tamen ipse diminui potest? Quid illustrius eo, qui splendor est paternæ gloriæ, quiq; solus illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum? Quid illo potentius, cui pater omnipotens uniuersam tradidit potestatem in coelo & in terra? Quid efficacius eo, qui simplici nutu condidit uniuersa, ad cuius iussum silescit mare, uertuntur rerum species, fugiunt morbi, concidunt armati, pelluntur dæmones, seruiunt elementa, scinduntur petræ, reuiuiscunt mortui, resipiscunt peccatores, deniq; nouantur omnia?

Quid

Quid augustius eo, quem admirantur superi, tremunt inferi, medius hic orbis supplex adorat, ad cuius comparationem summi reges nihil aliud quàm uermiculos esse se confitentur? Quid eo fortius atque inuictius, qui solus mortem alijs inuictam, sua morte deuicit, ac sathanæ tyrannidem cœlesti uirtute demolitus est? Quid triumphantius eo, qui perfractis ac spoliatis inferis, tot pijs comitatus animabus, uictor cœlos adijt, ibiq́; sedet ad dexteram Dei *patris? Quid illo sapientius, qui tam admirabili ratione cuncta condidit, ut uel in apicula tot, tantaq́; suæ sapientiæ reliquerit miracula, quiq́; tam stupendo rerum ordine, atq́; harmonia nectit, continet, administrat uniuersa, obiens omnia, nec tamen à seipso discedens, omnia mouens ipse immotus, omnia concutiens ipse tranquillus: postremò in quo id, quod stultißimum est, uniuersam mortalium sophorũ sapientiam longo superat interuallo? Cuius debet nobis esse grauior autoritas, quàm eius de quo pater ipse palàm est testificatus: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui, ipsum audite. Quid æquè reuerendum, atq; is cuius oculis perspicua sunt omnia? Quid perinde formidandum atq; ille, qui solo nutu potest & animam & corpus in tartara mittere? Quid aũt formosius eo, cuius uultũ intueri summa est felicitas? Deniq́; si multis pretium addit antiquitas, quid illo antiquius, qui nec initium habet, nec finem est habiturus?*

Sed

Sed fortasse magis conuenerit, ut pueri puerum admiremur, quandoquidem hic quoq; stupendus occurrit: usqueadeo, quod illius est infimũ, sublimius est ijs, quæ sunt apud homines excelsissima. Quantus erat ille, quem infantulum uagientem, pannosum, abiectum in præsepe, tamen cœlitus canunt angeli, adorant pastores, adorat & quæ genuit, agnoscũt bruta animantia, indicat stella, uenerantur Magi, timet rex Herodes, trepidat omnis Hierosolyma, sanctus amplectitur Symeon, uaticinatur Anna, in spem salutis eriguntur pij? O humilem sublimitatem, & sublimem humilitatem. Si noua miramur, quid simile unquam aut factum, aut auditũ, aut cogitatum? Si magna suspicimus, quid nostro IESV *modis omnibus amplius, quem nulla creatura posit uel exprimere uoce, uel cogitatione concipere? Huius magnitudinem qui uelit oratione complecti, is multò stultius agat, quam si conetur uastissimum Oceanũ angusto exhaurire cyatho; Adoranda est eius immensitas magis, quàm explicanda, quam uel hoc ipso magis mirari conuenit, quo minus assequimur. Quidni nos faciamus, cum magnus ille præcursor indignum sese pronunciet, qui corrigiam calciamentorum eius soluat? Agitè igitur pueri suauissimi, hoc tam inclyto puero* IESV *præceptore, hoc tam insigni duce sancta superbia gloriemur, huius sublimitas nobis ad piè audendum animos addat, in hoc uno nobis ipsi*

placeamus,

placeamus, ut existimantes illius omnia nobis esse cõmunia, nosipsos meliores arbitremur, quàm qui semel tali addicti imperatori, mundo, uitijsúe, sordidißimis utiq; dominis seruiamus.

SECVNDA PARS.

Sed admirantur & contremiscunt etiam dæmones, at amant soli pij. Quamobrem altera huius orationis pars, ut propius ad nos pertinet, ita est attentioribus auribus accipienda. Videlicet quot nominibus IESVS sit nobis amandus, uel redamandus magis, ut qui nos & nondum conditos, ante omne tempus amarit in se, in quo iam tum erant omnia. Ita natiua sua bonitate, cum nihil essemus, nos finxit: finxit autem non quoduis animal, sed hominem: & finxit ad suam ipsius imaginẽ, hoc est, summi boni capaces, ac sacro sui oris afflatu spiritum uitalem indidit. Ad hæc cæteris animantibus imperio nostro parêre iußit. Quinetiam angelis in nostri tutelã designatis, latissimam hanc, ac pulcherrimam mundi fabricam nostris addixit usibus. In qua nos uelut in admirabili quodam theatro constituit, ut in rebus creatis opificis sapientiam admiraremur, bonitatem amaremus, potentiam ueneraremur: quoq; id magis fieret, tot sensuum adminiculis instruxit, tot animi dotibus ornauit, tam perspicaci ingenij lumine cõdecorauit. Quid hoc animãte fingi poterat uel admirabilius uel felicius? Sed ô

semper

semper felicitatis comitem inuidiam. Rursum serpentis astu in peccatum, hoc est, plusquam in nihilū relapsus est miser. Sed hic tu rursum optime IESV, *quàm ineffabili consilio, quàm inaudito exemplo, quàm incomparabili charitate tuum figmentū restituisti? Nam ita restituisti, ut labi propemodū expedierit, eāq; culpā quidam non absurdè felicē uocauerit. Omnia debebamus conditori, at reparatori plusquā omnia debemus. Vltro temetipsum è regno patris in hoc nostrum exilium demisisti, ut nos è Paradiso exactos, cœli ciues redderes: nostrā humanitatē assumpsisti, ut nos in tuæ diuinitatis consortiū ascisceres: nostrum hunc limum induisti, ut nos immortalitatis gloria uestires: nostra tectus forma, nobiscū in hoc calamitoso mundo cōplures annos agere uoluisti, ut uel sic in tui raperes amorē: nudus in hāc lucē, imò noctē, emersisti nobiscū: atq; adeò pro nobis uagisti, sitisti, esuristi, alsisti, æstuasti, laborasti, delassatus es, eguisti, uigilasti, ieiunasti, tot malis nostris obnoxius esse uoluisti, ut nos ab omnibus exēptos malis, in tui, hoc est, summi boni cōmunionem assereres. Deinde per omnē sanctißimæ uitæ tuæ seriem, quàm efficacibus exemplis animos nostros inflāmas? quàm salutaribus præceptis erudis, ac formas? quā stupendis miraculis expergefacis? quā blandis monitis trahis? quàm certis promißis inuitas? ut non sit alia commodior uia ad te, nisi per teipsum, qui unus es*

uia,

uia, ueritas, & uita. Sed uiam non indicasti modò, uerumetiam aperuisti, dum pro nobis uinciri, trahi, damnari, rideri, cædi, conspui, uapulare, probris affici, demum & in ara crucis agnus sine macula immolari uoluisti, ut nos tuis uinculis solueres, tuis sanares uulneribus, tuo lauares sanguine, tua morte ad immortalitatem eueheres. In summa, totum te nobis impendisti, ut tui (si fieri posit) iactura nos perditos seruares, uitæ redditus toties tuis apparuisti, atque illis intuentibus patrem repetisti, ut membra confiderent eò se peruentura, quò caput iam præcessisse conspicerent. Deinde quo magis confirmares amicos, patre placato egregium illud perpetui amoris tui pignus misisti, sacrum illum spiritum, quo mortui mundo longè uerius ac felicius iam uiueremus in te, quàm nostro hoc spiritu uiuimus. Quæso quid his summæ charitatis argumentis poterat accedere? Ne hæc quidem tam multa, tam magna flagrantissimo tuo in nos amori sat erant. Quis enim commemorare posset, quot martyrũ mortibus nos ad huius uitæ contemptum animas? quot uirginum exemplis ad continentiam accendis? quot sanctorum monumentis ad pietatem solicitas? quàm admirandis ecclesiæ tuæ sacramentis communis pariter ac ditas? ut consolaris, erigis, armas, doces, mones, trahis, rapis, mutas, transformas nos arcanis tuis literis, in quibus uiuas quasdam tui scintillulas condi uoluisti,

magnum

magnum amoris incendium excitaturas, si quis modò pia diligentia conetur excutere. Deniq; *quàm undiq; nobis obuius es, ne quando liceat obliuisci tui.* Ad *hæc quàm paternè toleras peccantes? quàm clementer recipis ad te redeuntes?* Nec *imputas benefacta tua gratis, nec resipiscentibus nostra imputas malefacta.* Vt *subinde tacitis uellicas, ac trahis instinctibus? ut emendas aduersis? ut allicis prosperis? ut omnem moues lapidem? ut nusquam cessat ardentissima charitas in fouendis asserendis, tuendis, beandis nobis?* Sed *quā pauca de tam innumeris perstrinximus cōmilitones, & tamen uidetis quàm sit immensus beneficiorum aceruus.* E*at nunc qui uolet, &* Pyladas, Orestes, Pirithoos, Theseos, Damonas, ac Pythias *uerbis phaleratis efferat, mera præ his nugamenta.* Atq; *hæc quidem contulit ultro nihil promeritis, imò transfugis, atq; hostibus, & à quibus nihil omnino mutui beneficij redire poterat.* Si *mediocribus officijs homines ad amandum hominem accendimur, hunc conditorem, uindicem, sic amantem, sic promeritū, nō saltem redamabimus? quādoquidem hanc solam gratiam ille à nobis reposcit, quàm tamen ipsam in nostrum refundit lucrum.* Ad*amas sanguine mollescit hircino: aquilæ, leones, pardi, delphines, dracones, agnoscunt ac referunt beneficiū: & ô duritiam cordis humani plusquam adamātinam, si tam inaudita charitate non mitescit: ô ingratitudi-*

nem plusquam beluinam, sit tantorum meritorũ potest obliuisci: ô singularem impudentiam, dicam, an potius dementiam, si sic conditus, sic restitutus, sic locupletatus, tanta obrutus beneficentia, ad tantas uocatus spes, quicquam amare potest, præter illum unum, in quo & à quo sunt omnia, quiq; nobis omnia secum impertit. Porrò autem quanquam hæc mortalis omnis complectitur, tamen nos illi peculiariter debemus, propterea quòd in nostrum, hoc est, puerorum ordinem, singulari quadam propensione, atque indulgentia fuisse sese pluribus declarauit argumentis. Primùm, quòd ita ut erat uatum oraculis promissus, puer paruulus nasci uoluit, cum esset immensus. Præterea quod adhuc uteri uirginei latebris inclusus, infantis item nondum nati, gestu atq; exultatione gauisus est salutari. Deinde quòd statim innocentium puerorum sanguine, suam natiuitatem uoluit consecrari, ut his quasi uelitibus dux inuictu bellum auspicaretur. Adde his quòd instante morte triumphali, Hierosolyma ueniens, puerorum occursu atq; officio decorari, puerorum uoce suas laudes decantari maluit. Iam uerò quàm amantem, quãq; solicitum puerorum patronum agit, cùm matribus infantes suos offerentibus, ut IESV contactu consecraretur, discipulis ne possent admitti uetantibus indignans, Sinite (inquit) paruulos uenire ad me? Neq; uerò pueris benedixit tantùm, uerumetiam negat ulli mor-

mortalium aditum patêre in regnum cœlorum, nisi qui ad paruulorum formā descenderit. Rursum quàm *amanter & illud, cum tam grauiter deterret ab offen dendis pusillis, affirmans magis expedire, ut molari saxo collo alligato præceps in mare detur aliquis, quàm ut unum quemlibet ex his paruulis offendat? Atque his quàm insigne addidit elogium ad puerorum commendationem? Amen dico uobis, angeli eorum semper uident faciem patris.* Gratias agit tibi tuus, tibiq; *dicatus grex* IESV *præceptor, cui quæso, ut sacras tuas manus semper admouere uelis, & ab omni scandalo procul arceas.* Quid illud? nónne magnum amoris indicium, cum puerum in medio collocatum discipulis cum exemplum proponit? Nisi, inquiens, conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. An non eodem pertinet, cùm Nicodemo sciscitanti, qua uia posit ad uitam immortalem pertingere, iubet ut denuo renascatur, hoc est, in puerum redeat? Vsqueadeò CHRISTO duci nostro placuit infantia, ut senes etiam cogat repuerascere, si modò uelint in illius admitti consortium, extra quem nulla salutis spes est. Neq; uerò à CHRISTO dissonat Petrus, cum admonet, ut tanquam nuper editi infantes lac concupiscamus. Neque discrepat PAVLVS, Filioli mei, inquiens, quos iterum parturio, donec formetur CHRISTVS in uobis. Idem paruu-

los in CHRISTO lacte potat. Multa sunt id genus loca in mysticis literis. Omnino Christianismus nihil aliud est, quàm renascentia, quàm repuerascentia quædam. Magnum igitur pueri, magnum pueritiæ sacramentum, quà IESVS tantopere delectatus est. Non contemnamus ætatem nostram, quàm uerus ille rerum æstimator tanti fecit. Tantum demus operam, ut eiusmodi simus pueri, cuiusmodi diligit IESVS. Diligit autem innocuos, puros, dociles, simplices: atq; illud interim meminerimus hanc Deo gratam pueritiam, non in annis esse sitam, sed in animis: non in temporibus, sed in moribus. Est enim præposterum quoddam, nobisq; magnopere fugiendum puerorum genus, qui mento leui, mente sunt hirsuta, & ætate impuberes, uitiosa astutia senes sunt. Est igitur nouum quoddam pueritiæ genus, quod à CHRISTO probatur, pueritia citra puerilitatem, & omnino senilis quædam pueritia, quæ non annorum numero constat, sed innocentia, sed ingenij simplicitate. An non id palàm indicat Petrus cum ait: Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidiàs, & detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem? Cur addidit rationabile? nempe ut excluderet stultitiam, quæ huius ferè ætatis consueuit esse comes. Cur detrahit inuidias, simulationes, ac reliqua id genus

uitia

uitia, quæ senum sunt quasi peculiaria? nimirum ut intelligeremus CHRISTI *queros simplicitate ac puritate æstimare, non natalibus.* Ad eundem modum & Paulus: Malitia, inquit, paruuli estote, sensibus autem perfecti. Quanquam est omnino in ipsa puerorum ætate natiua quædam bonitas, ac uelut umbra quædam ac simulacrum innocentiæ, uel spes potius atq; indoles futuræ probitatis. Mollis, & in quemuis habitum sequax, animus, pudor optimus innocentiæ custos, ingenium uitijs uacuum, corporis nitor, ac ueluti flos quidam uernantis æui, & nescio quomodo quiddam spiritibus cognatum ac familiare. Neq; enim temerè fit, ut quoties apparent angeli, puerili specie sese offerant oculis. Quinetiam magi siquando suis incantamentis spiritum eliciũt, in puerile corpus feruntur accersere: at quanto libentius spiritus ille diuinus, pijs ac sanctis euocatus uotis, in huiusmodi domicilia demigrabit? Ergo ad has naturæ dotes, si accesserit summi illius & absoluti pueri imitatio, tum demum & grati in illum, & illo digni pueri uidebuntur. Etenim sic promeritũ quis possit non amare? Verũ enimuero ea ueri amoris uis est, ut eius quod ames, quàm simillimus esse cupias. Quod si in nobis efficit amor humanus, quantnm æmulandi studium excitabit amor diuinus, cui ille collatus uix amoris umbella est? Proinde si uerè atq; ex animo, non uerbotenus IESVM amamus, IESVM pro no-

stra uirili conemur exprimere, uel potius in illum transformari. Quòd si uirum assequi non possumus, saltem pueri puerum imitemur. Quanquam hoc ipsum facinus est haudquaquam puerile, imò senilibus etiam uiribus maius, sed quod ferè nusquam succedat felicius quàm in pueris. Etenim quoties negocium ab humano pendet præsidio, tum robur, ætas, sexus expenditur: uerùm ubi gratiæ res agitur, non naturæ, tum hoc efficatius exerit sese miraculum spiritus, quo minus erat opis ac fiduciæ in carne. Denique quid dubitemus, aut diffidamus, ipso formante, fingente, ac transformante nos, quem conemur exprimere? Quis Danieli puero tantum addidit prudentiæ? quis puero Salomoni tantum tribuit sapientiæ? quis tribus illis pueris tantum adiunxit tolerantiæ? quis puerum Heli dignum diuino fecit alloquio? quis Nicolao puero, quis Aegidio, quis Benedicto, quis Agneti, quis Cæciliæ, quis tot tam teneris uirgunculis, tam masculam atque inuictam uirtutem dedit? Profectò non natura, sed gratia: & ubi minus succurrit natura, ibi mirabilius operatur gratia. Hac igitur freti, magno animo studium æmulandi puerum IESVM capessamus, nec unquam oculos ab eo uelut à scopo deflectamus. Absolutum exemplar habemus, nihil est quod aliunde petere oporteat. Omnis illius uita, quid nos sequi debeamus, clamitat. Quid autem docuit puer ille purißimus, de purißima

uirgine

uirgine natus, nisi ut omnem huius mundi spurcitem, & inquinamenta uitemus, atque angelicam quandam uitam iam nunc in terris meditemur, hoc est, id esse meditemur, quod illic semper sumus futuri? Porrò spiritus IESV *cum omneis sordes auersatur & odit, tum præcipuè beluinam illam, & prorsus homine indignam libidinem. Quid autem docuit nos, natus peregre, editus in tuguriolo, abiectus in præsepe, pannis inuolutus, nisi ut semper meminerimus nos hic paucorum dierum hospites esse, utq; calcatis opibus, spretis mundi falsis honoribus, per pios labores ad cœlestem illam patriam expediti festinemus, in qua iã nunc animo uiuamus oportet, etiamsi corporeis interim pedibus terram contingimus? Rursum quid admonuit in Aegyptum aufugiens nisi ut inquinatorum commertium modis omnibus deuitemus, qui* IESVM *in nobis, hoc est, innocentiam, ac mundi neglectum conatur extinguere? Quid uerò docuit circuncisus, nisi ut omneis carnis affectus ad* CHRISTVM *properantibus obstrepentes amputemus, ac tanquam in nobis ipsis mortui, solo* IESV *spiritu ducamur ac uegetemur? Quid docuit oblatus in templo, nisi ut totos nos ab ipsa iam infantia Deo rebusq; sacris dedicemus consecremusq;, ac protinus recenti adhuc mentis testa* IESVM *imbibamus? Neque enim ulla ætas ad discendam pietatem immatura*

est, imò non est alia magis tempestiua ad discendum CHRISTVM, quàm ea, quæ mundum adhuc nescit. Iam ipsi apud uos æstimate pueri, puer ille sic natus, sic Deo dicatus, quàm sanctis studijs totam pueritiam transegerit, non otio, non cibo, non somno, non ineptis lusibus, non stultis fabulis, non euagationibus, quemadmodum puerorum uulgus facit, sed aut parentum obsequijs, aut sacris orationibus, aut auscultandis doctoribus, aut pijs meditationibus, aut sancti ac serijs cum æqualibus pueris colloquijs. An non hæc, & multa similia summatim complexus est sanctus Lucas? cum scribit ad hunc modum: Puer crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. An non palàm uidetis nouum pueritiæ genus? de pristinis pueris dictum est: Stultitia colligata est in corde pueri. De nouo hoc auditis, plenus sapientia. Quid adhuc ætatis inscitiam præteximus, cum audiamus non sapientem, sed plenum sapientia puerum? Videte ut omnem rerum ordinem hic puer inuertit, qui loquitur in Apocalypsi: Ecce ego noua facio omnia. Perditur sapientia senum, ac prudentia prudentium reprobatur, ac pueri implentur sapientia. Nimirum hoc nomine gratias agens patri: Quoniam, inquit, abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Porrò ne stultam huius mundi, ac fucatam sapientiam affectaremus, protinus adiecit: Et gratia Dei erat in illo. Is uerò de-

rò demum sapit, qui mundo desipit, & nil nisi CHRISTVM sapit. Is non è philosophorum libris, non è Scoticis argutijs, sed syncera fide cognoscitur, sic tenetur, charitate deuincitur. Iam uerò quàm multa docuit nos? Vbi duodecim natus annos, à parentibus furtim subduci sese, ne inter notos quidem ac propinquos repertus, post triduum deniq; inuentus est. Sed ubi tādem inuentus? Num in circulis? num in choris? num in uijs aut foro? Audite pueri, ubi repertus sit IESVS, relictis parentibus, quodammodo fugitiuus, & ubi uos uersari conueniat, intelligetis. In templo inquam, inuentus est, in medio doctorum sedens, audiens illos, ac uicißim interrogans. Quid docuit nos IESVS his tam admirādis factis? Non dubium quin rem magnam, rem seriam, rem imitandam docuerit. Quid autem? quid? nisi ut grandescente in nobis CHRISTO, quandoquidem & in nobis nascitur, & habet suos ætatum gradus, donec occurramus in uirum perfectum, & in mensuram plenitudinis eius. Ergo cum grandescit in nobis, docet ut naturales parentum & amicorum affectus in Deum transferamus, nihil hic amemus nihil miremur, nisi in CHRISTO, & CHRISTVM in omnibus. Meminerimus nos uerum patrem, patriam, cognatos, amicos habere in cœlis. Verùm ne quis imaginetur hunc parentum neglectum, fastum, aut inobedientiam sapere, consequitur, Et erat subditus il-

tus illis. Imò nemo suos parentes uerius amat, nemo magis piè colit, nemo obseruantius morem gerit, quàm qui sit contemnit. Quid autem est sedere in templo, nisi in rebus sacris conquiescere, & ad discendum animum ab omnibus tranquillum curis adferre? Nihil autem uitijs est turbulentius, & ocium ac quietem amat sapientia. Iam quid tandem nos grauemur discere, quàm attentas aures præceptoribus præbere conuenit: cum puer ille cœlestis, sapientia Dei patris, in medio doctorum sedeat, audiens uicißim ac respondens: sed ita respondens, ut omnes eius sapientiam admirarentur. Neque id mirum, cum is esset, ad quem omnis mundi sapientia stulta est. Præclara res legum prudentia, egregia res philosophiæ cognitio, suspicienda res theologiæ profeßio. Verùm si quis IESVM audiat, illico stultescunt omnia. At nostra responsio, si sapientiæ miraculum excitare non potest, certè sapiat modestiam, sonet innocentiam. Rursum obsecro, quàm morigeros, quàm obsequentes nos esse decet parentibus ac præceptoribus, quos potiores ueluti ingenij parentes habemus, posteaquam ille dominus omnium cum à parentibus non intelligeretur, tamē subditus illis redierit in Nazareth. Debetur hoc pietati, debetur parentum reuerentiæ, ut aliquoties illorum uoluntati cōcedamus, etiamsi nos meliora uiderimus. Sed iam operæprecium est audire, quàm apto fine Lucas

casi IESV *pueritiam concluserit. Et* IESVS *(inquit) proficiebat sapientia, ætate & gratia apud* Deum, *& apud homines. Quàm multa, quàm paucis nos docuit? Primum, cum ætatis accessione, pietatis item accessionem oportere copulari, ne illud in nos iure dici poßit, quod in hominum uulgus diuus dixit* Augustinus: *Qui maior est ætate, maior est iniquitate. Néue in hoc pulcherrimo certamine unquam restemus, aut nos assecutos arbitremur, sed in morem currentium in stadio, à tergo relicta negligentes, in anteriora nitamur, ac semper à bonis ad meliora, à melioribus ad optima proficere conemur, donec ad metam, hoc est, huius uitæ finem peruentum erit. Socrates iam admodum senex, perinde quasi nihil sciret, ita semper & à quouis discere sitiebat. Itidem & nos quo magis in* CHRISTO *fuerimus, hoc minus nobis placebimus, si modò uerè in illo fuerimus progreßi, adeò φιλαυτία pestis est & studiorum, & pietatis. Ac iuxta* Fabium *præcox illud ingeniorum genus, non temerè peruenit ad frugem uel eruditionis, uel innocentiæ.* E*quidem nec ordinem ociosum esse puto apud* Deum, *& apud homines, ut intelligamus in primis dandam operam, ut uita nostra* Deo *placeat. Id agentes, humanus fauor ultrò consequetur. Nihil enim uirtute pulchrius, nihil amabilius, quàm laus hoc magis sequi solet, quò minus appetitur. Paucis, ut potuimus,*

uobis

uobis expreßimus exemplar pueri, quem & amare plurimùm, & imitati studiosißimè debemus. Atq; omnino *tantum uidebimur amare, quantum fuerimus imitati.* Rursum, *tanto plenius imitabimur, quanto amabimus ardentius.* Proinde *hoc ipsum ab illo quotidianis ac puris præcibus flagitemus, ut nobis donet amore sui flagrare, sui similes euadere, hoc est, castos, puros, incontaminatos, mites, simplices, tractabiles, expertes fuci, ignaros doli, nescios inuidiæ, parentibus morigeros, præceptoribus dicto audientes, mundi contemptoris, rebus diuinis addictos, pijs literis intentos, nobis ipsis quotidie meliores, probatos superis, gratos hominibus, odore bonæ famæ quàm plurimos ad* CHRISTVM *allicientes. Hæc, inquam, aßiduè flagitemus, hæc manibus pedibusq; conemur, dum habilis ætas, breui alioqui fugitura.* Etenim *si rectè monuit* Fabius, *optima statim ac primò discenda, quid prius disci debet, quàm* CHRISTVS, *quo nihil est melius?* Imò *quid aliud discere oportet Christianum, quàm eum unum, quem nosse, uita est æterna? quemadmodum ipse testatur, patrem orans in* Euangelio. Id *si curabimus, utcunq; pro uirili gratiam referemus tam singulariter de nobis merito, & illi referendo gratiam, ipsum nobis lucrifaciemus.* Referemus *autem hoc plenius, quò uehementius redamabimus.* Porrò *hoc magis illum redamabimus, quò magis uita ac moribus* expri-

exprimemus. Iam quo magis exprimemus, hoc magis ipso locupletabimur.

TERTIA PARS.

AT interim nonnullis forsitan succurret animo, duram hanc esse militiam, repudiatis omnibus, cũ CHRISTO crucem tollere. Sed memineritis fratres dilectißimi, longè diuersam mundi & CHRISTI esse naturam. Mundus seu fucata meretrix, prima fronte blandus nobis, & aureus occurrit: postea quo ingrediare altius, quo propius inspicias, hoc magis ac magis tetra, putida, sellita sunt omnia. E diuerso CHRISTVS procul intuentibus durior apparet, dum cruces uidemus, dum uoluptatum ac uitæ contemptum. Verùm si quis fidenti animo totum sese in illum reijciat, reperiet nihil esse mollius, nihil expeditius, nihil dulcius. Nisi fortè uerum non dixit ueritas in Euangelio, cum ait: Tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Hæc nimirum uerè est ardua illa uirtutis uia, quam & olim tanto ante CHRISTVM, utcunq; somniauit Hesiodus, primo aditu asperior, progressu semper & facilior, & amœnior. Sed quidem tandem asperum uideri potest, quo ad tam ingens, tam certum itur præmium? Si iuxta sapientis dictum, spes præmij minuit uim flagelli, quis in hac momentanea uita, non leue, non dulce iudicet,

quo

quo cœlestem illam, & nunquam desituram sibi pararet uitam, æternùm regnare cum CHRISTO, *assiduè summum illud intueri bonum, uersari in angelorum contubernio, ab omni malorum metu procul abesse? Quis, oro, tantum hoc præmium, non uel sexcentis mortibus emptum uelit? Atqui hoc tantum donatiuum pollicetur militibus suis imperator noster* IESVS, *qui neque fallere potest, neque mentiri nouit. Iam apud uosmetipsos expendite fructus, æternitatem ac magnitudinem: contrà quàm breue huius militiæ tempus, nimirum haud longius ipsa uita: quæ quid aliud est, quàm uapor ad exiguum tempus apparens, aut unius horæ somnium? Sed agedum de hoc interim inæstimabili præmio sileamus, atque inspiciamus quàm abunde magna mercede dux noster militum suorum labores etiam in hac uita compenset, quanquam disparem metant messem, qui mundo militant, & qui merent sub* CHRISTO IESV. *Audiamus quid ipsi dicant impij in libro Sapientiæ: Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus. Illectat mundus fucatis honorum simulachris, quæ nihil aliud sunt quàm mellita uenena: mox attractos, & uelut inautoratos, Deum immortalem, in quas curas, quas solicitudines, quas turbas, quæ dispendia, quæ dedecora, in quam conscientiæ mentis carnificinam*

in quàm

in quàm infelicem exitum miseros adducit? Vt hic quoq; iam abunde magnas impietatis pœnas dedisse uideantur, etiam si nulli consequantur inferi. At qui reiectis mundi fucis, in IESVM, hoc est, summum bonum, omnem amorem, curam, studiumq; transferunt, totiq; ab illo pendent, ij iuxta promissum euangelicum, non modò uitam æternam possidebunt, uerumetiam in hoc seculo centuplum accipient. Quid est autem accipere centuplum? Nempe pro fucatis bonis uera, pro incertis certa, pro fluxis æterna, pro ueneno tinctis syncera, pro curis ocium, pro solicitudine fiduciam, pro turbulentia tranquillitatem, pro dispendijs utilitatem, pro flagitijs integritatem, pro conscientiæ cruciatu secretum & ineffabile gaudium, pro turpi atque infelici exitu gloriosam ac triumphalem mortem. Spreuisti diuitias amore CHRISTI, in ipso ueros inuenies thesauros. Reiecisti falsos honores, in hoc longè eris honoratior. Neglexisti parentum affectus, hoc indulgentius fouebit te pater uerus qui est in cœlis. Pro nihilo habuisti mundanam sapientiam, in CHRISTO longè uerius sapies, ac felicius. Aspernatus es pestiferas uoluptates, in ipso multò alias inuenies delitias. Breuiter, ubi arcanas illas sed ueras opes CHRISTI, discussa mundi caligine uideris, omnia quæ prius arridebant, quæ solicitabant, ea non solùm non admiraberis, sed perinde ut

pestes quasdam fugies, reijcies, auersaberis. Fit enim mirum in modum, ut simul atq; cœlestis illa lux animos nostros penitus attigerit, protinus noua quædam rerum omnium species oboriatur. Itaq; quod paulo antè dulce uidebatur, nunc amarescit: quod amarum, dulcescit: quod horrendum, blanditur: quod blandiebatur, horrescit: quod splendidum antè, nunc sordidum: quod potens, infirmum: quod formosum, deforme: quod nobile, ignobile: quod opulentum, egenum: quod sublime, humile: quòd lucrum, damnum: quod sapiens, stultum: quod uita, mors: quod expetendum, fugiendum, & contrà. Vt repentè mutata rerum specie nihil minus esse iudices, quàm id quod esse uidebantur. Ergo in uno CHRISTO, compendio ac uera reperiuntur omnia bona, quorum inanes ac mendaces imagines & umbra ceu præstigias, mundus hic ostendit, quas miserum mortalium uulgus tanto animi tumultu, tantis dispendijs, tantis periculis, per fas nefásq; persequitur. Quam obsecro beatitudinem cum hoc animo conferre queas, qui iam liber sit ab errore, liber ab affectibus, securus, semper gaudens ob testimonium conscientiæ, nulla de re solicitus, altus, sublimis, ac cœlo proximus, iamq; supra sortem humanam, qui in CHRISTO, excelsissima petra, nixus, omnes huius seculi fucos, tumultus, procellas ex alto rideat, negligat, uel potius commiseretur? Quid autem timeat

is,

is, qui propugnatorem habeat Deum? Ignominiam? at summa est gloria, pro CHRISTO *ignominiam pati. Paupertatem? at opum sarcinam lubens abijcit, quisquis ad* CHRISTVM *properat. Mortem? at ea maximè in uotis est, per quam scit sese ad immortalem uitam esse trāsmittendum. Qua de re sit solicitus, cuius pater cœlestis etiam pilos habet annumeratos? Quid autem cupiat is, qui in* CHRISTO *possidet omnia? Quid enim non commune membris & capiti? Iam uerò quanta est hominis non modò felicitas, uerumetiam dignitas, uiuum esse membrum sanctissimi corporis ecclesiæ, idem esse cum* CHRISTO, *eandem carnem, eundem spiritum, communem cum illo habere patrem in cœlis,* CHRISTVM *habere fratrem, ad communem cum illo hæreditatem destinatum esse: breuiter, iam non hominem esse, sed Deum? Adde his gustum quendam felicitatis futuræ, quem piæ mentes subinde percipiunt. Hæc nimirum uiderat, hæc senserat Propheta, cum ait: Nec auris audiuit, nec oculus uidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti Deus diligentibus te. Proinde charissimi sodales, si dabimus operam, ut uerè* CHRISTI *membra simus, iuxta illud propheticum dictum: Iustus ut palma florelit, etiam in hac uita perpetua quadam adolescentia uernabimus, non animo tantum, uerum etiam corpore. Etenim quemadmodum floridus ille* IESV *spiritus*

in nostrum spiritum redundabit, ita noster uicißim in suum corpus influet, & quoad fieri potest, in sese transformabit. Nec poterit tantus animi ac corporis nitor uestium sordes ferre. Nam animus noster habitaculum est Dei, animi domicilium est corpus. Porrò uestis & ipsa, corporis quodammodo corpus est. Ita fiet, ut capitis puritati totus homo respondeat, donec peracta hac uita ad immortalitatem traducatur.

EPILOGVS.

Agitè igitur optimi commilitones, ad hanc tantam felicitatem, summis uiribus enitamur, ducem nostrum IESVM *unum admiremur, quo maius nihil esse potest, imò sine quo nihil est omnino magnum. Hunc unum amemus, quo nihil esse melius potest, imò extra quem nihil est omnino bonum. Hunc imitemur, qui solus est uerum & absolutum pietatis exemplar, extra quem quisquis sapit, desipit. Huic uni inhæreamus, hunc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in quo est uera pax, gaudium, tranquillitas, uoluptas, uita, immortalitas. Quid multis? Summa bonorum est omnium. Extra hunc nihil suspiciamus, nihil amemus, nihil appetamus, huic uni placere studeamus. Meminerimus nos sub illius oculis, & illius angelis testibus, quicquid agimus agere. Zelotypus est, nec ullas mundi sordes patitur. Quare puram & angelicam in illo uiuamus uitam, ille sit nobis in corde,*

in ore,

in ore, in omni uita. Hunc penitus ſapiamus, hunc loquamur, hunc moribus exprimamus. In illo negocium, ocium, gaudium, ſolatium, ſpem, præſidium omne collocemus. Hic à uigilantium animis nunquam diſcedat, hic dormientibus occurſet. Hunc & literæ noſtræ, & luſus etiam ſapiant, per hunc & in hoc creſcamus, donec occurramus in uirum perfectum, & gnauiter obita militia, perpetuum cum illo triumphum agamus in cœlis.

DIXI.

FINIS.

D. ERASMI ROTERODAMI, EXPOSTVLATIO IESV CVM HOMINE SVAPTE culpa pereunte.



VM mihi sint uni bona, quæ uel frondea tellus,
Vel olympus ingens continet.
Dicite mortales, quæ uos dementia cepit,
Hæc aucupari ut undeuis
Malitis, quàm de proprio deposcere fonte,
Adeò benigno, & obuio?
Mendacesq; iuuet trepido, miseroq; tumultu
Vmbras bonorum persequi?
Pauci me, qui sum ueræ largitor & autor
Felicitatis, expetunt.
Forma rapit multos, me nil formosius usquam est.
Formam ardet hanc nemo tamen.
Suspiciunt ceras, antiquaq; stemmata multi:
At me quid est illustrius?
Vt qui sim genitore Deo, Deus ipse profectus,
Genitrice natus uirgine.
Vnde fit, ut mecum uix gestiat unus & alter
Affinitatem iungere?

Maximus

Maximus ille ego sum cœliq; soliq; monarcha,
Seruire nobis cur pudet?
Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti,
Rogari amo, nemo rogat.
Sumq;, uocorq; patris summi sapientia, nemo
Me consulit mortalium.
Ipse ego sum ætherei splendorq; decusq; parentis,
Me nemo stupet, aut suspicit.
Sum firmus iuxtà, ac iucundus amicus amico:
Me pariter, ac meas opes
Candidus, atq; lubens charis impertio: nemo hanc
Ambit necessitudinem.
Sum uia, quà sola cœli itur ad astra, tamen me
Terit uiator infrequens.
Cur tandem ignarum dubitat mihi credere uulgus,
Aeterna cum sim ueritas?
Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas,
Cum sit nihil fidelius?
Autor adhæc uitæ cum sim unicus, ipsáq; uita,
Cur sordeo mortalibus?
Lux ego sum, cur huc uertunt sua lumina pauci?
Dux, cur grauantur insequi?
Viuendi rectè certissima regula solus,
Aliunde formas cur petunt?
Ipse ego sum solus uera, & sine felle uoluptas,
Quid est quòd ita fastidior?

Vnica pax animi, quin huc depositis ægri
Curas edaces pectoris?
Si benefacta truces etiam meminere leones,
Referuntq; belluæ uicem:
Respondere feri merito didicere dracones,
Si meminit officij canis:
Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,
Cur efferatior feris
Me me non redamas homo? cui semel omnia feci,
Quem condidi, quem sanguine
Asserui proprio, propriæq; à morte recepi
Dispendio uitæ uolens.
Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
Agnoscit altorem suum,
Cur me solus homo male gratus nosse recusas,
Et conditorem, & uindicem?
Vnus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorum,
Quid est quod extra me petas?
Quorsum distraheris per tot dispendia, grassans
Laboriosa inertia?
Sum placabilis, & pronus miserescere, quin huc
Miser ad asylum confugis?
Idem iustus, & implacabilis ultor iniqui,
Cur non times offendere?
Corpus ego, atq; animum nutu sub tartara mitto,
Nostri metus uix ullum habet,

Proinde

Proinde mei desertor homo, secordia si te
Adducet in mortem tua,
Præteritum nihil est: in me ne reijce culpam.
Malorum es ipse autor tibi.
Nam quid adhuc superest, si te neq; prouocat ardens
Suiq; prodiga charitas?
O bis marmoreum pectus, neq; mitigat unquam
Adeò profusa benignitas.
Si neq; tantarum spes uel certißima rerum
Expergefacit, & allicit:
Si neq; tartareæ cohibet formido gehennæ:
Nec ullus admonet pudor:
Imò si durant magis hæc, adduntq; stuporem,
Ta[illegible], tamq; insignia,
Vt facile [illegible]nanesq; feras, chalybemq;, petramq;
Rig[illegible] uicto molliant:
Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat ultrò
Deuota morti pectora?
Inuitum seruare, nec est mentis (puto) sanæ,
Et patria prohibet æquitas.

IMAGO PVERI IESV POSITA IN
ludo literario, quem nuper instituit Coletus.

Discite me primùm pueri, atq; effingite puris

Moribus, inde pias addite literulas.

CARMEN PHALECIVM.

Sedes hæc puero sacra est IESV,
Formandis pueris dicata: quare
Edico, procul hinc facessat, aut qui
Spurcis moribus, aut inerudita
Ludum hunc inquinet eruditione.

CARMEN IAMBICVM.

Non inuenusto antiquitas ænigmate
Studij magistram, uirginem
Finxit Mineruam, ac literarum præsides
Finxit Camœnas uirgines.
Nunc ipse uirgo matre natus uirgine,
Præsideo uirgineo gregi,
Et sospitator huius, & custos scholæ.
Adsunt ministri uirgines,
Pueros meos mecum tuentes angeli.
Mihi grata ubiq; puritas
Decetq; studia literarum puritas.
Procul ergo sacro á limine
Morum arceant mihi literatores luem:
Nihil huc recipiant barbarum,
Procul arceant illiteratas literas,
Nec regna polluant mea.

ALIVD.

Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes?


Vnus hic est uitæ regula, fonsq́; piæ.
Hunc qui non sapiet, huius sapientia stulta est:
Absq́; hoc uita hominis mors (mihi crede) mera est.

SAPHICVM.

Cœperit faustis auibus precamur,
Semper augescens meliore fato,
Hic nouæ sudor nouus officinæ,
Auspice IESV.
Hic rudis (tanquam noua testa) pubes
Literas Græcas, simul & Latinas,
Et fidem sacram, tenerisq́; CHRISTVM
Combibet annis.
Quid fuit læta sobolem dedisse
Corporis forma, nisi mens & ipsa
Rite fingatur, studijsq́; castis
Culta nitescat?
Stirpe ab hac sensim noua pullulabit
Ciuium prolos, pietate iuxta, ac
Literis pollens, breuiterq́; regno
Digna Britanno.
Ludus hic syluæ pariet futuræ
Semina, hinc diues nemus undequaq;
Densius surgens decorabit Anglum
Latius orbem.

FINIS.

DE CIVILITATE MORVM PVERILIVM, DES. ERASMI ROTERODAMI LIBELLVS AD *generosum cum primis, & optimæ spei puerum* HENRICVM *à Burgundia* ADOLPHI *principis Veriani filium.*



ITER *maximum illum Paulum non piguit omnia fieri omnibus, quò prodesse posset omnibus, quanto minus ego grauari debeo, iuuandæ iuuentutis amore subinde repuerascere? Itaq; quemadmodum pridem ad* MAXIMILIANI *à Burgundia fratris tui primam adolescentiam memet accommodaui, dum adulescentulorum formo linguam: ita nunc* HENRICE *suauißime, me ad tuam attempero pueritiam de puerorum moribus præcepturus: non quòd tu hisce præscriptis magnopere egeas, primum ab incunabulis inter aulicos educatus, mox nactus Ioannem Crucium tam insignem formandæ rudis ætatis artificem: aut quòd omnia quæ præscribimus ad te pertineant, & è principibus & principatui natum: sed ut libentius hæc ediscant omnes pueri, quòd amplißimæ fortunæ summæq; spei puero dicata sint.*

Nec

Nec enim mediocre calcar addet uniuersæ pubi, si conspexerint heroum liberos à primis statim annis dicari studijs, & in eodem cum ipsis stadio currere.

Munus autem formandi pueritiam, multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita præcipua est, ut tenellus animus imbibat pietatis seminaria: Proxima, *ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat:* Tertia *est, ut ad uitæ officia instruatur:* Quarta *est, ut à primis statim æui rudimentis ciuilitati morum assuescat.* Hanc *postremam nunc mihi propriè sumpsi.* Nam *de superioribus quum alij complures, tum nos quoque permulta conscripsimus.* Quanquam *autem externum illud corporis decorum ab animo bene composito proficiscitur, tamen incuria præceptorum nonnunquam fieri uidemus, ut hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus desideremus.* Nec *inficior hanc esse craßißimam philosophiæ partem, sed ea, ut sunt hodie mortalium iudicia, plurimum conducit & ad conciliandam beneuolentiam, & ad præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas.* Decet *autem ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac uestitu: sed in primis pueros decet omnis modestia, & in his præcipuè nobiles.* Pro *nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studijs liberalibus excolunt animum.* Pingant *alij in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos,*

plus

plus habent ueræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Vt ergo bene cōpositus pueri animus undiq; reluceat, (relucet autē potissimū in uultu) sint oculi placidi, uerecundi, compositi: non torui, quod est truculentiæ: non improbi, quod est impudentiæ: non uagi ac uolubiles, quod est insaniæ, non limi, quod est suspiciosorum & insidias molientium: nec immodicè diducti, quod est stolidorum: nec subinde cōniuentibus genis ac palpebris, quod est inconstantium: nec stupentes, quod est attonitorum, id quod est in Socrate notatum: nec nimium acres, quod est iracundiæ signum: non innuentes ac loquaces, quod est impudicitiæ signum: sed animum sedatum ac reuerenter amicum præ se ferentes. Nec enim temerè dictum est à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem ueteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdam modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdam, semipetos intueri blandum haberi uidetur & amicum. Ibidem ex picturis discimus, olim contractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorū est, apud omnes decorum habebitur. Quanquam in his quoq; decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorum habitus,

quos

quos alijs alios addit natura, qui non cadunt sub nostras præceptiones, nisi quòd incompositi gestus non rarò uitiant non solùm oculorum, uerumetiam totius corporis habitum ac formam. Contrà compositi, quod natura decorum est, reddunt decentius: quod uitiosum est, si non tollunt, certè tegunt minuuntq;. Indecorum est clauso oculorum altero quenquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quàm seipsum eluscare? Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Sint exporrecta supercilia: non adducta, quod est toruitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frons item hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale præ se ferens: non in rugas contracta, quod est senij: non mobilis, quod est erinaciorum: non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidorum. Id quoq; uitium Socrati philosopho datum est probro. Pileo aut ueste emungi, rusticanum: brachio cubitóue, salsamentariorum, nec multò ciuilius id manu fieri, si mox pituitam uesti illinas. Strophiolis excipere narium recrementa, decorũ, idq; paulisper auerso corpore, si qui adsint honoratiores. Si quid in solum deiectum est emuncto duobus digitis naso, mox pede proterendum est. Indecorum est subinde cũ sonitu spirare naribus, bilis id indiciũ est. Turpius etiam ducere

re buccas, fastus indiciũ est: easdẽ demittere, est animũ despōdentis. Alterũ Caini est, alterũ Iudæ proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire: nec hiet, quod est morionum, sed leuiter osculantibus se mutuò labris coniunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labijs ueluti poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est: illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio, nec datur auerti aut cedere, strophio uoláue tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnib. dictis aut factis arridere, stultorũ est: nullis arridere, stupidorum. Obscœnè dictis aut factis arridere, neqtia est. Cachinnus et immodicus ille totũ corpus quatiẽs risus, quẽ ob id Græci συγκρούσιον appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quòd quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille qui oris rictũ latè diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, & Sardonius dicitur. Sic autem uultus hilaritatẽ exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ uoces sunt, Risu diffluo, risu dissilio, risu emorior: & si qua res adeò ridicula inciderit, ut nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa manúue tegenda facies. Solum, aut nullam euidentem ob causam ridere, uel stultitiæ tribuitur, uel insaniæ;

in quadrā cibo, cocleare reddito. Si liquidius est quod datur, gustandum sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos unctos uel ore prælingere, uel ad tunicam extergere pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac balathronum. Si quid ab alio fuerit resectum, inciuile est manum quadrámue porrigere, priusquam ille structor offerat, ne uideare præripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non congruit tuo stomacho caue ne dixeris illud Comici Clitiphonis, Non possum pater, sed blandè agito gratias. Est enim hoc urbanißimū recusandi genus. Si perstat inuitator, uerecūdè dicito aut nō cōuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Discenda est á primis statim annis secandi ratio, nō superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas: quæ de re sigillatim præcipere, ut prolixum sit, ita nec operæpretium. Illud in uniuersum tradi potest: Apitiorum esse omni ex parte quicquid palato blanditur abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est: panem præroſum iterum in ius immergere, rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere,

ponere, inelegans est. Nam si quid fortè sumptum est quod deglutiri non expedit, clàm auersus aliquò proijciat. Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere uitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in pati nam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum qui apud nonnullos reliquijs excipiendis adponitur. Canibus alienis de mẽsa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculum est: idem incerta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius. Ossa dentibus arrodere caninũ est, cultello purgare ciuile. Tres digito salino impreßi, uulgari ioco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumẽdum est salis quantũ satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinam cui saccarum aut aliud suaue quiddam adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane, simul aliquandiu mandat, priusquã traijciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, uerumetiam ad bonam ualetudinem pertinet. Quidam deuorant uerius quàm edunt, non aliter quàm mox (ut aiunt) abducendi in carcerem. Latronum est ea tu burcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrinq;

re, alterum deprimere. Nam huiusmodi gestus in pueris neglecti, uertuntur in naturam, & corporis habitum præter naturam deformant. Itaq; qui præ desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat, & qui deflexum in latus caput habere consueuerunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plãtulis similia sunt, quæ in quamcunq; speciem furca funiculóue deflexeris, ita crescunt & indurescunt. Vtrunq; brachium in tergum detorquere, simul & pigritiæ speciem habet & furis: neque multo decentius est altera manu in alia iniecta astare sederéue, quod tamen quibusdam elegans ac militare uidetur. At non statim honestum est quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur, quum ad colloquium & conuiuium uentum erit. Membra quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamẽ id quoq; decente uerecundia faciendum est, etiamsi nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiæ comes custosq; pudor. Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui. Lotium remorari ualetudini perniciosum, secreto reddere uerecundum. Sunt qui præcipiant ut

cogat necessitas, aut abs quopiam inuitetur. Lepide dictis modicè arrideat, obscœnè dictis ne quando arrideat, sed nec frontem contrahat, si praecellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certè non intellexisse uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

Quidam respondent priusquam orationem finierit qui compellat, ita saepe fit, ut aliera respondens sit risui: detq; ueteri locum prouerbio, ἄμας ἀπήτουν. Docet hoc rex ille sapientissimus, stultitia tribuens respondere priusquam audias: non audit autem, qui non intellexit. Si minus intellexit percontantē, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si non facit, sed respōsum urget, blandè ueniam praefatus puer, oret ut quod dixerat, dicat denuo. Intellecta per cūctatione paululū interponat morae, deinde tum paucis respondeat, tum iucundè. In conuiuio nihil effutiendum, quod effuscet hilaritatem. Absentium famam ibi ledere piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuiuatori. Si de tuo praebetur conuiuium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanū, ita laudare aut commemorare quanti singula constiterint, insuaue profectò condimentū est accūbentibus. Deniq; si quid à quo quam in cōuiuio fit rusticius per imperitiam, ciuiliter dissimulandum potius

quàm

quidem hic est alter uestis usus, ut ea tegat quæ impudicè ostenduntur oculis hominum. Olim habebatur parum uirile discinctum esse, nunc idem nemini uitio uertitur, quòd indusijs, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiamsi diffluat tunica. Alioqui uestis breuior, quàm ut inclinanti tegat partes quibus debetur honos, nusquam nō inhonesta est. Dissecare uestem amentium est, picturatis ac uersicoloribus uti morionum est ac simiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proq; regione & more, adsit cultui mundicies, nec sordibus notabilis, nec luxu aut lasciuiam aut fastum præ se ferens. Neglectior cultus decet adolescentes, sed citra immunditiam. Indecorè quidam interularū tunicarū oras aspergine lotij pingunt, aut sinū brachialiaq; indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita. Sunt quibus uestis in alterum latus defluit, alijs in tergum ad renes usq;, nec desunt quibus hoc uideatur elegans. Vt totum corporis habitum mundum & compositum esse decet, ita decet illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dederc parentes, ne teipsum reflexis oculis contemplare, nec gaudio gestias, alijsq; ostentes nam alterum simiarum, alterum pauonum: mirentur alij, tu te bene cultum esse nescias. Quo maior est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in cōditionis solatium concedendum est, ut moderatè sibi placeant. At diues

ostentans splendorem amictus, alijs suam exprobrat mi seriam, sibiq; conflat inuidiam.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

Quoties fores templi præteris, nudato caput, ac modicè flexis genibus ad sacra uerso uultu, Christum diuosq; salutato. Idem & aliàs faciendum, siue in urbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per ædem sacram ne transieris, nisi simili religione saltem breui precatiuncula Christum appelles, idq; retecto capite, & utroq; genu flexo. Cum sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic præsentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si qui regem hominem alloquuturus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non iam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est illic opertum habere caput, erecta genua, ubi adest Rex ille regum immortalis & immortalitatis largitor, ubi uenerabundi circumstant ætherei spiritus? Nec refert si eos non uides, uident illi te, nec minus certum est illos adesse, quam si uideres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecentius etiam est, quòd quidam in templis obambulant, & Peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conueniunt, non templa, quæ sacris concionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt. Ad concio

nantem

nantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus omni cum reuerentia, quasi non hominem audias, sed Deum per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangelium, assurge, & si potes, ausculta religiose. Cum in symbolo canitur, Et homo factus est, in genua procumbe, uel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos demisit in terras: quum esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret Deũ. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito, ad altare uersa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram cõtingere, erecto altero cui læuus innitatur cubitus, gestus est impiorum militũ, qui Domino Iesu illudentes dicebant: Aue Rex Iudeorum. Tu demitte utrumq;, reliquo etiam corpore nonnihil inflexo ad uenerationem. Reliquo tempore aut legatur aliquid è libello, siue precularum, siue doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem uicini, eorum est, qui nõ credunt illic adesse Christum: huc illuc circumferre uagos oculos, amentium est. Existima te frustra templũ adisse, nisi inde melior decesseris, puriorq;.

DE CONVIVIIS.

IN cõuiuijs adsit hilaritas, absit petulãtia. Non nisi lotus accũbe, sed ante præsectis unguibus, ne qd in his hæreat sordiũ, dicarisq; ἐυ πονόνυχος, ac prius

clàm reddito lotio, aut, si res ita postulet, exonerata etiam aluo: & si fortè strictius cinctum esse contingat, aliquantulum relaxare uincula consultum est, quod in accubitu parum decorè fiat. Abstergens manus, simul abiice quicquid animo ægrè est. Nam in conuiuio nec tristem esse decet, nec contristare quenqam. Iussus consecrare mensam, uultum ac manus ad religionem componito, spectans aut conuiuij primarium, aut si fors adest, imaginem Christi, ad nomenq; Iesu matrisq; uirginis, utrumq; flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari religione tum auscultato, tum respondeto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excusa: si tamen id crebrò serioq; iubeat aliquis autoritate præditus, uerecundè obtempera, ne uideare pro ciuili præfractus. Accumbens utranq; manum super mensam habe, non coniunctim, nec in quadra. Quidam enim indecorè, uel unam, uel ambas habent in gremio. Cubito uel utroq; uel altero inniti mensæ, senio morbóue laßis condonatur: idem in delicatis quibusdã aulicis, qui se decere putant quicquid agunt dißimulandum est, non imitandum. Interea cauendum, ne proximè accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti pedibus sis molestus. In sella uacillare, & nunc huic, nunc alteri nati uicißim insidere, speciē habet subinde uentris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus

igitur

igitur æquo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imponito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi uel regionis mos diuersum suadeat, uel alicuius autoritas præcipiat, cui non parêre sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad maiorum mensam capiant cibum extremo loco, renecto capite. Ibi ne puer accedat nisi iussus, ne hæreat usq; ad conuiuij finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua, flexo poplite salutet conuiuas, præcipuè qui inter conuiuas est cæteris honoratior. A dextris sit poculum & cultellus escarius ritè purgatus, ad læuam panis. Panem una uola pressum, summis digitis refringere, quorundam aulicorum delicias esse finito, tu cultello seca decenter, non undiq; reuellẽs crustum, aut utrinq; resecans: delicatorum hoc est. Panem ueteres in omnibus conuiuijs ceu rem sacram religiose tractabant, unde nunc quoq; mos relictus est, cum fortè delapsum in humum exosculari. Conuiuium statim à poculis auspicari potorum est, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, uerumetiam officit corporis ualetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam bibendum, multo minus post lactis esum. Puero sæpius quàm bis, aut ad summum ter in conuiuio bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquandiu pastus de secundo

missu, præsertim sicco: deinde sub conuiuij finem, idq; modicè sorbendo, non ingurgitando, nec equo sonitu. Tum uinum, tum ceruisia, nihilominus quàm uinum inebrians, ut puerorum ualetudinem lædit, ita mores dedecorat. Aqua feruidæ conuenit ætati, aut si id non patitur siue regionis qualitas, siue alia quæpiam causa, tenui cereuisia, utitor, aut uino nec ardenti, & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breuiter senium ante senectam. Antequam bibas, præmandè cibum, nec labra admoueas poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo. Inter bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodũ & ciconiarum exemplo ceruicem in tergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho, parum est liberale. Salutantem poculo resalutet comiter, & admotis labris cyatho, paululum libans bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Qui si rusticius urgeat, polliceatur se tum responsurum, quum adoleuerit.

Quidam ubi uix bene consederint, mox manus in epulas conijciũt: id luporum est, aut eorum qui de chytropede carnes nondũ immolatas deuorant, iuxta prouerbium, Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id quòd arguit auidum, sed quod interdum

cum periculo coniunctum est, dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si deglutiat adurere gulā, utroq; ridiculus æquè ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem unquam de primo cratere bibere sustinuit. Si cum maioribus accumbit puer, postremus, nec id nisi inuitatus, manum admoueat patinæ. Digitos in iussulenta immergere agrestium est, sed cultello fuscināue tollat quod uult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod fortè ante ipsum iacet, sumat: quod uel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic uersiculum.

Οἱ δ᾽ ἐπ᾽ ὀνείαθ᾽ ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

Id quoq; si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Vt igitur intemperantis est in omnes patinæ plagas manum immittere, ita parum decorum patinam inuertere, quò ueniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, præfatus excusatiunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proximè aßidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est. Si quis è placenta uel artocrea porrexerit aliquid, cocleari, aut quadra excipe, aut cocleari porrectum accipe, & inuerso

in quadrā cibo, cocleare reddito. Si liquidius est quod datur, gustandum sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos unctos uel ore prælingere, uel ad tunicam extergere pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac balathronum. Si quid ab alio fuerit resectum, inciuile est manum quadrámue porrigere, priusquam ille structor offerat, ne uideare præripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non congruit tuo stomacho caue ne dixeris illud Comici Clitiphonis, Non possum pater, sed blandè agito gratias. Est enim hoc urbanissimū recusandi genus. Si perstat inuitator, uerecūdè dicito aut nō cōuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Discenda est à primis statim annis secandi ratio, nō superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas: qua de re sigillatim præcipere, ut prolixum sit, ita nec operæpretium. Illud in uniuersum tradi potest: Apitiorum esse omni ex parte quicquid palato blanditur abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est: panem prærosum iterum in ius immergere, rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere,

ponere, inelegans est. Nam si quid fortè sumptum est quod deglutiri non expedit, clàm auersus aliquò proijciat. Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere uitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum qui apud nonnullos reliquijs excipiendis adponitur. Canibus alienis de mēsa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur : ineptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculum est: idem incerta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius. Ossa dentibus arrodere caninū est, cultello purgare ciuile. Tres digito salino impreßi, uulgari ioco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumēdum est salis quantū satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinam cui saccarum aut aliud suaue quiddam adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane, simul aliquandiu mandat, priusquā traijciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, uerumetiam ad bonam ualetudinem pertinet. Quidam deuorant uerius quàm edunt, non aliter quàm mox (ut aiunt) abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut

utrinq;

cogat neceßitas, aut abs quopiam inuitetur. Lepide dictis modicè arrideat, obscœnè dictis ne quando arrideat, sed nec frontem contrahat, si praecellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certè non intellexisse uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

Quidam respondent priusquam orationem finierit qui compellat, ita saepe fit, ut aliera respondens sit risui: detéq; ueteri locum prouerbio, ἄμας ἀπήτουν. Docet hoc rex ille sapientißimus, stultitia tribuens respondere priusquam audias: non audit autem, qui non intellexit. Si minus intellexit percontantē, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si non facit, sed respōsum urget, blandè ueniam praefatus puer, oret ut quod dixerat, dicat denuo. Intellecta percūctatione paululū interponat morae, deinde tum paucis respondeat, tum iucundè. In conuiuio nihil effutiendum, quod effuscet hilaritatem. Absentium famam ibi ledere piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuiuatori. Si de tuo praebetur conuiuium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanū, ita laudare aut commemorare quanti singula constiterint, insuaue profectò condimentū est accūbentibus. Deniq; si quid à quo quam in cōuiuio fit rusticius per imperitiam, ciuiliter dißimulandum potius

quàm

ſtem iure perfundas. Candelam emuncturus, prius illã è menſa tollito, quodq́; emunctum eſt, protinus aut harenæ inmergito, aut ſolea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundis'ue, læua id facias caueto. Iuſſus agere gratias, compone geſtus, paratum te ſignificans donec ſilentibus conuiuis dicendi tempus adfuerit. Interim uultus ad conuiuio præſidentem reuerenter uerſus ſit & conſtanter.

DE CONGRESSIBVS.

SI quis occurrerit in uia, uel ſenio uenerandus, uel religione reuerẽdus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, nonnihil etiam flexis poplitibus. Ne uerò ſic cogitet, quid mihi cum ignoto? quid cũ nihil unquam bene de me merito? Nõ hic honos tribuitur homini, non meritis, ſed Deo. Sic Deus iuſsit per Salomonẽ, qui iuſsit aſſurgere cano: Sic per Paulũ, qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere, in ſumma, omnibus præſtare honorem quibus debetur honos: complectens etiam ethnicum magiſtratum: & ſi Turca, quod abſit, nobis imperet, peccaturi ſimus, ſi honorem magiſtratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus ſecundum Deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum quodammodo dum formant, generant. Iam & inter æquales illud Pauli locum habere

debet, honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorem honore præuenit, non ideo fit ipse minor: sed ciuilior, & ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum læua teneat, dextera leuiter admota umbilico: aut quod decentius habetur, pileum utraq; manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectēt eum cui loqueris, sed placidi simplicesq;, nihil procax improbúmue præ se ferentes. Oculos in terram deijcere, quod faciunt catoblepæ, malæ conscientiæ suspitionē habet. Transuersim tueri, uidetur auersantis. Vultū huc illuc uoluere, leuitatis argumētum est. Indecorum est interim uultum in uarios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur, hæc animum regūt Protei similem. Indecorum & illud, concusso capite iactare comam, sine causa tußire, screare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem, quod est ueluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis uidemus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar

omnia,

omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut uirum interdum decceat, puerum minus decet. Illiberale est iactare brachia, gesticulari digitis, uacillare pedibus, breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens à picarum moribus. Vox sit mollis ac sedata, non clamosa, quod est agricolarum, nec tam pressa, ut ad aures eius cui loqueris non perueniat. Sermo sit non praeceps, & mentem praecurrens, sed lentus & explanatus. Hoc etiam naturalem battarismum, aut haesitantiam, si non in totum tollit, certè magna ex parte mitigat, quum praecipitatus sermo multis uitium conciliet quod non dederat natura. Inter colloquendum subinde titulum honorificum eius quem appellas repetere, ciuilitatis est. Patris ac matris uocabulo nihil honorificentius, nihil dulcius: Fratris sororis'ue nomine nihil amabilius. Si te fugiunt tituli peculiares, omnes eruditi sint tibi praeceptores obseruandi: omnes sacerdotes ac monachi, reuerendi patres; omnes aequales, fratres & amici: breuiter omnes ignoti, domini, ignotae dominae. Ex ore pueri turpiter auditur iusiurandum, siue iocus sit, siue res seria. Quid enim turpius eo more, quo apud nationes quasdam ad tertium quodq; uerbum deierant etiam puellae, per panem, per uinum, per candelam, per quid non? Obscoenis dictis nec linguam praebeat ingenuus puer, nec

aures accommodet. Deniq; quicquid inhonestè nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus. Si res exigat, ut aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione uerecunde rem notet. Rursus si quid inciderit, quod auditori nauseam ciere posit, ueluti si quis narret uomitum, aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem auribus. Si quid refellendum erit, caue dicat, Haud uera prædicas, præsertim si loquatur grãdiori natu, sed præfatus pacem, dicat, Mihi secus narratum est à tali. Puer ingenuus cum nemine contentionem suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat potius uictoriam, si res ad iurgium ueniat, aut ad arbitrum prouocet. Ne cui se præferat, ne sua iactet, ne cuiusquam institutum reprehendat, aut ullius nationis ingenium moresue suggillet, ne quid arcani creditum euulget, ne nouos spargat rumores, ne cuius obtrectet famæ, ne cui probro det uitium natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed et iã stultum: ueluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedem loripedem, aut strabum strabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudem inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem ante quàm fabulam absoluerit, inurbanum est. Cum nemine simultatem suscipiat, comitatẽ exhibeat omnibus, per paucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, cosq; cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum

uelit.

uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expe= ctare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est a= deò linguæ continentis, ut nõ habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutißimum autem est nihil ad= mittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum re= rum ne fueris curiosus, & si quid fortè conspexeris audierís ue, fac quod scis nescias. Literas tibi non ob= latas limis intueri, parum ciuile est. Si fors te præsente scrinium suum aperit aliquis, subducito te. Nam inur= banum est inspicere, contrectare aliquid inurbanius. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquiũ, submoue te dißimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

DE LVSV.

IN *lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruica= cia rixarum parens, absit dolus ac mendaciũ. Nam ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias. Pul= chrius uincit qui cedit contentioni, quàm qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cum imperitioribus certamen est, poßisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patere, quò lusus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causa ludendum est, non lucri gratia. Aiunt puerorum indo= lem nusquam magis apparere, quàm in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad uiolen= tiam, ad arrogantiam, propensius ingenium, hic emi=*

cat naturæ uitium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo quàm in conuiuio sui similis sit.

DE CVBICVLO.

IN cubiculo laudatur silentium, & uerecundia. Certè clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Siue cum exuis te, siue cum surgis, memor uerecundiæ, caue ne quid nudes aliorum oculis, quod mos & natura tectum esse uoluit. Si cum sodali lectum habes communem, quietus iaceto, neque corporis iactatione uel teipsum nudes, uel sodali detractis pallijs sis molestus. Priusquam reclines corpus in ceruical, frontem & pectus signa crucis imagine, breui precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito quum mane primum temet erigis, à precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi prius lota facie manibusq́;, & ore proluto. Quibus contigit bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna uoluit esse plebeios, humiles, aut etiam rurestres, his impensius etiam adnitendum est, ut quod sors inuidit, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresq́; sibi quisq; potest fingere. Colophonis uice addam præceptiunculam, quæ mihi uidetur propemodum primo digna loco. Maxima ciuilitatis pars est, quum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facilè

ignoscere,

ignoscere, nec ideo sodalem minus habere charum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem alijs compensent dotibus. Neq; hæc ita præcipiuntur, quasi sine his nemo bonus esse poßit. Quòd si sodalis per inscitiam peccet in eo sanè, quod alicuius uidetur momenti, solum ac blandè monere ciuilitatis est.

Hoc quicquid est muneris Henrice fili charißime, uniuerso puerorum sodalitio per te donatum esse uolui, quo statim hoc congiario, simul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram indolem tuam Iesu benignitas seruare dignetur, semperq; in melius prouehere. Datum apud Friburgum Brisgoiæ, mense Martio.

Anno M. D. XXX.

STEMATVM AC INGENIORVM NOBILITATE CLARIS PVERIS, ADOLPHO GVLIELMO DORnibergo, & Adolpho Rhauu, discipulis suis studiosissimis, Reinhardus Hadamarius S.



TSI mihi dubium non fuit, honestissimi pueri, quin (ut iā sunt tēpora ac mores) suborituri eßēt, qui lucubratiunculam hāc meā genuino sint arrosuri, tamen cū uobis eandē non paruo usui fuisse compertū haberē, malui per uos, & alijs maximè pædagogicis nostris inseruire publicādo, q̄ irreptura zoilorū petulātia deterritus quiescere supprimēdo. Quippe nullius salē nigrū, aut succū (ut Horatius inquit) loliginis extimescā, dūmodo uel aliquid utilitatis illi mea opera cōsequantur. Et neminē inficias iturū crediderim, è cōcinnis frugi de rebus quæstionibus nō multo minus emolumenti, quā ex continuo structuræ contextu, ac longiore uerborū ambitu iuuenilibus ingenijs accessurum. Nec eruditißimos uiros ab eodem docēdi genere abhorruisse, sed plurimas τῶν ἐροτημάτων καὶ προβλημάτων cōmoditates euulgando, puerorū studia quàm plena manu promouisse, persuasum habentes, dignißimū laude, nedum calumnia,

quocunq;

quocũq; tandẽ pacto, quacũq; ratione, quocũq; modo pucrilibus studijs prodeſſe, & huic rei ſeſe accingenteis, nihil melius, nihil laudabilius, nihil deniq; honeſtius facere poſſe. Porrò *ſi non multum ex iſto labore meo, tamẽ illud ad pueros pædagogicos noſtros utilitatis peruenturũ erit, ut cum bis in harenam examinis deſcendere ſoleant quotannis, atque luſtrari, certas in* CIVILITATE MORVM *(ut in alijs diſciplinis acceperunt) ſint habituri quæſtiones, quibus inſtructi, alacriores multò reſponſuri, profeſſoribus noſtris omniũ eruditiſſimis examinaturis, quos ſuas haud grauatim interrogationes, ad præſcriptas quæſtionũ formulas accõmodaturos cognouerint.* Alioqui *ſemp futurũ, ut qui nihil in lingua latina fundamenti iecerint, hæſitãtes ac balbutientes, mala reſponſa daturi, & quæ, ſi dictetur (ut factũ eſt) perperam excipientes, peſſimè ſint reddituri.* Adde, *quòd in ueſpertinis, iuxta utiliſſimam pædagogij noſtri conſuetudinem, repititionibus utrorũq;, hoc eſt, & propoſitionum & reſponſionũ, penuria poſthac nõ ſint laboraturi.* Ex *quibus omnibus, ſi quid frugis bonæ prouenerit, id omne uobis acceptum referri debet, qui bene faciendi præbuiſtis occaſionem.* Vos *autẽ ingenioſiſſimi pueri, melioribus in ſtudijs, ſtẽmata ueſtra, literis ac uirtutibus (quæ uera nobilitas) exornãtes, infracti progredimini, parentibus ueſtris ac amicis hominibus clariſſimis honori, pa-*

triæ maximo usui: illustrißimo deniq; Hessorū Principi, cuius beneficio, disciplinis hic optimis imbuimini, propediē summo futuri ornamento. Valete. Ex Musæo meo pædagogico Marpurgi, VI. Idus Sept. Anno 34.

GERARDVS GELDENHAVRIVS Nouiomagus ad Lectorem.

Amice Lector, hunc qui primùm conspicis
Nouum libellum, quæso, ne quod plurimum
Fieri solet, nasuto nostro seculo,
(Quo quisq; iam sapit atq; cuncta intelligit)
Mox altum exclames: nugarum puerilium
Quando ergo satis? Sic has subinde renascier,
Et esse nomen qui profitentur hic suum?
Sed istud ipse rectius considera,
Pueros perinde operam nostram deposcere
Sibi, nec his deberi hanc fastidiosius
Quàm reliquis, eadem doctis iam uia.
Frustraq; laborem insumerent, quotquot libris
Sibi nomen aucupantur clarioribus,
Ni sint, studio quorum queant intelligi.
Nam nemo uir unquam doctiora intelliget,
Qui non puer his similes nugas edoctus est.
Nugas pro more appello, sed quæ seria
Ducunt, pietatem, officia, mores, literas,
Quare hos sua ne dedigneris gloria,
Qui liberis, lector, student etiam tuis.

Ex tempore.

MORVM INTEGRITATE NOBILITATIS ADOLESCENTIBVS GVLIELMO & Philippo, filijs generosi domini D. PHILIPPI Comitis à Solms, ac domini in Mintzenberg, &c. Discipulis suis probißimis, Reinhardus Hadamarius S. D.

Vt iuuentuti reliquæ præitis
Copia rerum, specie uenusta,
Laude maiorum, potioris alto
Sanguine stirpis:
Sic eam, ueri cupidos honoris,
Vos decet claro superare cultu
Artium, ac morũ serie bonorum
Vincere longa.
Vnde uos dici merito potestis
Nobiles, Virtus generosa confert
Sola, non fictos titulos, honores,
Nobilitatem.
Quod parens uester generosus, imis
Sensibus uoluens, modò uos alendos
Arte Marpurgum potiore, Licha
Misit ab arce.

ERAS-

ERASMI ROTERODAMI CIVILITAS MORUM, IN SUCCINCTAS QUAESTIONES *digesta, ac per* REINHARDUM HADAMARIUM *locupletata.*

QUAESTIO PRIMA.



VNUS *formandi pueritiam quot
partibus constat?* RESP. *Quatuor
potißimùm. Principio, ut tenellus
animus seminaria pietatis imbibat.
Deinde, ut liberales disciplinas &
amet, & perdiscat. Postmodo, ut ad uitæ officia in-
struatur. Postremò, ut à primis statim æui rudimentis,*
2 *Ciuilitati morum assuescat.* INT. *Quid est ci-
uilitas?* RESP. *Est morum comitas & huma-*
3 *nitas.* INT. *Vnde ciuilitas morum elucet?*
4 RESP. *Ex animo bene composito.* INT. *Vnde
animus bene compositus dignoscitur?* RESP. *Ex
oculis, superciliis, fronte, & breuiter, ipso uultu, to-*
5 *tiusq; corporis habitu.* INT. *Quales debent esse
oculi?* RESP. *Non torui, non uagi ac uolubiles,
nō limi, nec immodicè diducti, non conniuentibus sub-
inde genis ac palpebris, nō stupentes, nec nimiū acres,*

non

non innuentes ac loquaces, sed placidi, uerecundi, ac cõpositi. INT. *Cur tam accurata oculorum ha-* 6
benda ratio? RESP. *Quoniam animi sedem in oculis esse, prisci sapientes tradiderunt, Et iuxta Plinium, Oculi, ceu uasa quædam, uisibilem animi partem accipiunt, ac trãsmittunt.* INT. *Cuiusmodi* 7
decet esse supercilia? RESP. *Exporrecta, non adducta, non sublata, non in oculos depressa. Fastus enim ac superbiæ sedes habetur in illis.* INT. *Qua-* 8
lis debet esse frons? RESP. *Hilaris & explanata, non in rugas contracta, non mobilis, non torua. Est enim tacitus animi sermo.* INT. *Decet'ne fa-* 9
cturum aut dicturum quippiam, apud ignotos manu faciem perfricare? RESP. *Quamuis autore Plutarcho, dicturus ipse Tullius, læua faciem demulserit, tamen hunc gestum inter pronunciationis uitia Quintilianus notat, inquiens: Vitiosa sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem.* INT. *Quales debent* 10
esse nares? RESP. *Mundæ, & ab omni mucoris purulentia alienæ.* INT. *Decet'ne pileo, aut* 11
ueste nares emungere? RESP. *Non, sed strophiolo, id'que paulisper auerso corpore, si qui adsint honoratiores: nam illud rusticorum, hoc salsamentariorum est.* INT. *Est'ne pituita ueste illinenda?* 12
RESP. *Minimè, sed emuncto duobus digitis naso, in solum deijcienda, & mox pede proterẽda, ne cui mu-*

cispur-

13 ci spurcitia nauseam moueat INT. Est'ne decorũ
naribus uocem, aut ronchos emittere? RESP. Ne-
quaquam. Illud enim cornicinum ac elephantorum,
14 hoc furiosorum. INT. Cur non decet cum sonitu
spirare RESP. Quoniam bilis est indicium, ac
15 phreneseos. INT. Quos decet crispare nasum?
RESP. Scurras, irrisores, ac saniones, non indolis
15 puerum liberalis. INT. Quid faciendum, si in-
cidat sternutatio? RESP. Corpus auertendum est,
os crucis imagine signandum. Resalutandi qui saluta-
runt. Non opera data sternutamentum iterandum, nec
17 sonitus, quẽ natura tulerit, reprimẽdus. INT. Qua-
les debent esse malæ? RESP. Non fuco aut asci-
titio colore tinctæ, sed natiuo ac ingenuo pudore.
18 INT. Est'ne decorum pudore suffundi? RESP.
Modesto ac temperato decet, non qui stuporem ad-
19 ducat, aut deliranti similem reddat. INT. Quo
pacto rusticus pudor temperari potest? RESP. Si
uiris grauitate præcellentibus conuerseris, & comœ-
20 dijs agendis sæpius exercearis. INT. Est'ne de-
corum buccas inflare, aut eas prorsum demittere?
RESP. Minime: Quoniam alterum utriculariorum
est, & in primis eorum, quos prouerbium κόμπος
μάξιμος celebrat: alterum animos despondentiũ, aut
21 arborem suspendio deligentium. INT. Quisnam
oris habitus erit? RESP. Non prematur, non hiet,
non

non porrigatur? sed leniter osculantibus se mutuò labris coniunctum sit. INT. Quinam porrigere la- 22
bra, ac ueluti popismū facere solent? RESP. Adulti magnates, per mediam turbam incedentes, qui omnia
sese decere putant. INT. Quodnam decorum in 23
oscitando seruandū est? RESP. Si nō datur auerti, aut cedere, strophiolo, aut uola tegendū os, crucis ima
gine signandum. INT. Cur oscitante uno, oscitat 24
& alter, ut inde natum sit prouerbium? RESP. Quia ut natura quendam similitudinū consensum, ita
affectuum habet. INT. Est'ne omnibus dictis aut 25
factis arridendū? RESP. Omnibus arridere stultorum est, nullis stupidorum. Proinde in his, ut in rebus alijs omnibus præstiterit auream seruasse mediocritatem. INT. Quinam obscœnè dictis aut factis 26
solent arridere? RESP. Bipedum nequißimi, quibus impudens os, perfricta frons est. Verùm honestus puer non arridebit, imò uultum componet, quasi non
intelligat, aut factum turpe uideat. INT. Decet'ne 27
puerum risu syncrusio concuti? RESP. Minimè. Nam ut honesto puero turpe est muliebri more eiulare, si quid doleat, ita gaudio immoderato in cachinnū
effundi, parum decorum est. INT. Est'ne decorum 28
ridendo hinnitum edere, & corrugatis buccis, nudatisq; dentibus oris rictū latè diducere? RESP. Nequaquam: illud enim scurrarum est, ac morionum: hoc

canum

29 *canum furiosorum.* INT. *Quibus conueniant*
illæ uoces, Risu *diffluo, dissilio, emorior?* RESP.
Stultis, quorum rationem affectus absorpsit. INT.
30 *Quo uultu hilaritas exprimenda?* RESP. *Sic ut*
habitus oris non dehonestetur, nec animus dissolutus
31 *arguatur.* INT. *Quid faciendum si res incidat*
ridicula, atq; adeò, ut risus teneri nequeat? RESP.
Ciuilitatis erit, mappa aut manu faciẽ tegere, & mo-
32 *destè, non effuse ridere.* INT. *Decet'ne ridere eui-*
dentẽ nullã ob causam? RESP. *Minime: Verùm si*
quid eiusmodi fuerit obortũ, causa risus aperiẽda, quæ
si non idonea prolatu, commentitium aliquid afferen-
33 *dum, ne quenquã deridere uidearis.* INT. *Cur nõ*
decet labrorum oras circumuoluta lingua subinde lã-
bere? RESP. *Quoniam ineptorum is gestus est,*
non bene moratorum, & magis canibus ac felibus,
34 *quàm pueris ingenuis competens.* INT. *Habe-*
tur'ne urbanum labra dentibus mordere? RESP.
Non, quoniam id minitantis est, & qui stomachatur,
35 *animoq; ringitur.* INT. *Cur indecorum est por-*
rectâ aliquem lingua deridere? RESP. *Quoniam*
id scurrarum est, qui nulla uerecundiæ aut dignitatis
habita ratione, quodlibet patrant, atquè adeò ut qui
semel scurra, nunquam bonus paterfamiliâs. INT.
36 *Quid in expuendo pueros facere decet?* RESP.
Corpus auertere, ne quem conspurcent, aut aspergant.
Deinde

Deinde si quid purulentius in terram reieccerint, pede proterere, ne cui nauseam moueant: id si nō liceat, linteolo sputum excipere. INT. *Cur inciuile putatur ad tertium quodq; uerbum, ut quidam solent, expuere?* 37
RESP. *Quoniam consuetudo turpis est, ex officinis quorundam cerdonum profecta, & eos qui non ex necessitate, sed ex usu crebrius expuunt, taxa prouerbium, Pscecas aut ros.* INT. *Cur inter loquendum identidem subtussire non decet?* 38
RESP. *Quia is gestus mentientium est, & inter dicendum quid dicant comminiscentium.* INT. *Quibusnam conuenit saliuam resorbere?* 39
RESP. *Inurbanis, canem reuersum ad uomitum, aut ad luti uolutabrum suem repræsentantibus.* INT. *Cur non decet more quorundam ad tertium quodq; uerbum eructare?* 40
RESP. *Nempe quòd indecora res sit, quæ si à teneris in consuetudinem abierit, hæsura sit in grandiorem etiam ætatem.* INT. *In tussiendo quod'nam decorum obseruandum erit?* 41
RESP. *Vt in os nemini tussiamus, nec clarius quàm natura postulet, tussire gestiamus.* INT. *Est'ne turpis uomitus?* 42
RESP. *Turpissimus est, ac fœdissimus accersitus ingluuie. Verū ut necessitati naturæ succuras, uenia dignus habetur.* INT. *Est'ne curanda dentium mundicies?* 43
RESP. *Est: quod si neglexeris, damnum accipient dentes, qui indomiti flammis tabe cauantur, & pitui-*

ta. Eos igitur mane pura aqua prolues, non puluiscu-
lo, quod puellarum, nec sale aut alumine, quod gin-
44 giuis pernitiosum, defricabis. INT. Est'ne id quod
dẽtibus inhæsit, cultello, aut mãtili, aut unguibus exi-
mendum? RESP. Minimè, sed potius auiculariũ
pennis, aut oßiculis è gallorum, aut gallinarum tibijs
45 detractis. INT. Qualis debet esse capitis orna-
tus? RESP. Mundum sit caput, non impexũ, nec
lendium aut uermiculorum sordibus fœdum. Absit ni-
46 tor puellaris. INT. Decet'ne subinde scabere ca-
put? RESP. Non, quia ut reliquum corpus fricare
unguibus, præsertim si fiat usu, non neceßitate, sordi-
dum est, ita caput subinde scabere indecorũ est. INT.
47 Qualis debet esse coma? RESP. Non prolixior,
non frõtem tegat, nec humeris inuolitet, ut meritò cæ-
48 saries dici poßit. INT. Quibus conuenit concus-
so capite discutere capillitium? RESP. Lasciui-
entibus equis, & quassantibus hydras Eumenidibus.
49 INT. Quibus uidetur elegans cæsariem à fronte in
uerticem manu retorquere? RESP. Opilionibus
prolixam comam nutrientibus. Item mollibus et inur-
50 banis Epicuri de grege porcis. INT. Qualis de-
bet esse ceruix? RESP. Non inflexa, non in læuum
nec in dextrum uergens, sed (ut etiam corpus) mol-
51 liter sit erecta. INT. Qui'nam solent ceruicem in-
flectere, & scapulas adducere? RESP. Nulli ado-
scentes

lescentes industrij, sed rancidului Dromones, longo ueterno torpescentes, & horridi desidia, latamq; trahentes inglorij aluum. INT. Quali libramine tẽperari debent humeri? RESP. Aequo, non in morem antennarum alter attolli, alter deprimi. INT. 52
53 Cur in pueris gestus corporis negligi non debent? RESP. Ne consuetudinem in naturam uersi, corporis habitum præter naturam olim deforment. Tenacius enim hærent, quæ rudibus annis percipiuntur. Vnde illud: Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Teste diu. INT. Decet'ne brachium in tergum retorquere, aut manus in ilia inijcere? RESP. Minimè, quoniam ueternosi alterum est ac furis, alterum Thrasonis ac Ardelionis. INT. Qui'nam elegantes ac decentes corporis gestus probãtur? RESP. Nõ qui stultis, nec delicatis aulicis placent, sed qui naturæ ac rationi consentanei sunt. INT. Sunt'ne membra quibus natura pudorem addidit, retegenda? RESP. Minimè, uerum si necessitas ad denudandum compulerit, id facies decente uerecundia, credens & angelos adesse, & oculum Dei omnia uidere. INT. Est'ne decorum eadem membra alienis manibus tangenda porrigere? RESP. Minimè, nam quorum conspectum oculis subducere pudicũ est, ea multo minus oportet alieno contactui præbere. INT. Est'ne ciuilitatis remorari lotium? RESP. Vrinam se- 54 55 56 57 58

creto reddere uerecundum est, remorari autem, uale=
59 tudini perniciosum. INT. Est'ne decorum com=
preßis natibus retinere flatum uentris? RESP. Ru=
sticitatis ac impudicitiæ argumentum est, assessoribus
oppedere, si id mala consuetudine facias, naturali nul=
60 la neceßitate impulsus. INT. Quibus conuenit
diductis genibus sedere, aut stare diuaricatis tibijs ac
distortis? RESP. Thrasonibus, qui à confidentia
61 dicti arrogantes atq; stolidi. INT. Quomodo igi=
tur standum aut sedendum? RESP. Sedenti coë=
ant genua, stanti pedes, aut certè modicè diducantur.
62 INT. Decet'ne puerum hoc gestu sedere, ut alteram
tibiam genu suspendat? RESP. Non decet, quo=
niam anxiorum est, & quorum capiti lapis (ut aiunt)
63 Tantali uideatur impendere. INT. Decet'ne
puerum stare decussatim compositis tibijs? RESP.
Minimè, quoniam id ineptorum est, quibus Siculæ (ut
64 aiũt) nugæ, nõ boni mores sunt curæ. INT. Qui'nã
olim sedentes dextrum pedem læuo femori inijcere
solebant? RESP. Prisci reges, quos temporum
65 nostrorum consuetudo uetat imitari. INT. Qui'nã
stantes alterum pedem, altero honoris gratia preme=
re, uniq; propemodum tibi ciconiarum ritu insistere
solent? RESP. Quidam Itali, quos an puer in=
66 genuus imitari debeat, ambigitur. INT. Quod'nã
in flectendis genibus decorũ seruare decet? RESP. Cũ

neminem

neminem inuenias cui patriæ suæ consuetudo non uel optima uideatur, liberum erit hîc uernaculis uti moribus, uel alienis obsecundare, maximè si uarietas nihil cum honesto pugnet. INT. *Qualis debet esse incessus?* RESP. *Non fractus, quod mollium est: non præceps, quod furiosorum: non uacillans, quod ebriorum: non subclaudicans, quod eorum est, qui magnum ornamentum putant in pileo gestare plumas.* 67
INT. *Quibus conuenit sedendo pedibus ludere, & manibus gesticulari?* RESP. *Illud stultorum est, hoc eorum, quibus mens parum integra.* 68

DE CVLTV.

QVAESTIO PRIMA.

EST'ne *uestitus decori ratio diligentior habenda?* 1
RESP. *Est, cum uestis quodammodo corporis sit corpus, unde habitum animi liceat conijcere.* INT. *Potest'ne certus uestium modus ac habitus præscribi?* 2
RESP. *Non potest, quoniam non omnium par est uel fortuna, uel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora aut indecora, nec omnibus seculis eadem placent, displicent'ue.* INT. *Quid faciendum* 3
in tantis uestimentorũ uarietatibus? RESP. *Quemadmodum non minimæ prudentiæ pars fuerit, Polypi mentem obtinere, hoc est, pro tempore, loco, ac consuetudine alios atq; alios mores assumere: Ita ciuilita-*

tis erit inseruire νόμῳ καὶ χώρᾳ, maximè si honestas
4 *non fuerit reluctata.* INT. *Qualis cultus decet*
adolescentem? RESP. *Neglectus, adsit tamen cul-*
tui mundicies, non muliebris, unde rectè Ouidiana
Phedra: Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina cõpti,
Fine coli modico forma uirilis amat. Et alibi: Forma
5 *uiros neglecta decet.* INT. *Quid Socrates con-*
specto adolescentulo, qui cultu delicato & parum ui-
rili incedebat, dixit? RESP. *Non te pudet, qui peius*
tibi uelis, quàm ipsa natura uoluit: siquidem illa te ui-
rum fecit, tu teipsum refingis in fœminam. INT.
6 *Cui nam decorum est prolixas uestium caudas trahere?*
RESP. *Nemini homini, cum id in fœminis rideatur,*
7 *in uiris improbetur.* INT. *Cur multitia cùm ui-*
ris tum fœminis probro dantur? RESP. *Quoniam*
olim infames pellucente atq; mollicina ueste non de-
cebat uti. Vnde Iuuenalis ait: Talem non sumet dam-
nata togam. Ergo cum præcipuus uestium sit usus ho-
nestare corpus, ac tegere partes eas, quæ impudicè o-
stenduntur oculis hominum, ualde decuerit, honestio-
ribus uti uestimentis, iniuria nulla corpus adfecturis.
8 INT. *Quibusnam conueniunt uestes breuiores, quam*
ut inclinantibus nates tegant? RESP. *Non mo-*
ratis & ingenuis pueris, sed cinædis, simijs, aut cer-
9 *copythecis.* INT. *Decet'ne pueros reiectis circa*
humeros tunicis, ac manicis in terram propendenti-
bus

bus ac demißis, incedere uentilando? RESP. Minimè. Id enim discinctorum Nacarum est, non honestiorum puerorum, quos decet manicas ac togas decenter induere, non quasi ueterem acturos tragœdiam longa
syrmata trahere. INT. Quibusnam dissecare ues- 10
stes, aut picturatis uti conuenit? RESP. Illud amentibus, hoc simijs ac morionibus. INT. Est'ne ciuili- 11
tatis, si quàm uestem à parentibus elegantiorem acceperis, paßim ostentare, & reflexis oculis admirabundum te contemplari? RESP. Minimè: alterum enim lenularum uanißimarum est, & eorum qui suam alijs miseriam exprobrant: alterum cornutorum beanorũ atq; pauonũ stolidorum. Ergo quò maior fortuna tua fuerit, eò modestia sit excellentior & amabilior.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

QVAESTIO PRIMA.

QVid'nam in templo cum sacra peraguntur, 1
facere puerum decet? RESP. Totum corporis habitum ad religionem componet, ad altare faciem, animi neruos ad Christum diriget. Cum recitatur Euangeliũ, assurget, et si poterit, auscultabit religiose, idq; nudato capite. Ad nomen saluatoris nostri genua flectet, ad concionem oculi spectabunt: attentæ aures erunt, huc inhiabit animus cum omni reuerentia. INT. Est'ne decorum nugas obgannire, 2

obambulare, huc illuc oculos circumferre uagos, exercere petulantiam? RESP. *Minimè gentium: illud enim infidelibus, hoc factioni Peripateticæ, tertiũ amentibus, quartum nebulonibus conuenit. Vnde existimándum nos frustra templum adijsse, nisi inde me-*
3 *liores ac puriores discesserimus.* INT. *Decet'ne in procumbendo, terram altero genu contingere, erecto altero cui læuus innitatur cubitus?* RESP. *Nõ: id enim Iudæorum est, qui subsannatores illusere Christo. Corpore igitur ad uenerationem composito, genu demittendum est utrunq;.*

DE CONVIVIO.

QVAESTIO PRIMA.

1 *QVid ornat conuiuium?* RESP. *Modestia, hilaritas, uerecundia ac taciturnitas.* INT.
2 *Quomodo puer mensam adornabit?* RESP. *Mappam nitentiorem insternet. Circulum ponet in medium, quadras inijcet, ad quarum sinistram partẽ repurgatos panes, quatuor ad mensæ angulos relictis: salinum apponet elegans, coclearia & pocula bene mundata, in horum appositione patriam imitabitur. Sellas ex ordine collocabit, iniectis singulis puluinaribus: gutturnium eluet, aquam manibus eluendis affe-*
3 *ret.* INT. *Quónam gestu stabit mensam consecraturus?* RESP. *Vultum ac manus ad religionem compo-*

componet, conuiuij primarium, aut si fors adsit, imaginem Christi spectabit, ad nomen Iesu matrisq; Virginis utrunq; genu flectet. Orationem proferet articulatim, non uerba præcipitabit. INT. *Quorum admonendus est mensæ administrator?* RESP. *Vt erectis ad iunctis pedibus stet, respiciens ne quid desit. Amandatus aliquò, reditum maturet. Cum infundendum, porrigendum, apponendum quid fuerit, id ciuiliter faciat, neminem per fundat, pocula porrecturus, nõ in manus præbeat, sed in mensam ponat. Conuiuarum sermones non interturbet. Interrogatus breuiter respondeat. Ad uarietatem ferculorum quadras mutet. Si uaria uina, eadem non commisceat. Sub cœnam pro emungendis lucernis euigilet. Emuncturus è mensa tollat, non extinguat candelam, quam ad illuminandũ portans præcedat. Quod emunctum, harenæ immergat, aut solea proterat. Quod de mensa remotum, nõ abliguriat.* INT. *Quomodo remouenda est mensa?* 5
RESP. *Eodem ferè quo apparata. Orbes colligentur primùm, posthæc salsamenta & sal. Inde caseus, uel quicquid aliud est pemmatum. Ad ultimum unà cum pane remouetur & mappa.* INT. *Quid faciet ad conuiuium uocatus?* RESP. *Nõ sit tardus, sed hora præscripta ueniat. Non adducat canem uel umbrã. Quicquid in animo ægrè est, abijciat. Ad honoratiorẽ locum sedere iussus, primũ excuset. Si instabitur, au-*

 toritate

toritate prædito obtemperans, sedeat, sed lotis mani-
bus, unguibus præsectis. Cultrum habeat acutum, non
qui magis premat quàm scindat. Non gesticuletur ma-
nibus, aut pedibus ludat. Non mensam aut quadrā fo-
diat. Quod in terram lapsum, ori non admoueat. Buc-
cellas non nimis amplas aut densas sumat. Salino digi-
tos non indat, quantum satis est cultello sumat, si lon-
gius est, porrecta quadra petat. In poculo nō appareat
7 *supernatans pinguedo aut sagimem.* INT. *Quæ-*
nam in conuiuijs uehementer inciuilia reputantur?
RESP. *Abs te semesa alteri porrigere, panem decor-*
ticare uel excauare, caseū ita scindere, ut falcis aut ser-
ræ figurā repræsentet. Ore pleno uel bibere, uel loqui.
Cibum mansum è faucibus eximere, & in quadram re-
ponere. Cogitabundum accumbere. Stupere, quasi to-
tus animus sit in patinis. Oculis circumactis, obseruā-
re quid quisq; comedat. In quenquam conuiuarum
oculos diutius intentos habere. Transuersim hirquis
intueri qui in eodem accumbāt latere. Retorto in ter-
gum capite contemplari quid rerum geratur in alte-
ra mensa. Effutire quod offuscet hilaritatem. Absen-
tiū famam lædere, suum cuiq; dolorem refricare, quod
appositum est uituperare. Dicta uel facta foras elimi-
8 *nare.* INT. *Quænam inter edendum habentur*
inurbana? RESP. *Tantum simul in os ingenere-*
re, ut utrinq; ceu folles tumeant buccæ. Buccellas nimis
densas

densas & amplas sumere, piper edens digitos prælin-
gere. Thoracem commaculare. Mandendo labiorum
diductu sonitum more porcorum edere. Ore pleno uel
bibere, uel loqui. Ossa cultris purganda, dentibus ar-
rodere. Eadem, aut si quid simile reliquum, sub men-
sam abijcere, panem pectore proscindere. Cibum aut
ossa semel seposita repetere, panem prærosum iterum
in ius immergere. INT. Accumbentis ubi manus, 9
erunt? RESP. Vtraq; supra mensam, non coniun-
ctim, non in quadra, nec in gremio. INT. Decet'ne 10
utroq; uel altero cubito inniti mensæ? RESP. Mi-
nimè, id enim senibus & ægrotis condonatur: delica-
tis item quibusdam aulicis, qui se decere putant quic-
quid agunt. INT. Decet'ne inter conuiuandum 11
relaxare uincula? RESP. Nullo modo: uoracitatis
enim odiosæ signum est, in eos competens, qui sunt per-
nicies & tempestas, barathrumq; macelli. INT. 12
Quod'nam decorum sedentis erit? RESP. Pexum
ac retectum caput, & æquo libramine corpus erectũ
habere, non in sella uacillare, non iam huic, nunc alte-
ri nati uicißim insidere. Non cubito proximè accum-
bentem, nec pedibus ex aduerso sedentem molestare.
INT. Adhærebit'ne puer mensæ usq; ad conuiuij finẽ? 13
RESP. Non manebit, sed sumpto quod satis est, sub-
lata quadra sua discedet, flexo poplite salutans con-
uiuas, inter eos maximè honoratiorem. INT. Est'ne 14

panis

panis una uola pressus summis digitis refringendus,
aut crustum undiq; reuellendum? RESP. *Minimè:*
id enim est delicatorum, Apitiorum. *Quare cultello*
decenter secandus, & ut res sacra, panis religiose tra-
15 *ctandus.* INT. *Cur panem fortè delapsum in ter-*
ram solemus exosculari? RESP. *Quoniam sacrũ*
charitatis & concordiæ symbolum est, quo ueteres a-
micitiam ueram conciliabant. Vnde *illud* Pythagori-
16 *cum:* Panem *ne frangito.* INT. Decet'*ne puerum*
à poculis conuiuium auspicari? RESP. *Non de-*
cet: etenim ea res cùm moribus non solum inhonesta sit,
sed etiam corporis ualetudini officiat, relinquenda est
potoribus, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd sole-
17 *ant.* INT. *Quomodo reficiendum puerile corpus?*
RESP. *Citra plenam saturitatem, & magis crebrò,*
quàm copiose, nõ immodico cibo differciendũ. INT.
18 *Cur nimio cibo puerile corpus non est plus æquo di-*
stendendum? RESP. *Quoniam, ut* Gellius *ait, cõ-*
pertum est, pueros, si plurimo cibo nimioq; somno u-
tantur, hebetiores fieri, indeq; tarditatem elici. INT.
19 *Quando & quoties in mensa bibet puer?* RESP. *Cũ*
aliquandiu pastus fuerit, de secundo missu, maximè
sicco, non statim post sumptam ex iure offam, nec post
lactis esum. Et *sæpius quàm bis, aut ad summum ter, in*
conuiuio bibere, puero nec decorum, nec salubre. Et
quartam crateram insaniæ esse contendit Anacharsis.
Cauendum

Cauendum autem in primis, ne potu ingurgitetur, aut equorum sonitu bibat. INT. *Quæ'nam præmia* 20
mero gaudentes sequuntur? RESP. *Dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculorum luscitio ac ulcera, mentis stupor, manus tremulæ, furiales somni, noctes inquietæ, & breuiter, Senium ante Senectam.* INT. 21
Qui'nã potus puerili ætati maximè cõuenit? RESP. *Qui feruidam ætatem, non magis feruidam (ne iuxta prouerbium, oleum camino addatur,) reddit, nec qui inebriet. Non mala est igitur cereuisia tenuis, itẽ aqua, si regionis qualitas patiatur: ad hæc, uinum non ardens, sed aqua dilutum.* INT. *Quid faciet de cõ=* 22
muni aut alieno poculo bibiturus? RESP. *Cibũ præmandet, & hærẽtem in ore deglutiet primùm, deinde labra mantili aut linteolo absterget.* INT.
Quod'nam inter bibendum habetur ualde rusticum 23
& illiberale? RESP. *Alios intortis oculis intueri, & more ciconiarum reflectere ceruicem, ne quid hæreat in imo cyathi. Quod eorum est, quibus conuenit prouerbium: Tollere mascbalam.* INT. *Inuitatus* 24
ad bibendũ quid faciet puer? RESP. *Admotis cyatho labris, paululum libabit, & si non sitiat, se bibere simulabit. At si quis rusticius urserit, se tum responsurũ pollicebitur, cum adoleuerit.* INT. *Sunt'ne manus* 25
statim, ubi uix bene consederis, in epulas coniiciendæ? RESP. *Non sunt: id enim luporum est, & eorum qui*

de chy=

de chytropode cibum nondum sacrificatum rapiunt,
26 *more pecudum ad cibum capiendum irruētes.* INT.
Quare cibum appositum primus statim attingere non
debes? RESP. *Nempe ut affectui temperare adsue-*
scas, & ne feruidum inexploratum recipiens, cogaris
expuere, aut ridiculus gulā adurere: postremus igitur
27 *ac iussus admouebis manum patinæ.* INT. *Quid*
respōdebat Socrates, rogatus cur de primo cratere nō
biberet? RESP. *Ne consuescam, inquit, affectibus*
obsequi. Digna certè philosopho sententia. INT.
28 *Sunt'ne digiti in iussulenta mittendi, & toto quæ pla-*
ceant disco eligenda? RESP. *Non sunt: illud enim*
agrestium est, hoc liguritorū. Ergo quod ante te iacet,
29 *sume uel cultello, uel fuscinula.* INT. *Decet'ne ma-*
num in omnes patinæ plagas mittere, aut patinam, ut
ad te ueniant lautiora, inuertere? RESP. *Minimè:*
id enim est intemperantium, ac uentri, non honestati
30 *inseruientium.* INT. *Decet'ne porrectum cibum*
assumere? RESP. *Decet, sed digitis tribus, aut*
porrecta quadra. Attamen præmittenda prius est ex-
cusatiuncula, postmodū resecta portiuncula, reliquum
offerendum ei qui porrexerat, aut proximè aßidenti
31 *communicandum.* INT. *Quomodo recusandum id*
est, quod oblatum non conuenit stomacho tuo? RESP.
Non dicendum cum Terentiano Clitiphone, Non pos-
sum pater: sed comiter agendæ gratiæ. Quòd si per-

sisterit

stiterit inuitator, uerecundè respondendum, aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere. INT. *Quomodo placenta, uel artrocrea, uel simile quiddam accipiendum est?* RESP. *Nō digitis, sed quadra aut cocleari, quod scilicet inuerso in quadram cibo, reddēdum.* 32
INT. *Quid faciendum, si liquidius quiddam tibi gustandum cocleari porrigatur?* RESP. *Quod offertur sumendū est, et cocleare, sed ad mantile prius extersum, reddendum.* 33
INT. *Decet'ne unctos digitos, uel ore prælingere, uel ad tunicam extergere?* RESP. *Minimè, nam id mappa potius aut mantili faciendum.* 34
INT. *Est'ne decorum integros bolos subitò deglutire?* RESP. *Non est, nam hoc ipsum ciconijs ac philoxenis conueniens, puerilem ualetudinem offendit.* 35
INT. *Est'ne ciuile, si quid à structore resectum fuerit, & priusquam ille offerat, porrigere manum aut quadram?* RESP. *Minimè, nam sic præripere quod alteri paratū erat, uidereris.* 36
INT. *Est'ne à primis statim annis secandi ratio discenda?* RESP. *Maximè, sed non superstitiosa. Porrò aliter armus, aliter coxa, ceruix, cratis, capus, perdix, anas inciditur. Iuuenalis ait:* 37

—Nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

INT. *Quomodo manducabit ouum puer?* RESP. *Panem prius frustulatim scindet, testam uno ictu aperiet,* 38

riet,

riet, ne quid præterfluat cauebit, salem adhibebit, non
potabit, nec olfactu tentabit, non unguibus aut pollice,
aut inserta lingua purgabit, sed cultello, testas non
39 confractas in catinum reijciet. INT. Quônam in-
ter edendum proijci debent seponenda? RESP. In
quadræ angulum, aut discum, qui reliquijs excipiendis
apponitur, ne uel pauimentum, uel mensæ stragulam
40 conspurcent. INT. Est'ne canibus aliquid proij-
ciendum? RESP. Vt canes inter conuiuandum
tractare stoliditatis est argumentum, ita eos de alieno
pascere simultatis, ac odij gliscentis irritamentum, ijs
solum conueniens, qui de alieno sunt liberales, & ex
41 alieno tergore solent lata secare coria. INT. Quo-
modo manducabit puer carnes? RESP. Minutim
prius dissecabit, mox addito pane, aliquãdiu mandet,
priusquam in stomachum traijciet. Nam deuorare ac
tuburcinari, fossorum ac latronum est, non puerorum
42 honestiorum. INT. Quibus conuenit quadram,
aut patinam cui saccarum aut aliud suaue quiddam
adhæsit, lingua lambere? RESP. Canibus & feli-
bus, non ijs qui se homines esse meminerunt. INT.
43 Est'ne decorum in conuiuijs citra intermißionẽ edere
aut bibere? RESP. Non est, cum id facere soleant
illi qui gestus moderari nõ possunt, unde etiam rusticis
moribus imbuti, aut scabunt caput, aut scalpunt dẽtes,
aut gesticulantur manibus, aut ludunt cultello, aut tus-
siunt,

siunt, aut screant, aut exspuunt, ignorantes quòd fabularum uicißitudo, interuallis esum perpetuum dirimere, aliorumq; sermonum auscultatio hoc tædij fallere debeat. INT. *Cur non est respondendum prius* 44
quàm orationem finieritis qui compellat? RESP. *Ne aliena, nihil (ut aiunt) ad Bacchum respondens, sit risui. Detq; locũ ueteri prouerbio, ἄμας ἀπήτουν. Vnde rex Salomon in prouerbijs inquit: Qui prius respondet quàm audiat, stultum se demonstrat, & confusione dignum.*

DE CONGRESSIBVS.

QVAESTIO PRIMA.

QVid faciet puer, si quis in uia honore dignus 1
occurrerit? RESP. *De uia decedet, reuerenter caput aperiet, poplites etiam, si nobilior homo, uel persona grauior obuiam uenerit, inflectet.* INT. *Honoribus digno ueniente obuiam, debet'ne* 2
puer sic cogitare: Quid mihi cũ ignoto? RESP. *Nõ debet, cum hic honos non homini, sed Deo tribuatur, qui cano iußit assurgere, ac presbyteris duplicatũ honorem exhibere.* INT. *Deberemus'ne Turcam, si* 3
(quod absit) nobis imperet, honorare? RESP. *Deberemus: Nam quod diuus Paulus ait, Nos omnibus honorem præstare debere, quibus honos debeatur;*

t com-

complectitur etiam ethnicum magistratum. Et *sanctus*
Petrus *dicit:* Nos *subditos esse debere, non solùm bonis*
4 *dominis, uerumetiam prauis.* INT. *Quibus'nam*
à Deo *secundus debetur honor?* RESP. *Parentibus*
ac præceptoribus: illis, quòd nos generarint, nostra
causa tot labores subierint, ac tædia deuorauerint: His,
quòd mentes nostras, meliorē hominis partem, in mul-
5 *to sudore forment & expoliant.* INT. *Habetur'ne*
ciuile, æquales inuicē honoribus se præuenire? RESP.
Habetur, cum diuus Paulus Romanis *scribens, doceat,*
ut honore alius aliū præcedat. Porrò *si parem, aut in-*
feriorem honore præuenerimus, non minores reddi-
6 *mur ipsi, sed ciuiliores.* INT. *Quomodo loque-*
tur cum maioribus puer? RESP. Vt *cum æquali-*
bus amanter ac comiter, ita cum maioribus reueren-
ter, ac paucis, titulum honoris subinde repetendo. Nec
abibit nisi præfatus ueniā, aut dimissus ab illis. INT.
7 *Inter loquendum ubi manus, ubi pileum habebitur?*
RESP. *Pileum utraq; manu iuncta suspensum, polli-*
8 *cibus eminentibus, teget pubis locum.* INT. *De-*
cet'ne librum aut galerum sub axilla tenere? RESP.
Non *decet, ne fortè (ut ait* Horatius*) sub ala.* Fasciculū
portes librorum, ut rusticus agnum: Vt *uinosa globos*
9 *furtiuæ* Pyrrhia *lanæ.* INT. *Inter loquendū oculi*
quò spectabūt? RESP. *Intenti sint in eū cui loqueris,*
sed placidi ac simplices, nihil procax, nihil improbum

pra

præ se ferẽtes, Porro huc illuc oculos uoluere, leuitatis
est. In terram deijcere, malæ conscientiæ: transuersim
tueri, auersantis. INT. Quali titulo puer alicui lo= 10
cuturus utetur? RESP. Honorifico. Quòd si titu=
lus eum fugerit: Eruditi omnes, præceptores sibi erunt
obseruandi: Omnes potentes et ignoti, domini: Omnes
æquales, fratres & amici. INT. Quænam inter 11
loquendum indecora reputantur? RESP. Vultum
in uarios habitus, ut Proteus, transformare, corrugare
nasum, cõtrahere frontem, attollere supercilia, distor=
quere labra, diducere os aut premere, capite concusso
iactare comã, sine causa tußire, screare, caput scabere,
aures scalpere, nasum emungere, demulcere faciem,
suffricare occipitium, humeros diducere, rotato capi=
te negare, reducto accersere, & breuiter, gestibus ac
nutibus loqui. INT. Inter loquendum quænam 12
uehementer sunt illiberalia? RESP. Iactare bra=
chia, gesticulari digitis, pedibus uacillare, toto corpo=
re loqui, corpus incuruare, interpellare loquentem,
antequam fabulam absoluerit. INT. Qualis debet 13
esse uox? RESP. Mollis & sedata, non clamosa,
nec tam pressa, ut ad aures eius cui loqueris non per=
ueniat. INT. Qualis debet esse sermo? RESP. Nõ 14
præceps & mentem præcurrens, sed lentus, explana=
tus ac distinctus, qui hæsitantiam innatam ac Bat=
tarismum solet emendare. INT. Quomodo puer 15

(si necesse fuerit) rem pudendam, aut quæ nauseam
mouere poßit, nominabit? RESP. *Illic uerecun-*
da circuitione utetur, hic honorem auribus præfabi-
16 *tur.* INT. *Quod tacitum uelis, cui credendum*
erit? RESP. *Nemini: Ridiculum enim est ab a-*
lio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præ-
17 *stes.* INT. *Cur præstiterit malorum consortia*
uitare? RESP. *Quoniam (ut dicitur) corrum-*
punt bonos mores, colloquia praua. Et modicum fer-
mentum totam massam corrumpit. Atq; dat in plu-
res unius contagio labem. Sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci, Vuáq; conspe-
18 *cta liuorem ducit ab uua.* INT. *Quæ res potis-*
simum beneuolentiam conciliare, & amicitiam con-
seruare solet? RESP. *Virtutis studia: Idem uelle*
ac nolle: Mutua beneuolentia: Facilè omnes perfer-
re, ac pati: Non φίλαυτον *esse: Nemini se præfer-*
re: Fidei tesseram non confringere: Sedula beneficio-
rum recordatio: Spontanea obsequia.

DE MORIBVS IN PAEDAGOgio, & inter prælegendum seruandis.

QVAESTIO PRIMA.

1 IN *Phrontisterio quid faciendum pueris?* RESP.
Taciturnitatis ac modestiæ studiosi, nullis susurrijs,
aut

aut indisciplinatis colloquijs prælectiones interturbabunt. Cauebunt ne meritò uapulent. Officiorum admoniti nunquam proteruè responsabunt. Peruicaciam omnem ac contumeliam exuent. Ingenium induent & docile & tractabile. Semper attentè, & auribus arrectis auscultabunt. Dictata libenter excipient. Etiam à præceptore solùm narrata, non sinent prætérlabi. Excepta, quasi thesaurum condentes memoriæ mandabunt. INT. *Quid Diogenes adolenscentulo garrulo, & indecorè loquēti dixit?* RESP. *Nō erubescis, ex eburnea uagina plumbeum gladium educere?* INT. *Quid faciēt à Pædagogio dimißi pueri?* RESP. *Matura festinatione domum properabunt, non more sutorum ad oppida nundinaria raptim accelerantium cursitabunt, nec more Stentoris clamorem edent, aut turbas, ut lasciuientes caballi facient. Non ut pecudes horsum, aut deorsum cursitabunt. Si quid operis domi faciendum, hilariter, ac citra murmurationem capessent & expedient. Ad studia non inuiti, sed admodum libenter redibunt.* 2 3

DE LVSV.

QVAESTIO PRIMA.

QVænam requiruntur in liberalibus lusibus? RESP. *Alacritas ac modestia, non dolus, non mendacium, non peruicacia rixarum parens, sed concordia rerum omnium nutrix.* INT. *Cur ludendi* 1 2

dēndi datur copia? RESP. *Defeßi studijs animi*
3 *demulcendi gratia, non lucri causa.* INT. *Quæ nā*
decorant ludum? RESP. *Grauitas honesta, læti-*
tia, uiuacitas, uigor animi, ordo, charitas mutua, in-
genuè ac legitimè ludere, uirtute, non fraude uince-
4 *re.* INT. *Qui'nam pueris prohibiti ludi?* RESP.
5 *Alea, tesseræ, chartæ, natare in aquis.* INT. *Quæ'nā*
relaxamenta sunt honesta, & pueros decentia?
RESP. *Trochus, pila, globuli, agitatio corporis, cur-*
sus, lusus sphæræ, & genera saltus, ut locustarum,
utraq; tibia, iunctis pedibus, unica tibia. INT.
6 *Quæ'nam est pulcherrima uictoria?* RESP. *Sei-*
psum uincere. Vnde longè melius, contentioni cedere,
7 *quàm palmam reportare.* INT. *Vbi puerorum in-*
doles maximè relucere solet? RESP. *In lusu: nam*
cui ad dolos, mendacium, rixam, iram, uiolētiam, ar-
rogantiam propensius ingenium est, hic naturæ uitium
8 *emicat.* INT. *Quæ'nam in lusu puerum decent in*
genuum? RESP. *Cum nemine contentionem susci-*
pere: uictoriam, si res uenire uideatur adiurgium, ce-
dere potius, quā palmā obtinere. Aut ad arbitros pro
uocare. Arbitris non reclamare, non tumultuari, non
uociferari, non insanirn, non alicui rei damnum infer-
re. Illud igitur diui Pauli, tu lusurus, aut aliud actu-
rus, memoria tenebis: Omnis amarulentia, & tumor,
& ira, & uociferatio, et maledicētia tollatur à uobis,
cum

cum omni malitia. INT. *Quomodo ludus fiet ala=* 9
crior? RESP. *Si cum imperitioribus certamen est,*
possisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patia=
ris: si cum inferioribus, ibi te superiorem esse nescias.
INT. *Qui'nam ludi Musis sunt magis accommodi?* 10
RESP. *Delectamenta Musices, in cantionibus, &*
instrumentis musicalibus ingenium exercere. INT.
Debent'ne ludentes pueri mummos, graphia, libellos, 11
aut ligulas deponere? RESP. *Minimè. Quoniam*
istæ res ad furtum aperit fenestram, & ad maleficia
solicitare solet animos pueriles. INT. *Est'ne piũ* 12
parentibus aliquid surripere, & dicere non esse pec=
catum? RESP. *Impijssimum est. Vnde Solomon*
ait: Qui deprædatur parentes, & negat id esse pec=
catum, is socius est homicidæ. INT. *Pro qua re* 13
pueri ludendo certabunt? RESP. *Qui uictus*
fuerit, pro pacti conditione, faciet imperata uictoris,
aut conclauis uerret pauimentum: Aut manibus ab=
luendis aquam afferet: Aut aliquot recitabit carmina:
Aut ex pacto quod ictum fuerit, lappa coronatus in=
ambulabit: Aut simile quippiam subibit.

DE CVBICVLO.

QVAESTIO PRIMA.

VEsperi cubiculum ingressus quid puer aget? 1
RESP. *Ad precationes sacras se componet.*

dendi datur copia? RESP. *Defessi studijs animi*
3 *demulcendi gratia, non lucri causa.* INT. *Quæ nā*
decorant ludum? RESP. *Grauitas honesta, læti-*
tia, uiuacitas, uigor animi, ordo, charitas mutua, in-
genuè ac legitimè ludere, uirtute, non fraude uince-
4 *re.* INT. *Qui nam pueris prohibiti ludi?* RESP.
5 *Alea, tesseræ, chartæ, natare in aquis.* INT. *Quæ nā*
relaxamenta sunt honesta, & pueros decentia?
RESP. *Trochus, pila, globuli, agitatio corporis, cur-*
sus, lusus sphæræ, & genera saltus, ut locustarum,
utraq; tibia, iunctis pedibus, unica tibia. INT.
6 *Quænam est pulcherrima uictoria?* RESP. *Sei-*
psum uincere. Vnde longè melius, contentioni cedere,
7 *quàm palmam reportare.* INT. *Vbi puerorum in-*
doles maximè relucere solet? RESP. *In lusu: nam*
cui ad dolos, mendacium, rixam, iram, uiolētiam, ar-
rogantiam propensius ingenium est, hic naturæ uitium
8 *emicat.* INT. *Quæ nam in lusu puerum decent in*
genuum? RESP. *Cum nemine contentionem susci-*
pere: uictoriam, si res uenire uideatur adiurgium, ce-
dere potius, quā palmā obtinere. Aut ad arbitros pro
uocare. Arbitris non reclamare, non tumultuari, non
uociferari, non insanirn, non alicui rei damnum infer-
re. Illud igitur diui Pauli, tu lusurus, aut aliud actu-
rus, memoria tenebis: Omnis amarulentia, & tumor,
& ira, & uociferatio, et maledicētia tollatur à uobis,
cum

cum omni malitia. INT. *Quomodo ludus fiet ala-* 9
crior? RESP. *Si cum imperitioribus certamen est,*
possisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patia-
ris: si cum inferioribus, ibi te superiorem esse nescias.
INT. *Qui'nam ludi Musis sunt magis accommodi?* 10
RESP. *Delectamenta Musices, in cantionibus, &*
instrumentis musicalibus ingenium exercere. INT.
Debent'ne ludentes pueri mummos, graphia, libellos, 11
aut ligulas deponere? RESP. *Minimè. Quoniam*
ista res ad furtum aperit fenestram, & ad maleficia
solicitare solet animos pueriles. INT. *Est'ne piū* 12
parentibus aliquid surripere, & dicere non esse pec-
catum? RESP. *Impijssimum est. Vnde Solomon*
ait: Qui deprædatur parentes, & negat id esse pec-
catum, is socius est homicidæ. INT. *Pro qua re* 13
pueri ludendo certabunt? RESP. *Qui uictus*
fuerit, pro pacti conditione, faciet imperata uictoris,
aut conclauis uerret pauimentum: Aut manibus ab-
luendis aquam affret: Aut aliquot recitabit carmina:
Aut ex pacto quod ictum fuerit, lappa coronatus in-
ambulabit: Aut simile quippiam subibit.

DE CVBICVLO.

QVAESTIO PRIMA.

V*Esperi cubiculum ingressus quid puer aget?* 1
RESP. *Ad precationes sacras se componet.*

Nec prius in dulcem declinabit lumina somnũ, Omnia
2 quàm longæ reputauerit acta diei. INT. Quorum in cubiculo puer meminisse uel in primis debet? RESP. Taciturnitatis, honestatis ac uerecundiæ: horum siue cũ exuat se, siue cum surgat, nunquam debet obliuisci. Quod si fiet, nihil inciuiliter, nihil impudicè faciet, nihil aliorum oculis denudabit, quod mos
3 & natura tectum esse uoluit. INT. In lecto quod decorum seruabit puer? RESP. Priusquam reclinet corpus in ceruical, frontem ac pectus crucis imagine signabit, breui precatiunculu se Christo commendabit. Neminem enecabit garrulitate, quietus iacebit, corporis iactatione se non nudabit, nec sodali
4 detractis pallijs molestus erit. INT. Quomodo cubabit puer? RESP. Non Pronus neque supinus, sed primùm lateri dextro innitetur, brachijs ita transuersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, læua dextro.
5 INT. Quid puer cum manè se primùm erexerit, faciet? RESP. A' precibus diem auspicabitur, nihil faciet nisi prius pexo capite, lota facie, manibusq; & ore proluto.

PERORATIO.

HAbetis studiosißimi pueri Ciuilitatem morum Erasmi, in commodas (ut opinor) quæstiones

contractam. Quas si uobis usui futuras intellexero, satis autoribus gratiæ uel habitum uel relatum arbitrabor: Sin minus, persuasum habebo uenia dignum, prodesse uoluisse.

ORATIO PVERIS MANE DICENDA.

GRatias tibi pater cœlestis ago, quòd præteritam noctem mihi uolueris esse prosperam, precorq; ut diem itidem hunc totum mihi bene fortunes ad tui nominis gloriam, & animæ meæ salutem, & ut tu, qui es uera lux occasum nesciēs, sol æternus omnia uiuificans, alens, exhilarans, digneris illucescere, menti meæ, ne usquam impingam in ullum peccatum, sed ductu tuo perueniam ad uitam æternam. Amen.

ALIA ANTE INGRESSVM PAEDAGOGII, PVERIS DICENDA.

IEsu Christe, Dei fili unigenite, Domine misericordiæ, te suppliciter oro, ut qui puer duodecim annos natus, sedens in templo docuisti doctores ipsos, cuiq; pater cœlitus emissa uoce dedit autoritatem docendi mortalium genus, quum diceret: Hic est filius meus dilectus,

lectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite: quiq; es aeterna sapientia summi patris, illustrare digneris ingenium meum, ad perdiscendas honestas literas, quibus utar ad nominis tui gloriam, & animae meae salutem.

ORATIO IN TEMPLO DICENDA.

Gratias ago tibi Iesu Christe pro ineffabili charitate, quòd genus humanum morte tua redemisti. Te precor, ut aures & oculos mentis ac cordis mei digneris aperire, ut eloquia tua sancta, non solùm uerè & examußim percipere queam & intelligere, sed factis etiam debitis exprimere. Te suppliciter oro, ne patiaris tuum sanguinem pro me frustra fusum esse, sed tuo corpore semper pascas animum meum, tuo sanguine uiuifices spiritum meum, ut paulatim adolescens ego uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis tui mystici, quod est Ecclesia, nec unquam deficiam ab illo sanctißimo tuo foedere, quod in extrema coena distributo pane, & porrecto poculo, pepigisti cum discipulis tuis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem tuam sunt insiti. Amen.

FINIS.

IACOBI

IACOBI SADOLETI AD GVLIELMVM BELLAIVM LANGEVM, DE LIberis rectè instituendis Liber.



EVRIPIDIS *est, in Andromacha opinor, non tam formam fœminæ, quàm uirtutes esse quæ delectent coniugem. Te uerò Gulielme Bellai, optime amicorum omnium, quanta oportet affici uoluptate, qui eam uxorem nuper duxeris, cuius ad egregias animi uirtutes atq; dotes, species ac forma adiuncta sit, digna electißimis moribus: quos habuit quidem illa unde disceret, nata in familia nobilißima, & in eis educta quotidianæ uitæ consuetudinibus, quæ splendorem & elegantiam optimi generis apprimè redolerent. Sed tibi certè contigit ex tui animi sententia, ut talem haberes, qualem semper optasti. Nam cum etiam tu antiqua nobilitate, & claris maioribus procreatus, plura ac multo præstantiora ornamenta tibi ex uirtute ac quisiueris, ijs quæ à natura & à fortuna multa ac magna accepisti: sanè fuit æquum, ut sociam thori atq; uitæ eam* tibi

tibi adiungeres, cuius ingenium & uirtus tuis humanißimis moribus responderet. Maximè autem in hoc *laudanda* FRANCISCI *Regis nostri sapientia est, & consilium summo principe dignum, qui quod cæteri ferè in equis & canibus, ipse præcipuè in uiris facit, ut prouidentiam omnem adhibeat, quò ex spectatis utrinq; generibus electi, in hoc sanctum fœdus matrimonij conueniant, ut ex bonis parentibus nascatur progenies, quæ postea & Regi, & patriæ poßit esse utilis. Etsi in eo præterea necessaria esse disciplina quædam uidetur, quemadmodum domi ali atq; institui debeant pueri atq; adolescentes. Quo de genere nos cum nuper nescio quid cõscripsissemus, uiam patribus & rationem ostendere conati, qua bene atq; ingenuè erudire liberos possent, statuimus tibi deferre hoc munus, quod futurum esset monumentum nostri in te amoris: etsi tu minimè omnium huius quidem præceptionis indigeas. Quis enim est, de instituendis rectè liberis scribere aliquid uolens, qui non plura & potiora domi uestræ huiusce generis documenta reperiat, quam ipse ad instruendũ alios poßit afferre? In quo sæpe solitus sum mirari parentis uestri felicitatem, an uirtutem, an uerius dicam utrunq;: qui cum plures sustulerit alueritq; liberos, sic eos omneis æqualiter artibus optimis, & præclarißimis moribus expoliuit, ut cuncti ex eadem quasi forma humanitatis simul ac dignitatis*

tatis conflati, & quodammodo excusi esse uideantur. Sed tamen non inacceptum tibi fore hoc animi mei studium sum arbitratus, quod & iucundum amicitiæ, & opportunum recens tuum coniugium facturum sit. E quo Deum immortalem precari non desino, ut te gignere prolem eam cõtingat, quæ paternam & auitam uirtutis imaginem in omni posteritate posit propagare. Verùm ut ad ipsum iam sermonem de liberis rectè instituendis ueniamus: Cum sederem olim in meridie domi ociosus, nescio quid tum de meis studijs cogitans, accessit ad me Paulus Sadoletus, adolescens sanè quàm deditus studijs honestißimis, quem ego fratris filium, traditum mihi à patre, in filij educans loco, omnibus eum instituere contendebam & literis bonis, & moribus. Quem tamen laborem leuem mihi & iucundum faciebat, cum summum eius ingenium, tum uoluntas natura & consuetudine iam ad omnem optimam partem rationemq; propensa.. Is tunc cum introijsset ad me aliquantum temporius quàm solebat, (erat enim tempus dici certum constitutum, quo audiebat quotidie de me Aristotelis Ethica) sic eum interrogare ingressus sum. IACOBVS. *Quid est Paule quòd te huc tam maturè? num te fefellit hora? aut aliud quid fortè apportas noui?* PAVLVS. *Nihil quicquam magnopere Patrue mi, aut si non tam huius quæ in corpore fit, quàm sanctioris in animo generationis, & meæ pietatis*

tatis erga te proprium nomen quæritur, longè iustissimi Pater. Sed ego ad te accessi prudens aliquanto maturius, non ipse aliquid apportans noui, sed expectans potius à te. IAC. *Quid istbuc quod expectas? Agè, exprome, nihil enim recto studio tuo abnuet unquam uoluntas mea.* PAV. *Scio ego istbuc, etiam te tacente, mi Pater: facilè enim mihi declarat res ipsa. Sed modò percunctanti mihi cum cubicularius dixisset ocium tibi esse, non inopportunum sum arbitratus petere à te, ut de instituenda rectè adolescentia ea mihi in unum præcepta componeres, quæ sparsim & intercise sæpe edere es solitus: cupio enim habere mecum tanquam commentarium præceptionum huiusmodi, è quo ipse me conformare ad uirtutem poßim, ut talis fiam, qualem tu me esse uis. Sed hoc nisi molestum est, & si non aliud quid anteuertendum putas.* IAC. *Mibi molestum? aut aliud quid anteuortam? an est quicquam omnium rerum quod malim, quàm te & optimum & doctißimū esse? Sic enim puto te hoc quærere, ut quod & ad bonos mores attinet, & quod ad literas bonas, totum tibi id à me explicari cupias.* PAV. *Istud ipsum est quod ego cupio.* IAC. *Atqui Paule, si rem tractare & exequi ordine suo uolumus, ab ipsa pueritia exordiendum est. Nemo enim instituì rectè potest adolescens, qui nequiter fuerit eductus puer: nam ut radix indolem ingeniumq; arboris, sic bene moratam &*

compositam adolescentiam pueritia ipsa producit. Hoc primum tempus ætatis, quod imprimis lubricum est atq; anceps, minimè est omnium legibus his quibus nunc utimur, animaduersum atq; tractatum, neq; adhibita cura, ut id publicè excolatur, cum maximè in eo uno ciuium boni mores, & ciuitatum salus constituta sit. De actionibus & controuersijs inter sese ciuium accuratè iura constituta sunt: in quo autem ferme sunt omnia, de genere uitæ eligendo, de educatione liberorum, de officio parentum, de uirtute, de moribus, quas quenq; sequi artes, & quas reijcere conueniat, mirum silentium est, præterquam si qua sunt Pontificio iure ad doctrinam uirtutis ac religionis præcepta iuuentuti, uel generi potius certo, ijs uidelicet qui sacris initiati sunt: nec tamen ea ordinatim, neq; à pueris, ut potius innuiße præclara quædam, quàm diligenter exposuisse uideantur. Græci diligentiores, nec tam in agendo præcipiendoq; ea quæ sunt uirtutis, (in hac enim laude nulli omnino nationi neq; generi prisci illi maiores nostri concessere, quod ueterum rerum monumenta perspicuè indicant) quàm in conseruando & tradendo posteris ea quæ optimè essent statuta. Cum apud nos & XII. tabularum lex totius æquitatis ac iuris seminarium, & uetera omnia plebiscitu, S. consulta, magistratuum edicta, nouorum iuris consultorum infinita quadam ubertate et redundantia

iamdiu

iamdiu offusa & obliterata sint. At me hercule apud *Græcos non modò* Draconis *ac* Solonis *ueteres quàm plurimæ leges, uerumetiam* Lycurgi *rhetræ, ut illi appellant, conseruatæ perquàm diligenter sunt.* Quod eò *est miserabilius, quòd ille bonam partem legum suarum, non in tabulis, sed in mentibus atq; animis ciuium suorum inscripserat, ut usu, non scriptura perdiscerentur.* Redeo ad Solonem, *cuius legibus sic ad unguem & propè curiose omnia perscripta sunt, quod ad educationem quidem attinet puerorum, nihil ut omnino, quod ad eã spectet rationem, omissum sit.* Est enim *ille quæcunq; etiam minima tenuißimè persecutus, qua de gymnasijs, qua de pædagogis, quota diei hora, quosq; ad ludimagistros ueniendum esset, quo etiam uestitu & comitatu incedendum : ac ne illud quidem prætermissum, ut cum procederent in publico, intra pallium manus continere deberent.* His, *ut mea opinio & coniectura fert, nequaquam indiligentius maiores nostros illos ueteres accurauisse, quæ ad disciplinam iuuentutis facerent, existimandum est: nam & illæ in campo quotidianæ exercitationes hoc declarant, & tempus militiæ præscriptum, & gerendi mutandiq; uestitus diuisa tempora, cum à prætexta ad togam puram, inde ad togam uirilem transitus esset: quæq; huiuscemodi multa, non tam ex antiquis legibus, quarum scriptura interijt, quàm ex annalium monumentis &*

tis & rerum gestarum historia se ligere licet: quibus promptum est cognoscere, ex illis disciplinæ bonæ seminibus, atq; illa tanquam noualium agrorum, sic recentium animorum diligente cultura, eas uirtutum et morum optimorum fruges fuisse effusas, quibus prisca ætas redundauit. Nos ista contemnimus scilicet, curamq; penitus liberorum parentum permittimus arbitrio. Ast quotusquisq; est qui sapiat rectè? & aut liberos studeat effici quàm optimos, aut etiam id si uellit, nouerit tamen modum & uiam instituendi? nónne ignaris plerunq; hominum mentibus lumen à legibus præferri oportuit, quo & uolentes docerentur, & cogerentur inuiti? Nunc in hac perturbatione uitæ atq; morum, mihi uenit in mentem canticum illud quod usurpatum olim apud ueteres, cum esset laus iam priscorum temporum unà cum Rep. & libertate Pop. Rom. profligata, nostra ætate instaurari uideo. PAV. *Quódnam id est?* IAC. *Aetas parentum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem uitiosiorem.* PAV. *Iam memini Horatianum.* IAC. *Iam illud maximum uinculum in legibus Solonis, ac continendos patres in officio, atq; uti liberorum curam secundum præscriptum legis gererent. Quandoquidem, si prætermisissent, & uel auaritia uel scelere compulsi uiolassent sententiam legis in educandis atq; instituendis liberis suis, proposita erant pœnæ, & grauis iudicij*

metus, ad quod eos adduci à quolibet uolente, & nomen deferri illiusmodi patris licebat: legitima quoq; illis adempta, quæ naturæ lege quadam atq; humanitatis patri debeat filius: nam neq; colore illū talem cogebatur, nec reuereri, nec sustentare suis opibus egentem aut debilem. Deniq; qui parentis boni officio in filium usus non esset, in eum noluit lex ullum à filio pietatis & grati animi officium sua autoritate extare. Illud unū excepit sanè quàm humanè, ut defuncto eiusmodi patri, iusta tamē filius faceret: cum in eo nō ullū commodum ageretur parentis, sed illa pietas naturæ ipsiq; humanitati debita redderetur. Sed quorsum hæc? ut intelligas Paule magnam huiusce primæ ætatis curam rationemq; ducendā esse sapientißimis fuisse iudicatum: ut quæ uestibulum quodammodo uitæ sit, totamq; annorum consequentium quasi formam quandam & ædificationem præferat. PAV. Sane persuasum mihi habeo optimo hæc ab illis consilio instituta fuisse, quæ & rationem bonam in sese habeant, & egregiam cæteris omnibus utilitatem afferre uideantur. Quò etiam magis cupio explicari mihi ea à te, & sub unum quasi aspectum pueritiam cum adolescentia cōstitui: non enim mihi hoc soli, sed pluribus fortasse erit emolumento. IAC. Bene ominaris Paule, itaq; est faciendū. Et quoniam omnium rerum bonarum principia ab Deo immortali ducenda sunt, ambo eum uene-

rantes obsecremus, ut uolens & propitius adsit nobis, sibiq; grata, & reliquis utilia iubeat à nobis proferri. PAV. Sic agamus. IAC. Est igitur huius nostræ præceptionis ratio in duas diuisa partes. Altera in moribus pars, altera in literis tota consistit. Mores pertinēt eò, ut quodcunq; fiet diceturúe, habeat in sese modestiam quandã, ordinemq; agendi aptũ & conuenientem, in quo splendeat decorum illud, quod non animos modò prudentium, sed imperitorum etiam oculos delectet, moueatq; necessariò in admirationem sui. Literarum uerò & artium earum quas uocamus optimas, ea uis est, eaq; natura, ut quod caput in nobis est, atq; adeò quod uerè & propriè sumus ipsi, id tanquam inchoatum & rude acceptũ à natura, ad summã ipsæ dignitatem perpolcant, exprimantq; in eo formã diuinæ illi similē. PAV. Par est præclarũ mediusfidius mi Pater, siquidē altera ex parte facit, ut similes Deo simus, ex altera, ut uideamur. IAC. Atqui Paule hoc tibi imprimis & maximè animaduertendum est, hoc penitus tenendũ & comprehendendũ, non esse nos quod oculis cernitur hoc corpus, & hanc compactam ex oßibus & neruis molē carnibus contectam, cute uestitam: neque hunc uultum nostri primam imaginem, in quo notare signa interiorũ sensuũ solemus atq; animũ penè ipsum in eo noscere: Sed quo sapimus intus & cogitamus, unde omnis est nobis ratio atq; consiliũ, hoc nos homines

esse, factum ipsum quidem ad imaginem effectoris sui Dei, sed obscurum per se & languens, nisi scientiæ & literarum lumen accendat. Iam quod dicebamus rectã educationem in literas & in mores distributam esse, rursus alia diuisione secandem est, quatenus quidem pertinet ad mores: nam literæ continenti ferè cursu gradus habent suos, quorum ex alio ad alium transitus fiat: mores diuisi nec ratione solùm, uerumetiam tempore. PAV. Quo pacto? IAC. Non est eorum unũ genus, neq; simplex tractatio. Aliud enim in moribus profectò est, quod aliena cura & ratione imprimitur in nobis. Aliud quod à domestica mente atq; consilio nobis ipsi consciscimus. PAV. Quid amborum ut diuisa tempora sint, nónne una ac eadẽ est ratio? IAC. Quorum alterum cum ratione est, alterũ nullam continet rationem, non potest amborũ una atq; eadem ratio esse. PAV. Cupio mihi hoc fieri planius. IAC. Conabor equidẽ, quod melius ut possum, simile tibi proponam, in quo intueri imaginem meæ rationis possis. Dic ergo tu mihi, uidistin' Romæ Apollinem illũ, qui in xysto positus ad hortos Vaticanos, anteriorem illam ambulationem, & omnem gyrũ uiridariorũ exornat, cui proximum est Laocoontis simulachrum, ea qua scimus omnes artis præstantia & nobilitate? PAV. Amplum illud signum dicis & procerum, facie augusta hominis plus paulò quàm adolescentis? quod tanquam sa

gittam

gittam emiserit ex arcu, diducto gestu brachiorum, ui detur expectare, an quo intentum fuit telum cò perue niat: in quo lenes illi conatus motusq́; corporis, atque oris eximia pulchritudo, summam & opificis artem, & operis gloriam demonstrant. IAC. *Illud ipsum.* PAV. *Et uidi sæpenumerò, & contemplatus sum.* IAC. *Quæro ergo ex te, si ipse Iouis Apollo filius illa prorsus facie sit, ab eoq́; in lapidem omnia descripta sint oris, & corporis liniamenta, gressus quoq; & motus, necnon uoces, soniq́; uerborum, ita ut nihil fieri poßit similius, mentis uerò & cogitationis nihil omnino intus sit, dixerisne tu unam eandemq́; rationem Apollinis in Deo & in marmore esse?* PAV. *Agnosco ὁ μώνυμον, & simul uenit in mentem imaginis illius, quã Nube caua tenuem sine uiribus umbram, in faciem Aeneæ finxit, non tam Iuno suis manibus, quàm carmine maximus omnium Poëta.* IAC. *Optimum hoc quidem, & ad id quod dicebamus etiam appositius: cuius ego in memoriam si redijssem, non habuissem necesse certare cum Polycleto, & tanquam addere conari quæ ipsius statuariæ arti deessent ornamenta: cũ multò præstantior ille polycletus simulacrum cuiusmodi quærebamus, omnibus absolutum & perfectũ artis ornamentis, nobis effinxisset, sed simulachrum duntaxat hoc est, quod non mente & uoluntate sua, sed imitatione quadam solùm moueatur: quod ego te arbitror non*

eiusdem modi, neq; unius generis cum uero ipso Aeinea existimaturum esse. PAV. *Minimè uerò existimem: iamq; intueri mihi uideor, quæ sit utriusq; moris distantia: alter enim extrinsecus inductus est, & aliena ratione impressus, suæ expers rationis, tanquam inanimatus mos, ueri moris simulachrum, & quædam quasi penicillo in aliena tabula ducta similitudo. Alter quẽ sua & propria ratio gignit formatq;, consulto istud agens, gnara muneris sui atq; officij, eademq; continet quod in priore illo genere non accidit: ita hoc ueritas est, illud ueritatis adumbratio.* IAC. *Nunc mihi tu sapis, & ueram insistis rationem: non enim in puero, neq; homine pueri simili, qui sit mentis suæ & consilij inops, illa extrinsecus inducta moris imitatio, aut certi ordinis uim, aut uirtutis proprium nomen habet.* PAV. *Assentior.* IAC. *Quin & uocabulis quoq; ac nominibus rem distinctã esse uideo, quod extraneũ illũ morem disciplinã uocamus, propriũ autem & nostrum, uirtutem.* PAV. *Quid ita?* IAC. *Disciplina est, assuescere ad alienæ uirtutis imperiũ: uirtus, ad suæ.* PAV. *Iam intelligo. Sed quid tandem isto more opus, ac non sua potius ratio ad informandum optimis moribus hominẽ in unoquoq; expectatur?* IAC. *Rem facis Paule difficilẽ cognitu, iuuenibus præsertim, quos nondũ dies, & usus, & rerũ multa cognitio edocuit, quanta sit consuetudinis, & quàm propè ineluctabilis*

uctabilis uis, quò etiam non conuenit, neq; potest cade re in ætatem istam exacta illa & subtilis uirtutis notio, quam etiam senecta ætate qui consequuntur, beati iurè appellantur. Sed uobis pueris uel etiam adolescentibus scientiæ & cognitionis loco persuasio quædā tradenda est, ut credatis parcatis maioribus natu, quos tamen existimatione hominum probari intelligitis: nihil enim in laude hominū, bonaq; opinione uersari diu potest, quod abhorreat ab æquo atq; uero. Quantum autem afferat ad uirtutem consuetudo, uel ex eo patet, quòd quæ de uirtute philosophia pertractat, ea nō à consilio, neq; à scientia, sed ex more ipso appellata est moralis: non enim magis corpus tenerum in membris manu fingitur, atq; componitur, quàm animus purus atq; recens in eum discedit morem, in quo instituitur. Quemadmodum enim in stirpibus, sic in hominum animis, quàm diu molles hi sunt atq; tractabiles, quæuis facilè inducitur forma: quæ si postea usu & die callum obduxerit, fit propè immutabilis. Cum autē illud incommodè natura paratum esse uideatur, ut tantò antè in animis nostris cupiditates rationem anteueniant, omni ope curandum est, ut extraneæ interea cogantur obedire rationi, dum sua & domestica aduentet ratio, cuius tanquam legitimæ dominæ imperia libentius deinde exequantur: nam si quoad illa abest, nullius cura cohercitæ, regnum sibi in animo uindicare co-

natæ fuerint, & quæ libuerit omnia ad uoluntatem gerere, ne frustra pòst reclamabit, & aduersus illas nequicquam contendet ratio. Ac ut tibi, quanquam adhuc penè puero (annum enim modò ætatis undeuigesimum attigisti) aliquid tamen aperiam de opere ipso, consilioq; naturæ, quando studium me tuum & ingenij bonitas inuitat, sic habeto: Duas in homine esse animi partes dißimiles natura inter se, & fermè repugnantes: unam rationis, alteram cupiditatis. Harũ partium ratio perspicax ex sese est, & luminis particeps, mentisq; habet oculum cernentem clarißimè atq; acutißimè omnia: cæca & luminis penitus expers est cupiditas. Porrò harum partium utriq; consiliarij sui adsunt bini: in suadendo unus, in dissuadendo alter. Rationi quidem ipsi atq; menti, honestum & turpe: Cupiditati, iucundũ & molestũ. Hic cuncti numero sex, cũ contubernales sint, & in unis commorentur ædibus, si non consentiant & congruant inter se, sed sint turbulenti atq; discordes, quas tu ibi rixas atq; pugnas, quos perturbationum motus, quantos fluctus seditionum inesse putas? Cùm aut tanquam turpe repellit ratio, quod sibi iucundum cupiditas adsciscit: aut cupiditati molestum est, quod ratio iudicat honestum: clamores intus aßidui scilicet, tumultus, prælia. Quæ est igitur uera ratio bene uiuendi? hæc nimirum, ut sese exæquet cupiditas, & cõponat rationi, suumq; iucundũ cũ illius honesto

nesto, & cum turpi molestum coagmentet, & construat: quod assuescendo maximè, et agendo, commodè fit. Nihil enim tam iucundum, quàm illud in quo assueueris, esse potest. Hoc tu in tuis sodalibus ac socijs, necnõ in eis locis in quibus es alitus, studijsq́; quæ pertractas, facilè per te potes Paule existimare, à quibus si quis te auellat, conuertatq́; ad familiaritates alias & ad alia studia, molestè accipias, quòd insolitum & inusitatum morem odiosum ducas: ad consuetum uerò cum uoluptate delabare. Quod tantũ habet cõsuetudo & inconsuetudo uirium, ut altera effectrix iucundi sit, molesti altera. Cùm itaq; se sic habeat res, contendendũ est omni studio parentibus, ut liberos à teneris rectè doceant assuescere. Quanquam enim mos iste aliena cura impressus, non uera uirtus est, sed simulacrũ imitatioq́; uirtutis: tamen quemadmodum de Pygmalionis muliebri statua in fabulis traditũ est, processu temporis euenit, ut Deorum aliquo beneficio, in spiritum & uitã ueræ uirtutis transeat. PAV. *Ni te à primo aliud percontatus essem, libenter paterer te hunc diem totum in his sermonibus ponere: ita cùm perpulchra sunt ista quæ narras, tum mihi quidem uehementer iucunda.* IAC. *Atqui iucundiora multò tibi erunt Paule, cùm re ipsa experteris ita esse, & quæ nunc auribus & cogitatione tua concipis, etiam usu intelligentiaq́; percipies, à quibus tamen ingenium tuum iam propius ab*

est, quàm ætas: finxit enim te natura ad studia uirtutis aptum. Cura etiam accessit patris tui primùm, deinde nostra. Proinde iactis præclarè adolescentiæ tuæ fundamentis, tua reliqua est contentio, ut spei laboriq; nostro, aliorum quoq; expectationi, quæ multa de te excitata est, studio & diligentia & omni uirtute respondeas. PAV. *Incensus amore sum mi Pater, cùm sponte mea, tum tuis imprimit monitis & hortationibus incitatus, ac magis etiam aliquantum, postquam sum à te in Græcæ linguæ cognitionem, & philosophiæ studia inductus, ex quibus quidem dici non potest, quot & quantæ ad animum meum perueniant uoluptates.* IAC. *Macte uirtute, talis enim animos haud est difficile rectè instituere. Tanquam autem si omnes cæteri eodem animo sint, sic nos ad educationem pueritiæ prius, ac deinceps adolescentiæ aggrediamur.* PAV. *Quid si non sint eodem patre, & naturam difficilem, minusq; aptam afferant?* IAC. *Meministi opinor, quod à tuo Poëta de labore est dictum.* PAV. *Qua ille labore improbo uinci omnia affirmat, id fortasse dicis.* IAC. *Dico enimuero: uerùm & illud quoq; in cõmuni prouerbio fertur, Vsum fieri alteram naturam.* PAV. *Fertur quidem, atq; imprimis.* IAC. *Verùtamen sic habeto: si natura minus idonea sit, posse quidem euinci labore atq; industria, ut is quicunq; ille fuerit, sub disciplinam bonam datus, minus incommodus euadat,*

nulla insigni re ad turpitudinem notatus: praeclaram autem illam speciem, decusq; eximiae uirtutis, nemo potest omnino sine initijs naturae, & naturalibus quasi seminibus acquirere. Quae cum ita sint, nobisq; id optandum sit in puero, in quo naturae est potestas, non nostra, ingenium bonum uidelicet, quid obstat, ut non id optemus quod sit cōmodissimum? quod itē de genere, & fortuna, & conditione eius quē instituturi sumus, est dicendum, ut sit honesto genere, bonis parentibus, locuplete familia, legitimo coniugio procreatus: non quòd caeteris, quibus cuncta ista non adsunt, sit interdicta ad uirtutem uia: sed quoniam his certè qui à talibus principijs proficiscuntur, magis expedita sit, & planior. Prudenter enim Graecus Poēta, cum crepido generis non bene statuta sit, fermè progeniem inhonoratā praedicat sequi: & re uera illud altum & fidens & liberū in animo, contrahat sese & minus audeat necesse est, cum est generis sui probris in parētibus ipsis notatum. Nato igitur puero, nam quoad materna aluo continetur infans, etsi quaedam de exercitatione corporum, ac de quotidiani uictus disciplina matribus praecipi non inutilia possunt, tamen quoniam uentrem non omnes aequaliter ferunt, suntq; aliae alijs magis imbecilles, naturae illius temporis sit cura potius, quàm patris. Natum quidem infantem curare protinus debet pater, ut uberibus mater praecipuè suis alat, & propter cognationem

tionem sanguinis, & quòd ea res non mediocre uincu lum adiungit amori: in quo enim plus laboratur, id cũ perfectum fuerit, plus etiam diligitur. Verùm si ali= quo casu nutrix fuerit adhibenda, deligere oportet u= nam, quæ sit moribus casta, ingenio prouidẽs. Vt enim affici animum etiam nostrum, non corpus solum, eis ci bis cernimus, quæ à nobis quotidie sumũtur: sic lac ex eo corpore haustum, quod temperato regitur ani= mo, animi ipsas illas qualitates in infantis naturam non minimum defert. Prouidere autem oportet, ne aut asperior in puero tractando nutrix sit, neúe rursus quàm fuerit æquum, blandior: obrepit enim mos ex il lo usu non quotidiano solùm, sed singularem penè hora rum & punctorum etiam temporis, in naturam pueri ut uel asperitate perterritus demittat animum, atque illiberalem quandam timiditatem contrahat: uel si blandimentis nimijs fuerit corruptus, non queat dein= de diutius in una uoluntate consistere. Sed cum omnes ipso initio uitæ protinus nati ad fletũ & uagitũ simus, quasi præsagiente natura fortunam humanæ conditio nis, quæ miseriarum plena est, non dubium est per ocu los & aures infantiũ, tanquam rudes rerum omni= um, & penitus insuetos, sensiones adlabi ad animum etiam in somnijs, quæ eũ concutiant & terreant: quòd, ut iam diximus, omne inusitatum fermè molestum ac= cidit, atq; inde illis assidui fletus excitentur: cui rei re

medio

medio est aßidua uectatio, & nutricum cantus, atq; ut in uultibus & in affatibus familiarium infans assuescat. Ac uectatio quidem maximè in omnem partem est salubris: nam & confirmat corpus, & animum illis terriculamentis liberat: motu enim externo interiorem illum motum, umbratilemq́; uincente ac dißipante, sensionũ impulsiones illæ hebetantur: ob eamq́; causam & cunæ repertæ sunt, quasi natura ipsa commonstrante quid conueniat agi, & gestatio in ulnis puerorum aßidua. Quare danda opera est, quoad eius fieri potest, ut quæ pueros fœminæ alunt, habitent tanquã semper nauigantes. Cantus uerò eam uim habet, ut nõ modò turbatos sedet animos, sed sæpe etiam furentes sicut in Corybantibus fit manifestum. Iam cum ad id ætatis fuerit uentum, ut puer concipere iam uerba, & auscultare attentius loquentium sermones incipiat, tunc maximè patrem attendere oportet, & circumspicere familiæ disciplinam, ne quod turpe uerbum aut impium erga Deũ ad aures pueri allabatur: ueúe quis gestus obscœnior in oculos incurrat. Ac matris tũ quidem etiam præcipua est curatio, illi enim in sinu, atq; in uultu præcipuè hæret infans, ingrediq́; ab ea & fari discit. Quapropter ductare cum ipsa, ac gestare debet ad templa, ad res diuinas, ad familiarium matronarum colloquia atq; conspectus, ut cognatos affinesq́; diligere iam puer, & eos discernere, atq; distinguere nõ

de fa-

de facie solùm, sed ipsis nominibus queat: nec eum tamē ullam in domū introduxerit, in qua non casta & grauis sit disciplina. Vndiq; enim tanquam à locis circumcirca salubribus salutares auræ, sic ab integris & sanctis ex omni parte moribus, afflatus bonæ disciplinæ in animum pueri influendus est. Procedunt anni, fitq; indies puer & animo & corpore uegetior, ut tanquam idoneo in solo iam seri aliquid poßit: nullumq; semen est aut prius aut præstantius, nec quod uberiores ex sese fruges aut utiliores ad beatam uitā efferat, quàm inijcerere illi in intimos animi sensus & nomen & cogitationem præpotentis Dei, ut eum incipiat & amare, & uereri, à quo sibi omnia dari atq; donari quotidie audiat, quod commune iam est utriusq; parentis officium. Quem enim ipsos uideri adorantes, & cui agentes pro benefactis gratias, eiusq; opem atq; auxilium in rebus dubijs implorantes supplici uultu atque gestu, de eo iam ipse eam opinionem concipiet, tanquā quiddam sit, hominum, quos ipse nouit, & potestate & natura multò maius: præsertim si, ut fit, cùm quid puer appetiuerit quod sibi flagitet dari, aut bullam, aut pretextam, aut quippiam simile, quod ad ingenuitatis & familiaris nobilitatis pertineat cultū, quotiescunq; dabitur, totiens Dei illud esse donum atq; munus puero inculcetur, ut de principio amare condiscat, quē necesse est etiā timere, nō timore illo seruili (is eni neq;

gratui

gratus Deo esse potest, neq; ad innocentiam, ueramq; uirtutem quicquam proficit) sed ipso eo, qui cum amore ita coniunctus est, ut nequeat auelli, de quo diuinius scriptum est in sacris literis: Timorem domini omnis sapientiæ initium esse. Et uerè cuius in animo insederit iste Dei siue amor, seu timor: quando utrumq; in utroq; mixtum & copulatum esse dicimus, de eo nunquam extimescendum est, quòd ad malas uitæ rationes, quisquis ille est, penitus se dedat: quod in puero potißimum conandum est, ut hæc bona radix ad beatam uitam fruticans, in eius animo quàm maturißimè & quàm solidißimè pangatur, dum uacuus locus est, neq; alienis aut etiam contrarijs animi conceptionibus propter nouitatem naturæ, atq; ortus, mens etiam nunc occupata: cùm quæ primo & spatiose deposita sunt semina, firmiter comprehendunt, nec stirpium adhuc multarũ sylua in angustum coguntur. Atq; humana quidem eiusmodi sunt, ut errare & labi quandoq; sit necesse: ueruntamen si ista pietatis erga Deum puræq; religionis tanquã arbos intus adoleuerit, sicut inutiles herbas umbrosis in locis nasci fortasse & uirere contingit aliquandiu, maturescere quidẽ certè, & frugem ferre cõmodè non contingit: Sic omnia uitia quæ capitalia fuerint, hac demum religionis uelut umbra necabuntur. Atq; hoc quod de Deo, & de religione in Deum dictum à nobis hoc loco est, sic primum est in

puero

puero & ante omnia curandum, ut nihilominus intelligatur in omnem id uitam pertinere debere. Omnis enim profectò uirtus, omnis dignitas, omnis uitæ iucundæ ac beatæ spes, in hoc uno studio præcipuè posita est, ut Deum *& amare & uereri non desinamus. Sequitur altera puerilis animi cultio, posterior ea quidem illa quam modò diximus, sed cæteris longè antecedentior, ut pater qui filium suũ alere atq; educere ad laudem excellentis uiri cupiat, talem sese illi ostendat ipse, qualem eum effici uult: non enim ulla hac esse potest præstantior disciplina.* Neq; *hoc eò dico, quò non multa sint quotidie uitæ ornamẽta adaugenda in pueris, quæ in patre fortasse non sunt: ut literarum, uerbi causa, atq; artium illarum quæ optimæ nominantur, studium atq; cognitio, aut iuris ciuilis* Pontificijúe *scientia, belli quoq; & militiæ, si id ita contingat, exercitatio atq; usus.* Fieri *enim potest, ut pater horum omniũ expers parentum suorũ culpa, uel etiam fortunæ, existat ipse, quæ tamen in filio procurãda sunt: commune enim est & à natura inditum in omnium animis parentum desiderium, ut filios relinquant meliores & clariores se, quod euenit amore quodam naturali, neq; magis filij, quàm sui ipsius in unoquoq;, propter insitum & innatum studium perpetuandæ uitæ, quo ad cupiditatem rapimur immortalitatis, pater enim in filio ipse uiuere, & transferre semetipsum in suam imaginem sibi uidetur*

uidetur. Sed ut aliqua in patre sint, ad quæ non amplius iam illa est ætas, fundamentum tamen omniū in ipso est bonus rectusq; mos uidelicet, & constans ac grauis domi disciplina, de qua summatim nobis dicendum est, & hic locus totus continenti oratione breuiter comprehendendus: quandoquidem quæ ad literas & ingenuas disciplinas attinent, ordine paulò antè proposito, in secundum locum dicendi reiecta sunt. PAV. Et rectè quidem, non enim difficile postea fuerit reuerti ad annos & pueritiæ primordia, si sic fuerit opus: & ego nunc quidem hac parentum uirtutis, & quasi quadam in filijs delineatione ualdè delector, siue quòd est egregia & digna animaduersione ista res, siue quòd horum maximam partē ego quoq; in memet à uobis, qui me aluistis ac produxistis, expertus sum. IAC. Si igitur hæc prima parentibus proposita lex erga eos liberos, quos ipsi uolunt ad uirtutis optimam frugem producere, ut quales eos effici student, tales ipsi eis uideantur. Neq; hoc tamen quod præcipitur à nobis, facile factu admodum est: quòd ei qui uelit assequi, noscenda & tenenda est in rebus mediocritas: cuius usus difficilimus, fructus præclarißimus semper fuit. Verùm si quis forte fuerit pater, qui minus ipse regendo filio idoneus, illum tamen cupiat in uirum magnum adolescere, requirat magistrum aptiorem, cuius in disciplinam filium suum committat: satius est enim externis moribus pro

bum, quam domesticis degenerem filiũ educari. Et hoc tamen factitatum sæpe à summis uiris non legimus solùm, sed perspeximus ipsi: nisi fortè Philippi Regis Macedonum consilium reprehendendum est, qui cum Alexandrum filium haberet ea spe atque indole maximæ uirtutis, quam res deinde ab illo gestæ comprobauerunt, tradidit eũ à puero summo Philosophorum Aristoteli instituendum. Sed nos quidem sic nunc ponamus, tanquam parens ipse ad puerum instituendum atq; erudiendum aptus sit, quod & sæpe animi ardore quodam efficitur, ut etiam si antea minus cogitauerit quæ ad eiusmodi uitã moderatam atque grauem pertineant, amore filij incensus in eam curam totum se conferat. Adhibẽda igitur, ut diximus, est mediocritas, sine qua nihil uel specie præclarũ, uel usu iucundum uerè esse potest: cuius etsi integram, plenamq; notionem sola philosophia præbet, attamen qui natura bona præditi atque ingenio bono, laudem sibi adipisci ex uirtute contenderunt, etiam absq; philosophia aliquam aliquando in se imaginem huius omnium uirtutum dominæ mediocritatis haud ignobilem expressere. Hoc ex genere hominũ sit pater, natura modratus, uirtutis ac dignitatis studio præcipuè flagrans, qui se totum in animũ ingeniumq; pueri per oculos & aures illius infundere studeat. Statim enim conijcit oculos puer in patrem familiæ, ut primùm ualere cogitatione incipit, attentiusq;

omnia illius dicta & facta intuetur, ut magnoperè sit prouidendum, ne quem fingere ipsi atq; formare ad omne uirtutis decus cupimus, aliquo ex nobis eum dehonestamento potius inficiamus. Quoniam uerò sensus oculorum sensum audiendi anteit, priorq; adhibet uim sibi à natura traditam, ponenda primum ante oculos filij species in patre est grauis uiri, quæ in amictu, & omni motu corporis animiq; consistit, inq; his rebus omnibus quæ domi geruntur quotidiè, in quibus pater seruare uestitus consuetudinem eam debet, qua populus maximè utitur, ita uti neq; nimis uestimentis lautus, quod leuitatis: neq; rursus plebeius sit, aut sordidus, quod aliquando negligentiæ, sæpius autem ascribitur auaritiæ. Motus uerò animi sui atq; impetus, qui ab iracundia, ab aliqua molestia, ab amore, ab odio, à spe, ab inopinato gaudio, ab alicuius mali & calamitatis metu, à subitis tristium rerum nuncijs, à cæteris cuiusq; modi affectibus, intestinisq; pulsionibus feriunt animos & quatiunt, & de statu eos demouere conantur, ita sustentet & regat, ut appareat intuenti, motus illos animi, quamuis incitatos & celeres, expectare tamen & morari rationis imperium: nec excurrere, audere, nisi cũ, & quoad illa præstituerit: quo spectaculo quid nihil cerni in rerũ natura potest diuinius. Quid enim oculis hominũ tã præclarũ, tamq; magnificũ, atq; in omni pulchritudinis dignitate tã eminens accidere potest, q̃

uirtutem animi intueri moderantis motus, & cupiditates suas, eásq; ad rationis normam aptè dirigentis? qua consuetudine si à primo imbutus puer in parente ipso fuerit, næ ille egregiam sementem in animo conceperit futuræ in se præstantißimæ uirtutis. Sed hanc modestiam & temperationem animi sequitur corporis in omni motu ac gestu quædam quasi tarditas: non ponderis illa neq; lentitudinis: id enim plerunq; ignauiæ, & desidiæ potius est, aut etiam stultitiæ interdum, & stoliditatis: Sed quæ se ad illam interiorem grauitatem accommodet, eisdemq; & astringatur habenis, & laxetur, quibus regitur animus, ut cum eueniat interdum ut acrius aliquid agendū contendendumq; sit, manuū pedumq; celeritas, & uultus uocisq; acrimonia, non interdicta nobis à natura, sed ab ratione intus atq; consilio ad usus necessarios reseruata fuisse uideatur. Hoc ut dixi, quod est ipsius uitæ quasi decorum quoddam, ornans illā totam atq; illustrans, nosse quid quacunq; in re deceat, & quando, & quatenus, maximè quidē cōprehenditur & perficitur ex philosophia, quæ una facit, ut sit ipsum sibi undiq;, & in omnem uitam semper consentiens: sed plurimum etiā ætas, & rerum multarū usus affert, & in humanis euētibus quid plerunq; acciderit, & accidat, diligens animi aduersio, quæ & Philosophiæ ipsi materiā instrumentumq; suppeditat, & sola sine philosophia in homine acuto

natura,

natura, atq; probo, speciem potest effingere uiri sapiẽtis, plenam autem ac perfectam sapientiam nequaquã potest. Debet autem pater familiæ cùm semper animũ suum habere in potestate, tum uerò cum præsente filio aliquid eiusmodi contingit, in quo uideatur debere cõmoueri, aduocare meminerit consilium rationis, neq; solum quod conueniat, agere id atq; exequi, sed cum quadã etiam dignitate, ut quàm maxime fieri potest, in animo pueri illæ præclare species insinuentur & insideant, quæ ubi sedem sibi, locumq; in eo constituerint, usumq; & autoritatẽ domicilij fuerint nactæ, nullo postea modo passuræ sunt dedecorosas alias, deformisq; species prope se accedere, aut diutius cõsidere. Sit itaq; pater ab hoc uitæ instituto pius ac reuerens erga Deũ immortalem, cũ æqualibus comis, maiorum absq; assentatione & uenditatione sui obseruator: in seruos uerò ac domesticos mitis potius, quã asper: uerũ ut retineat grauitatẽ imperij, sibiq; ad nutum omneis præsto esse instituat, utaturq; domi breuiloquio, uoce leni quidem atq; placata, sed uerbis ualentibus: neq; seruorũ congressus & colloquia nimis sæpe appetat, aduentibus tamen, & aliquid expostulantibus, semper sit comis, respondeatq; summatim quod sit æquum & bonum. Vt autem ipsi inter se sint concordes & pacẽ colant, neminiq; fiat iniuria, atq; uti inopia laborantibus, uel etiã morbo oppreßis ipse subueniat cum qua-

dam cura, significationeq; beneuolentiæ, uerbis quoq; & factis aliquantò benignioribus: hoc patri utiq; famiļiâs non in ultimis habendum est, si eos continere in amore sui, & in magno metu suæ amittendæ familiaritatis uelit, quam illi sic tractati, sæpenumero uita sua habent cariorem. Et inest tamen in hoc toto genere *grauitas quædam & autoritas imperij, specimen dignitatis eximiũ demonstrans, quæ ad magnificentiã animorũ exaggerandã pertineat. Ingenerandũ est enim in animo naturaq; pueri excelsum illud & rectũ, quod nec in potentioribus obseruandis grauitate careat, neque in regẽdis humilioribus mansuetudinem deponat, cuius uti pulcherrima, sic difficillima est tractatio: & tamen eius prima lineamenta ducere in animo filij, sui imitatione debet pater, quæ postea in eo ætas illustret, usus confirmet, philosophia perpoliat.* Atq; hæc, nos *sermone percurrimus, non ut instituamus familiæ patrem, maius enim id negotiũ & maioris operæ sit, sed quantum ex eo manare ad filium boni moris quadam specie uirtutis ac dignitatis imitãda potest, id ut quasi penicillo leui ducamus, & describamus in animo recẽte & tenero, quo tanquàm in arbuscularum molli adhuc cortice incisæ literæ, sic hæc uirtutis in puero descriptio, tempore demum aucta & confirmata obcalleat.* PAV. *Optimè istuc quidem, nã nec difficile fuerit, meo quidẽ animo, ubi tales parentes extiterint, filios*

lios probos & prudenteis existere. IAC. *Recte sanè: sed ego illud abs te existimari Paule uolo, cũ uirtutis omnis doctrina, aut in exemplis constituta sit, aut in præceptis: hoc est, ut uel oculis, uel auribus in animo concipiatur, maiorẽ propè habere uim hæc quæ quasi prætereundo, & non dedita opera fieri uidentur, tantumq́; exemplo mouent oculos ad informandas puerorũ ad uirtutem mentes, quã quæ ad istum ipsum finem palã intenta sunt. Mouet enim illa admiratio paternæ uirtutis, quæ in quotidianis moribus elucet, pueriles animos ad uoluntatem imitandi, præclaroq́; spectaculo inuitat, ut fieri cupiant similes: cũ præsertim uideãt eos qui circùm sunt, cũ silentio & ueneratione patris familiæ imperia exequi. Obuersatur enim illis ante oculos & in intimos sensus obrepit, nec uigilantibus solùm, sed sæpe etiam in somno, decorum & pulchrum illud, quod est solum per se, suaq́; sponte spectabile: cuius aspectus & admiratio prompta est, eaq́; omnium omnium communis. Scientia uerò paucis concessa, atque in hoc quidem genere tacita magis, quàm uocalis patris eloquentia ad instituendũ filium proficit, ea uidelicet quæ ipsis factis loquitur: nam uerbis agere, & dare ea uitæ præcepta filio, quæ pater ipse sibi non sumpserit, idem est ac profiteri se itineris ducem esse in eum locũ, à quo ipse longè diuersus abscedat. Quòd si talem ut queat gerere personã, aut à natura non acce-*

dam cura, significationeq; beneuolentiæ, uerbis quoq; & factis aliquantò benignioribus: hoc patri utiq; familiâs non in ultimis habendum est, si eos continere in amore sui, & in magno metu suæ amittendæ familiaritatis uelit, quam illi sic tractati, sæpenumero uita sua habent cariorem. Et inest tamen in hoc toto genere *grauitas quædam & autoritas imperij, specimen dignitatis eximiũ demonstrans, quæ ad magnificentiã animorũ exaggerandã pertineat. Ingenerandũ est enim in animo naturaq; pueri excelsum illud & rectũ, quod nec in potentioribus obseruandis grauitate careat, neque in regẽdis humilioribus mansuetudinem deponat, cuius uti pulcherrima, sic difficillima est tractatio: & tamen eius prima lineamenta ducere in animo filij, sui imitatione debet pater, quæ postea in eo ætas illustret, usus confirmet, philosophia perpoliat.* Atq; hæc, nos *sermone percurrimus, non ut instituamus familiæ patrem, maius enim id negotiũ & maioris operæ sit, sed quantum ex eo manare ad filium boni moris quadam specie uirtutis ac dignitatis imitãda potest, id ut quasi penicillo leui ducamus, & describamus in animo recẽte & tenero, quo tanquàm in arbuscularum molli adhuc cortice incisæ literæ, sic hæc uirtutis in puero descriptio, tempore demum aucta & confirmata obcalleat.* PAV. Optimè *istuc quidem, nã nec difficile fuerit, meo quidẽ animo, ubi tales parentes extiterint, filios*

lios probos & prudenteis existere. IAC. *Recte sane:sed ego illud abs te existimari Paule uolo, cũ uirtutis omnis doctrina, aut in exemplis constituta sit, aut in preceptis: hoc est, ut uel oculis, uel auribus in animo concipiatur, maiorẽ propè habere uim hæc quæ quasi prætereundo, & non dedita opera fieri uidentur, tantumq; exemplo mouent oculos ad informandas puerorũ ad uirtutem mentes, quã quæ ad istum ipsum finem palã intenta sunt. Mouet enim illa admiratio paternæ uirtutis, quæ in quotidianis moribus elucet, pueriles animos ad uoluntatem imitandi, præclaroq; spectaculo inuitat, ut fieri cupiant similes: cũ præsertim uideãt eos qui circùm sunt, cũ silentio & ueneratione patris familiæ imperia exequi. Obuersatur enim illis ante oculos & in intimos sensus obrepit, nec uigilantibus solùm, sed sæpe etiam in somno, decorum & pulchrum illud, quod est solum per se, suaq; sponte spectabile: cuius aspectus & admiratio prompta est, eaq; omnium omnium communis. Scientia uerò paucis concessa, atque in hoc quidem genere tacita magis, quàm uocalis patris eloquentia ad instituendũ filium proficit, ea uidelicet quæ ipsis factis loquitur: nam uerbis agere, & dare ea uitæ præcepta filio, quæ pater ipse sibi non sumpserit, idem est ac profiteri se itineris ducem esse in eum locũ, à quo ipse longè diuersus abscedat. Quòd si talem ut queat gerere personã, aut à natura non acce-*

cepit pater, aut sibi ipse studio & meditatione fingere non potuit: eum, ut iam diximus, hominem requirat, cui rectè in disciplinam filium poßit tradere. Verùm nos, ut cœpimus, in patre insistamus, qui aut esse talis debet, aut ut sit, optandum certè est, qui præeundo filiũ poßit ipse in iter rectũ ad uirtutẽ deducere. De quo nondũ à nobis dictum est, quod est maximum, & ab hominum usu fortaßis atq; opinionibus longè remotißimum. PA. Quodnam quæso istud est? magnum enim esse profectò, quicquid sit, necesse est, quod ad tot res, tam præclaras, quot iam strictim oratione percursæ sunt aliquam acceßionem queat afferre. IAC. Hoc nimirum est, in quo uita cõmunis tanquam in scopulo erroris alliditur, quòd omnes pene homines diuitias putant & magnitudinẽ pecuniæ, ad uitã benè ac laute agendam, maximum simul adiumentum, ornamentumq; existere. Atque hoc fortasse non usquequaq; falsum est, magna enim commoda atq; adiumenta hominibus, non ad uitã solùm, sed ad usum etiam exercitationemq; uirtutis, à pecunia parata atq; à domesticis opibus sunt. Sed hac opinione & sententia longius ductos nescire sibi constituere finem, & modũ ignorare tam quærendi quidẽ, quàm etiã utendi: nullam hac ego statuo pestẽ in humano genere perniciosiorem incidere potuisse: per quã, quod patet scilicet & perspicuũ est, hominũ inter se societas & fides iampridem

ſublata penè, & de uita tota exterminata eſt. Aſt ego contrà contendo, domũ eam quæ diuitijs, pecuniáq; redundet, neceſſariò omnis recti moris, & propter eam cauſam uitæ quoq; pacatæ ac iucundæ expertem eſſe. Neq; id eò dico, quòd paupertatem & inopiam è contrario adſciſcendã putem: facilè enim aſſentior Regi ſapientiſsimo Deum obſecranti, ut nec diuitias ſibi, nec paupertatem, ſed tantùm ad degendã uitã donet neceſſaria: quam item ſententiam, pater ille philoſophorum, noſter Plato comprobat. Sed cum flagitia hominũ & ſcelera maiora quædam ſint, alia minora, ſuſcipiendum eſt maioribus nimiã rerum copiam fontem originemq́; eſſe, minoribus inopiam cauſam afferre. Ego uerò malim eius familiæ, è qua ingenuum puerum adoleſcentemq́; inſtituimus, ſic opes domi & fortunas eſſe conſtitutas, ut dominus quæſtum nullũ faciat, ſitq́; domeſticis uectigalibus contentus, quæ potiſsimum conſiſtant in fructibus prædiorũ: ea porrò ſuppeditent ad uſum cultumq́; quotidianũ, non modò commodè, uerumetiam liberaliter, ſed quibus diſpenſandis frugalitas adhibeatur. Nam luxũ, & opulentiã, & uarietatẽ ſupellectilis, multiplicesq́; domi ornatus, atq; cultus, tanquã uitæ uenena imprimis fugienda eſſe duco: frangit enim, & conterit uim totam uirtutis, animumq́; prorſus diſsipat illa abacorũ, mancipiorum gemmarum, tabularũ pictarum ueſtisq́; ſtragulæ elegántia ac

uarietas, suiq; inani in admiratione detinet: ut uanißimis studijs homines occupati, ad ea quæ sunt uirorum, industriæ neruos & continentiæ nequeant intendere: ac tunc minimè, si in quotidianis epulis, & ijs quæ epulas sequuntur, ludis, iocis, cantibus, festiuis lepidisq; dictis, omnis & uitæ & pecuniæ fructus reponatur. Hoc enim ex genere uitæ & aßiduis domi delitijs, uini cibiq; affluentia, ac quotidianis quodam modo lustris, cum dies, & horæ, & tempora in aliqua semper uoluptate consumantur, non modò feroces & infesti, & arrogantes animi adolescentium fiunt, sed immoderati etiam, & effrenati, & crudeles, atq; in omni genere deprauati: ut in naturā mentemq; tyrannicā euadant, nihilq; iudicent rectū, nisi ipsis quod libuerit: cæteros autē homines pecudū ac iumentorū instar sibi seruire statuant oportere: ut confitendū planè sit, qua in domo, atq; adeò qua in ciuitate huiuscemodi uigeant mores, sementē in ea omniū malorū & calamitatum esse factam: nec fieri posse, ut status illius reipub. aut diu quietus, aut in uniuersum diuturnus sit. Atqui hanc uulgus liberalē uitam appellat, falso istud quidē, uti alia multa: quippe cū ex hac potißimū consuetudine uiuendi, his profusis & luxuriosis sumptibus auaritiam existere necesse sit, illā uiolentam & rapacē dico, per quā nationes urbesq; euertuntur. Sed quoniam de his rebus subtilius disserēdi non est in præsentia locus, sic

patrifa-

patrifamiliâs præscribamus (sit modò is qui liberos cu piat in uiros fortes industriosq; euadere) frugalitatem domi, & tēperantiā, ac in omni cultu uictuq; parsimo niā illi retinendam esse: quæ tamen absit à sorde, nec minuti angustiq; animi indiciū præ se ferat. Quod fiet si quotidiano & penè stato apparatu, mensis mundis potius quàm locupletibus, non obsonium parcè præbi-tū, sed conquisitio & uarietas fuerit repudiata: uide-tur enim in hac moderatione uitæ ratio inesse splendi da & liberalis, uitium in utranq; patrē deuitans, di-gna sapiente patrefamiliâs, cuius quod ad liberos edu-candos pertinet, in hac parte quidē peculiaris curatio est: nā matres ferè & fœminæ omnes indulgentiores sunt, itaq; inferciendo & suggerendo quodcunq; expe titum fuerit, corrumpunt mores puerorū, neq; aduer-sus eorum uoluntatem uel ipsæ quicquam moliuntur aut dicunt, uel alios patiuntur loqui: quo uno maximè regnum in anima cupiditatū, & Tyrannus ipse alitur. An non attendisti his diebus Paule cum Persarum res gestas legeres (me enim autore & Cyrum Xenophon-tis, & Herodoti historias Græcè amplexus es) quantū ex diuerso cultu institutioneq; puerili, diuersæ Regum illorū naturæ, & contrarij inter se mores extiterint? Cyrus ex patre nobili ille quidem & imprimis claro apud Persas, sed tamen in illis moribus educto, quibus panis & aqua cibus, obsonium autē nasturtiū herba, aut

aut si carnibus uellent uesci, illæ erant labore & sudore, nec sine uitæ interdum periculo in syluis & à feris expetendæ, magnus extitit Rex, natus ad res gerendas, laudem & gloriã in imperio amplificando unam præcipuè spectans: cuius erga populares comitas atque æqualitas, in bello uictas nationes clementia atque iustitia effecit, ut non magis eum carũ haberent ciues sui qui semper amauerant, quàm deuicti hostes, qui antea illi grauiter offensi fuerant: nomen quidem illustre est, & sempiternam laudem uirtutis ad posteritatem consecutus. Hic Cambysen filium, quem hæredem nominis atque imperij relicturus erat, alijs ipse uidelicet negotijs occupatus, alendum mulieribus permisit: nõ enim uirtutis uim neq; rationem è philosophia, quæ una facit, ut illa sit sibi in omnem partẽ consentiens, sed à natura tantũ acceperat. Ergo dignum inuenit in progenie sua muliebris disciplinæ fructum. Omnibus enim in delitijs, & mulierũ blandimentis educatus Cambyses, & assuefactus à puero nihil offendere quod esset suis cupiditatibus obuium, postea Rex appellatus, ad eam intemperiẽ animi amentiamq; progressus est, nihil ut eum neque saturare, quod usitatum esset: neque quod legitimum, delectare posset: ita ad cædes multorum, & in his fratris sui germani, furore quodam amentiaq; inductus, cum etiam Deorum immortalium numini illuderet, ad extremũ sibi manibus allatis, & semet-

ſemetipſum unà, & totam Cyri domũ peſſundedit. De latum eſt poſtea ad Dariũ Perſarum regnũ ſpectatæ no bilitatis inter Perſas, ſed cuius tamen domi cultus at= que fortuna longè à regalibus delicijs abfuiſſet. Is por rò ad imperandum non eãdem fortaſſe animi magnitu dinem quã Cyrus, parem quidem iuſtitiam atque hu= manitatem attulit: quare eius quoque opera regnum Perſarum maius effectum eſt: è quo genitus Xerxes, ab eadem atque Cambyſes educatione muliebri, pater náq; negligentia, Perſas honore & laude cumulatos, graui ipſe dedecore et calamitatibus plurimis affecit. Atque hæc iccirco memorata ſunt à me tibi Paule, ut appareat quod pluribus uerbis fuit neceſſe dici, nullũ eſſe obicem ad uirtutem adipiſcendam maiorem, quã delicias domi, & conquiſitiores, quam moderata ra= tio poſtulet, rerum apparatus: quorum ſtudio ſi captus fuerit parens, nil eſt quod contendat fortem & ſtre= nuum, & idoneum magnis rebus poſt ſe filium relin= quere. Quid ergo eſt? placet mihi ſeueram & caſtam domi eſſe diſciplinam, neq; eam tetricam tamen, ſed conditam liberali quadam comitate, ut domeſtici nul= lius rei indigeant, amici autem & hoſpites intro liben ter commeent: ad quorum aduentus inuitationesq́;, pa terfamiliâs ſplendorem conuiuij, & hilaritatem uul= tus, ac ſermonis maiorem aliquantò illa quotidiana ad hibeat: Lautius quoq; accipiat, & elegantius, nec ta= men

men profusis sumptibus, hos enim semper abesse à bene constituta domo uolumus. Quin in ipsis epulis & uino tacita poterit inesse exploratio & obseruantia quædam, quo se nam pacto filius gerat, num patriæ disciplinæ ac moderati usus memor, pudorem in conuiuio modestiamq́; retineat, nouer itq́; sibi ipse in poculis temperare: hoc enim documentum capi in pueris atq; adolescentibus imprimis conducere censet Plato, ad speculandum quæ sit natura cuiusq;: neq; id nos repudiamus. Etenim consilium est periculo uacuum, præditum utilitate, in quo si satisfecerit adolescens, lætitiamq́; conuiuij hilaritate potius & sermone liberali, quã palato & gutture metiendam sibi duxerit, næ de eo non nequicquam sperare licitum fuerit, talẽ eum fore, qualem quisq; debet unus suum optare filium ut sit pater. Sed ut nostræ in hoc genere præceptionis summam faciamus, debet is paterfamiliâs, qui in ingenua disciplina, ac liberali, eademq́; casta & moderata, alere liberos suos uult, sic habere constitutam domi quotidianæ impensæ rationem, ut & parsimoniam sciat tenere sine sorde, & splendorem ac liberalitatem adhibeat, cùm uenit usus, sine profusione & luxuria: ab omni quidem parua & concisa cogitatione rei cuiusq; uel minimæ curandæ prorsus refugiat, qua omnis planè eijcitur ex animo ingenuitas, & uirtutis indoles obsolescit. Hoc enim ex genere morosi, & difficiles, & molesti

molesti homines efficiuntur, nec cæteris solum, sed sibi ipsi infesti, omnia quasi semper desperantes, iidem lucifugi, pusilli, ubi in cœtus se dedêre, ridiculi, siti propè in angulis, nihil latum & liberum in animo comprehendentes, oppleti mentem sordibus, & minutissimis occupationibus: quo quid uirtuti, grauitati, dignitati, altitudini animi fieri potest inimicius? Sed ut ab hoc aliquando genere abeamus, habes Paule in patre formam eius exempli, effigiemq́; dignitatis, cuius ego aspectum & contemplationem propositam uelim filio ei, qui ad magnas spes alatur, ad imitandum atq; assequēdum: quæ quidem in oculorum sensu posita sit, quorum interdum muta speculatio non minus proficit ad uirtutem, quàm aurium auditus uocalis, de quo ipso posthac dicendum nobis est: hic enim sensus disciplinæ est & doctrinæ & omnis sapientiæ peculiaris ac proprius, ut qui animū solus cernat, quē nequeūt oculi intueri. Itaq; Socrates ille Græciæ sapientissimus, oraculo quoq; Delphico sic iudicatus, cum adolescentem quendam facie honesta ac liberali diutius contemplaretur, illeq; adstaret tacitus, dixisse fertur: Tandem ut te uideam, aliquid loquere: uidelicet ille hominem esse ipsum animum, animi autem cognitionem & perspicientiam non oculis, sed auribus attribuebat: neque id iniuria: hauriunt enim aures uocem, quam format & distinguit oratio, quæ cum sit simulacrum cogi-

tationis

tationis atq; mentis, uehiculum sensuum intestinorum, ex animo ad alium animum uiam sibi faciens, perfert meditationes & commenta illius mentis, unde ipsa pro fecta est, per aurium meatus ad alteram mentem, legationeq́; opportunißima & maximè utili fungitur, ut quæ in arcanis mentium penetralibus occulta alioquin laterent & abdita, hæc auditus uocisq́; ministerio cum tota humanorum animorum nobilißima atq; acutißima gente communicentur. PAV. *Etsi quæ de uisione oculorum dicta à te sunt, quatenus per eos species quædam magnifica atq; grauis transmittitur animo, cuius ille exemplo & imitatione sit ornatior, summopere me delectauerunt: tamen expecto non minorem ex aurium sensu uoluptatem: quippe cū earum ope, illa ipsa quoq; quæ de oculis dicta sunt, ad animū meū grata iucundaq́; peruenerint. Namq́; & tu ad hunc ipsum sensum ornandum ac commēdandum ijs uerbis usus es, ut non mediocris mihi sit in te audiendo facta expectatio.* IAC. *Agemus hoc loco Paule, id quod tu paulò ante dixisti facto opus fore, si accideret usus, ut reuocemus orationem ad priores annos, quos noster sermo erat pretergressus, perueneratq́; ad quandam metam, hoc est, ad terminū eius ætatis, quā nos tribus septennijs & quarti dimidio admodum intendimus definire: illo enim institutionis genere quod exemplis & moribus maiorum intuendis uitam uirtu*

tis imi-

tis imitatione exornat, tota modò à nobis adolescentia comprehensa est. Cùm uerò ad ea referri orationem oporteat, quæ in præceptis & monitis, assiduisq; parentum uocibus erga filios posita sunt, quo illis non solum proponatur, sed exponatur etiã ipsa uirtus: Principium fuerit nobis ad hoc quintus ætatis annus: nam & is dimidium ferè staturæ conficit, quod ad mensuram corporis pertinet, quantum alterum, tantum uidelicet auctionis & incrementi uiginti cæteri anni addunt consequentes: & eo uertente anno, primùm puer, qui in potestate mulierum totus antea fuit, ad curam patris bona ex parte traducitur. Iam enim & proloqui expeditè quæ ipse intus concepit omnia, & planè telligere alios loquenteis potest. Ergo ab eodem initio & fundamento, quo prius omnem nostræ ædificationis substructionem de integro coagmentantes, ab religione inquã, & ab Dei immortalis amore atq; cultu, principia iterum nostræ ducamus orationis. Non enim si solem quotidie oriri & reuerti iucundè cernimus, propter excellentiam claritatemq; maximi syderis, cuius splendore & lumine exhilarescunt omnia, minus debet ad animum uoluptatis accidere, cùm de Deo sæpius eadem repetimus, atq; adeo multò plus, quando omnis pulchritudo, & fulgor, & uarietas cœlestium astrorum, ab eius ipsius summi Dei infinita pulchritudine, tanquam exiguis riuis deducta est. Primum igitur &

tur & ante omnia curare debet pater, ut animum pueri illo timore Dei imbuat, de quo antè dictum est, qui timor solus ad inuictam fortitudinem animi aduersus humanos omnes casus firmandam & constituendam maximè facit: quod erit, si uim illius, & ubiq; præsentiam, immensamq; maiestatem, nõ tam rationibus quidem, quas nondum capere potest filij ætas, quàm exemplis, & narrationibus rerum earum, quæ diuinitus miræ acciderũt, exposuerit filio: in beneficijs quoq; eiusdem Dei commemorandis, quibus & priuatim ipse ab illo, & omne genus humanum communiter affectum est, & aßiduus fuerit & diligens: in quo mysteria nostræ religionis continentur, quæ sunt tradenda & insinuanda penitus, neq; hac informatione filij ad pietatẽ et religionem quicquã habendum est antiquius. Quod præclarè fiet, si quæ sanctè & piè filio de rebus diuinis monstrauerit pater, ea non uerbis ipse tantum, sed factis & operibus usurpabit. Secundum Deum autem Diuosq; omnes, quot aut bonitas Dei statim ab initio, aut post præclara ipsorum in terris merita, & honestißimè acti dies in cœlum sustulerunt, quorum utiq; debet præcipuus uigere honos, & immortalis apud mortales gloria, parentes suos cuiq; maximè docebit esse honorandos, & reuera cũ ferè omnia parentibus debeantur. Ortus enim noster & uita, lux quoq; ista diurna, quã ore, oculis, naribus, totius deniq; corporis

contactu uolutatuq; libenter & iucunde percipimus, ipsis accepta referenda est: tum autem labores ab eis causa nostra suscepti, pleni curarum & sollicitudinis, quos illi ut alant nos, & producant, sistantq; honestè in cœtu ciuium atq; æqualium nostrorum, non modò non refugiunt, sed appetunt ultrò, & consectantur: digni profectò sunt, ut illis omnis à liberis gratia debeatur, quæ pietate potißimum, & cultu eximiæ cuiusdā uenerationis reddenda est: quam sequitur procuratio illorum uitæ ac salutis, & ut eorum neceßitates atq; incommoda, labore ac diligentia nostra depellamus: suppeditemus egestati, infirmitatē sustineamus, omnes domi forisq; molestias, quæ undecumq; inferantur, ab illis propulsemus. Etiam si bene Hesiodus, qui iubet pari mensura reddere beneficiū, quod ab alieno acceperis, aut cumulatiore etiam, si queas: quantū tandē erit parentibus impendendum, quorum beneficijs par nulla est gratia quæ poßit reperiri? Nec uerò etiam quamuis infirmi, decrepiti, depositi, unquam inutiles filijs parentes sunt. Sed ut Diuorum imagines, & simulacra colimus, ob memoriam beniuolentiamq; eorum, quorum uultibus aßimulandis illa effecta sunt, et quòd arbitramur ipsos illos Diuos propterea ad benignè nobis faciendum propensiores fore: sic nullum Dei immortalis simulacrum apud nos, quàm in patre & matre, potest esse præstantius. Atq; his ita crudiendus

est tener animus filij in honore cultuq; parentum, ut pater matrem filio, mater patrem, utrunq; autem domestici ac familiares colendum ac uenerandũ puero proponant. Neq; in solis tamen parentibus hic à liberis honos insistere, sed ad auos, reliquosq; maiores, si fortè superstites adhuc sint, progredi etiam debet: cùm in illis omnium quæ à parentibus accepimus causa uideatur etiã esse antiquior. Porrò ab hac in patres auosq; reuerentia, hocq; honore pio ac debito, reliquus quoq; iste honor & communis cultus, qui senibus, & grauibus, & ætate affectis hominibus impenditur, tanquam ex alueo pleno pudoris & probitatis exuberat: iustus ille quidem, neq; illi ætati non congruens, quæ sibi patrium nõ immeritò nomen uindicat. Nam & de principio pueri quos nondum subtiliter & exquisitè ex oris uultusq; lineamentis possunt discernere, illo aspectu seniliadmoniti, cunctos uocant patres: & deinde postea cum æqualibus consuetudo propè fraterna, coniunctioq; amoris, præbet in patribus eius nominis communionem. Iam illa ætate quicunq; est, si non generatione, at consilijs potest puero atq; adolescenti fieri pater. Quam ob rem rectißimè Romulus, siue ille Numa extitit, quorũ alter urbis, alter iuris & religionis Romanæ fuit parens, hac senectutis cum nomine paterno cognatione adductus, summum concilium ciuitatis, Senatum, ipsos autem Senatores Patres nominauit: statuitq;

tuitq; senioribus decedi de uia, caput nudari, & assurgi aduenientibus ab iunioribus debere. Quod maximè ac diligentißimè Lacedæmone obseruatum fuisse literis traditum est: mirum enim quanto in honore habita fuerit semper in illa ciuitate prouectior ætas. Ex quo extat illud, ab homine Spartano salse ac doctè Atheniensibus exprobratum. Ludis enim Athenis cùm Lacedæmoniorum legati in gradibus orchestræ honorifico sanè loco assedissent, postq; aliquantum pleno iam theatro ingressus senex, innixus baculo, homo sanè haud magni precij, circumiret quærens locum, neque eum sessum reciperet quisquam: ut uenit ad Lacedæmoniorum legatos, illi confestim ob ætatis reuerentiam honorificè assurgentes, superiore illi subsellio concessere: propter quod eis cum esset maximo plausu ab uniuerso theatro gratulatio facta, unus eorum non illepidè, Ergo propè, inquit, norunt Athenienses quid facere rectum sit, sed id facere ipsi negligunt. Formãdus itaq; parentum præceptis & diligentia est puer, ut honorem senibus & maioribus natu habere condiscat, habeatq; eos penè in parentum loco: proficit enim ista obseruatio cultusq; maiorum ad omnem uitæ modestiam adolescentibus plurimùm, quod & pudorem in animis eorum ingenerat, & multos illis actorũ dictorumq; suorum constituit testes, ut nullã in partem ipsi audeãt extra honestum & rectũ se cõmouere. Dũ enim quos

uerentur & colunt, eorũ magisterium (ut ita loquar) & malam de se reformidant opinionem, difficilem habent magis rationẽ peccandi, deprehensiq; erubescunt: unde à uerendo dicta est uerecundia, quæ est actus ipse pudendi atq; erubescendi, in uultu peccatum pingens, & liberalem ferens criminis commißi multam, uadẽ boni ingenij tamen, & expectatæ in puero uirtutis: ut sanè appositè uidetur dictũ: Erubuit, salua res est. Nã pudor ipse habitus est cauendi & prouidendi, ne quid tale cõtingat ut sit erubescendum, omni quidem ætati congruens, sed ornamentum præcipuum adolescentiæ: quem si amatorem flagitiorum, & propugnaculũ continentiæ uirtutisq; dixerimus, haud sanè falso eum appellauerimus nomine. De qua suaserim equidẽ parẽtibus, quibus nostra nõ leuis futura est autoritas, ut hanc pudoris stirpem in ingenuis animis satam à natura, omni ipsi ope fouere ac propagare in liberis nõ postmittant, fructus ex ea uberes suorum laborũ percepturi. Quamuis enim non sit pudor idem planè quod uirtus, firmamentum est tamen præcipuum uirtutis: malæ enim de se opinionis atq; infamiæ est timor, in quo seuera est & diligens uirtutis custodia. Itaq; qui pudorem diuinum timorem esse dixerunt, huius uim affectionis melius denotasse sunt uisi. Solus enim pertimescit ne id amittatur à nobis, quod unum obtinemus honore ac dignitate propemodum diuinum,

decus

decus atq; honestatem uidelicet. Ac cæteros mortis & periculorum pauores, metus, formidines, qui animos abijciunt ac propè exterminant, cum plerunq; uanos atq; inutiles, tum semper turpes esse meritò existimamus, quorum etiam species ipsa indecora & illiberalis sit: nam & lurido pallore os, & tremoribus membra coucutiunt atq; deformant, quod accidit animo re fugiente ad arcem uitæ quæ in corde est, & omnia illuc subsidia undiq; auocante: ut quasi deseruisse exteriorem mœnium ambitum, & cessisse hosti loco uideatur. Pudor uerò occurrit foras, extra enim est periculum, ab opinione scilicet, atq; oculis & ruborē in uultu, tanquā personam ad peccatum opponens, se celatum cupit, in quo ipse sese indicat, nec tamen magis deliquisse sese, quàm uri in animo, quòd deliquerit, ostendit: idq; ita uenustè facit, ut cùm uideatur fateri peccatū suum, in eo ipso deceat in quo fatetur. Sed quoniam de his satis multa, redeamus ad id quod dicebamus, illud idemq; de integro sæpiusq; dicamus, huius affectionis uim atq; naturam, quæ timorem alit in animis ignominiæ, atq; propagat ab eis patribus, quibus recta liberorum educatio est cordi, studiose in filijs inserendam, colendā, adaugendamq; esse, ut quæ quoad uera ratio & philosophia ipsa aduentet, bonam in eis mentē opinionemq; custodiat: in quo aliqua non leuis à parentibus diligentia & cura est adhibenda, PAV.

Quæ mi pater? incredibile est enim quantopere audi-re cupiam. Nam etsi acceperam à uobis, qui me aluistis atq; instituistis, honorandos esse parentes, & maiores natu colendos, idq; ego pro mea parte ut agerem essemq; uobis dicto audiens, studiose enitebar: nunc tamen cognita utilitate uestri consilij, & quantus inde pudoris existat fructus intelligens, quod antea non animaduertebam, ero posthac in parendo, & perseuerando etiam constantior: quod quidem mihi præcipuè præter cæteros conuenit, quando cæteri à singulis, ego ex binis parẽtibus ad uenerandos colendosq; maiores productus sum. IAC. *Lætor Paule non inaneis fuisse operas nostras, quibus te ad philosophiæ studia applicare cœpimus: iam enim mente concipere te intelligo, quantũ ad rectam morẽ uera ratio & scientia ipsa firmamenti afferat. Sed quod de pudore in liberis alendo & conseruando dicebam, id eiusmodi est, ut patres quos iste amor filiorũ ad decus & ad dignitatem instituendorum, dignus patria charitate indulgentiaq; cepit, suscipiant negocium cum lenitate & mansuetudine, nec ullam asperam, ac perterricrepã (ut uetus Poëta inquit) erudiendi atq; instituendi ineant uiã: uerùm facilitate clementiaq; nitantur. Verùm ut in omnibus seruetur semper grauitas: non enim usq; eò demittere se debet pater, ut familiarem se, & ueluti sodalem cõstituat filio: ex quo oritur in puero patris contemptio,*

& fidu-

& fiducia quædam suipsius, ut tanquam nulla astri-ctus lege, quodcunq; libuerit, præfractius id cõcupiscat: neq; rursus ita austerus esse & pertinax, ut non multum comitatis atq; humanitatis filio impertiat: uiuamq; imaginem sui, qua nihil est parentibus in omni uita dulcius, non ardore quodam beneuolentiæ foueat charius atq; amplectatur. Sed ut moderandum est amori, ne nimia indulgentia corruptus puer, exuat metum & reuerentiam sui patris: sic à præcipiti & prærupta asperitate uehementius etiam abstinendum est, quæ amorem elidit ex animo filij, cumq; in id uoluntatis & studij adducit, ut quæcunq; patri placere in se cognouerit, habeat ipse odio: & uel ad illiberalem animi timiditatem se abijciat, uel si fuerit natura contumacior, nitatur in aduersum, & detrectando imperium patris, quotidieq; deterius aliquid faciendo, quasi paternas iniurias sibi uideatur ulcisci. Hæc intuens qua fuit sapientia & quo usu rerum maior ille Cato, imprimis ferre & habere in ore solebat: Non minus pollui, & detestandos esse patresfamiliâs, qui coniugibus & liberis, quàm eos qui delubris Deorum immortalium manus attulissent. Et uerè si cogitare uolumus, cùm nemini expediat metu contineri in officio, minimè conuenit liberis, quorum præsertim animos ad decus & ad honestatem cupimus informare: infirmus enim & debilis uirtutis custos metus, quem qui adhibere in filijs uo-

lunt, audiant Terentium è communi uita huiuſcemodi patres commodè admodum obiurgantem. Et erat *longè meà quidem ſententia, qui imperium in liberos grauius & ſtabilius eſſe putat, ui quod fit, quàm quod amore adiungitur.* Sit *igitur hoc patri imprimis propoſitum, ut ſe amari & magnificari uelit à filio: quod aſſequetur, ſi neq; moroſus, neq; aſper, neq; ſingula curioſius inſectans, nullamq; in partem immitis fuerit, & truculentus, præbueritq; ſe facilem & indulgentem filio, grauitate tamen ubiq; retenta.* Id *autem erit ſi ita facta dictis temperauerit, inter ſeq; miſcuerit, ut in his quæ erunt ſtudij alicuius & uoluptatis (quæ quidem ſit conceſſa atq; ingenua) nihil aut parum uerborum interponens, largiter cuncta ſuppeditauerit filio, ſiue equis ille oblectetur, ſeu canes ad uenandum appetat, ueſtitu etiam indulſerit liberali & ſplendido, neq; nimio tamen, ac deinceps hiſce omnibus, ut uocare æquales ſuos, hoſpitesq; accipere domi, munera etiam interdum aliquem ex ſodalibus ſuis poßit. Hæc enim pater ſi nihil prius garriens cum filio, neq; ineptis collocutionibus iocum & hilaritatem quærens grauiter atq; magnificè, ac tanquam conſilio certo utenda, agenda, regendaq; conceſſerit: mirum quantus in animo illius inſidebit, & ad amorem, & ad reuerentiam, nihil ut audeat, ne cogitare quidẽ filius, in quo diſpliceat patri.* Rurſus *ſi in his quæ erunt uirtutis atq; officij, quæ*

ad

ad modestiam, quæ ad continentiam, quæ ad comitatem cum æqualibus pertinebunt, humanitatē cum inferioribus, erga superiores cultum atq; honorem, pater orationi præceptisq; non pepercerit, fueritq; in monendo & docendo assiduus: Porrò autem in rebus ipsis atque factis, in quibus recta disciplina cernitur, nihil gratiæ causa permiserit filio, neq; siuerit ut suo ille arbitrio, ac non ex præscripto patris, præceptisq; uirtutis quicquā gerat, agatq;: nimirum hoc modo maximè, illa pudoris fertilis uirtutum & frugifera radix idoneos nacta cultus, ad summā dignitatem in puerorum animis adolescet: neque illis solum ignominiæ, sed amorem etiā iniiciet & cupiditatē incredibilē adipiscendæ laudis: altitudine quoque animi & celsis rectisq; uoluntatibus illos adornabit, ut abhorreant omnē sordem indignitatēq;. Optimus enim artifex pater atq; is qui refert ad dignitatē omnia, cum se & propter indulgentiā suā amari à filio, & propter grauitatem metui obtinuerit facilè illius ducet animū in quamcunque uolet partē, nec ullū semē in eo uirtutis frustra iaceat. Itaq; se ille primùm cupiet à patre & laudari & probari, laudato ipso (ut Hector ille Næuianus inquit) uiro: deinde ad æqualium familiaritas & consortia ita se dabit, ut cùm splendore uitæ, & morum nobilitate illis antecellat, humanitate tamen uelit esse par. Sic uita erit nostra inquit Terent. facile omnes perferre ac pati

cum

cum quibus erit, cumq; unà his sese dedere, eorum obsequi studijs, aduersus nemini, nunquam præponens se illis, ita ut facillimè sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. At noster iste aliquantū plus: præter laudem enim atq; amicitiam nouam, etiā admirationem summæ uirtutis obtinebit. Sed quoniam multa cadunt in hanc ætatem, quæ sunt interdum uitio propiora, quā uirtuti: quod quidem necessarium uidetur ita esse, propter efferuescentiam cupiditatum, tum maximè quòd nondum adulta in pueris & adolescentibus est ratio, quæ postaquam bene confirmata est, uix etiam uidetur posse senes, & ætate prouectos homines, ab omni errato & culpa cohercere: diligenter uidendum est patri, ut ad regendam & gubernandam lubricam ætatem filij multum æquitatis & patientiæ afferat, acuteq; dispiciat, si quid sit commissum uirtuti alienum, atque officio: num id ex eo genere crimen sit, quod ad bonum morem corrumpendum ualeat, an quod ab ætatis & adolescentiæ quasi fermento quodam fuerit profectum. Horum nos criminum genera in præsentia non distinguimus, alienus enim de his differēdi est locus. Sed tamen sunt nonnulla in quibus pater dißimulare & pati, & aliquid permittere adolescentiæ poterit, dum teneant illa aliquem modum, neq; habebit necesse omnia pro suo iure exequi. In quibusdam autem acrior & uigilantior sit necesse est, nec patefieri aditum sinat ad

ea

ea insinuanda uitia, quæ cum ætate postea accrescunt simul, indolemq; statim ab initio, si inualuerint, uirtutis, mox & rem, & omnem bonam famam eijciunt: cuiusmodi aleæ, ganeæ, atq; impotentes illi amores sunt, quos tyrannos animi præclarè describit Plato. Ac in superiore quidem illo genere, quod mitius est minusq; periculosum, si euenerit ut non poßit, aut ne debeat pater dißimulare, adhibeat filium, leniterq; eũ obiurget suam de illo curã, solicitudinemq;, & suũ illi ipsi errorẽ detegens, oret, obtestetur, ut ne patris et propinquorũ spẽ, suamq; ipse laudẽ speratæ atq; exoptatæ dignitatis contẽdat ire perditum. Nec multa erunt opus, si ritè ego coniecto, & superiora prudentis disciplinæ præcepta constabunt, grauior erit patre improbator sui facti ipsemet filius, minusq; sibi ignoscet, magnoq; cum dolore feret preces & monita charißimi parentis. Sin autem (sed nollem tristius aliquid ominari, cum in hac familia, & in his moribus nihil uideatur accidere posse secus, quàm uelimus. Sed tamen si quid deterius fuerit factum, uehementer quidem agendum erit à patre, & uerbis grauioribus: non tam usq; eò, ut ad trocem illam iracundiam se rumpat, quæ cũ uocẽ uultumq; perturbet, gestusq; omnes impediat loquentes, nunquam non de grauitate detrahit, & spectato uiro semper indecora est. Sed imitabitur senem illum Terẽtianum, sat seuerè, ut uidetur, obiurgantem filium:

Hem,

Hē, tibi'ne hæc diutius licere speras facere me uiuo patre, Amicam ut habeas propè iam uxoris loco? Erras, si id credis, & me ignoras Clinia. Ego te meum esse dici tantisper uolo, Dum quod te dignū est facies. Sed si id non facis, Ego, quod me in te sit facere dignum, inuenero. Videntur ista permotura quamuis corruptum filium: hoc magis, si fuerint ab ea disciplina, & ex eiusmodi patris, qualem suprà formauimus, ore prolata: cuius nullo exemplo in paternæ culpæ similitudinē filius deductus sit. Erit item remedio, si grauitas rei postulabit, ad quod tamē extremū decurri placet, si pater à filio uidebitur factus alienatior, nec eum amplius ut consueuerat adhibebit, paulatimq́; pristinam suam in illum indulgentiam, & antea solitam restringet liberalitatē: uel enim proderunt ista, uel aliud erit agendum. Verùm quod nos prohibemus in filio, ne eum pater uerberibus cædat, nec ingenuā naturam ad seruilē detrahat conditionem id in seruo & operario homine facilè permittimus, cuius ea sit natura, quēadmodū de Phryge uetus prouerb. est, ut plagis fiat melior. Quod etiam erit studiosius faciēdum, si quod peccatum in filio ægrè ferat pater, id contingat in seruo delicto simili ut sit puniendum: ut omnibus modis intelligat filius, mentem ab sese patris, quamdiu ipse illiusmodi fuerit, & à similibus factis uehementer abhorrere. Verùm hæc nos uaticinamur, & nequicquā tanquam accidere pos-

re poßint pertimeſcimus, à quibus omnis natura abhorret: non enim nec ſuſpicãdum quidem eſt, quos talis aluerit inſtitueritq; diſciplina, & ad rectũ iter uirtutis induxerit, ut eorum poßit natura & uoluntas ad praua ſtudia conuerti. Reliquum illud tantùm uidebit pater, & in eo quidem intendet animum curioſius, ut perſpiciat & animaduertat cuiuſmodi ſint qui de familia aut ex iuuẽtute, multa familiaritate atq; uſu adhærebunt filio: uigilandum eſt ſemper, multæ ſunt inſidiæ bonis noſtris inquit Ennius, & profectò uix datur ſpatium diligenti patri ullius capiendæ quietis, ſed ut illis ſolicitudinibus & curis, ſi bene locatæ ſint, nihil fieri poßit dulcius. Ac de familia quidẽ breue præceptũ eſt (quanquã ſui cuiq; domeſtici debẽt eſſe noti) ut omnes æqualiter colant, honorentq; filium, aliquid mandanti dicto audientes ſint: quotidianum autem obſequium, & cultum circa eum hi gerant, qui ſunt nominatim præfecti à patre. Si quis uerò extra ordinem inſinuare in comitatum & conſuetudinem nimis ſtudeat is tanquã aliquid malitioſe cogitans repellatur. In iuuentute maius periculũ eſt, nam & maior ſæpe in magna copia ſodalium dißimilitudo ineſt morum, & ſint inter eos aliqui natu grandiores, uel etiã annis lõgius prouecti, qui ex illa ætate ſimplici atq; lubrica uarijs ſuis cupiditatibus paſtum quærunt, quorum inprimis pernitioſa ingenuis moribus eſt conſuetudo: qui quidẽ

omni

omni & sono & strepitu, tanquam insidiosæ aues, ab grege mansuetarum perterrendi sunt. Iuuenem autem à iuuenum æqualium congressu & consuetudine arcere æquum non est. Igitur ad omnia huiusmodi pericula remedium iam antiquitus usitatum, pædagogorum cura atq; industria: qui cum aßidui comites sint adolescentibus, continent in officio, & aliquid praue cœptantibus, obuiam eunt: quos maximè probatos, & sibi fideles eligere debet pater. Sed & si horũ studiũ ac diligentia nonnihil aliquando proficit, nullum tamen fortius est in adolescentibus uirtutis præsidium, quàm pudor de quo antè diximus, & illa ordine directa ac sibi benè constans disciplina familiaris, patrisq; imprimis sapientia & grauitas, quam cùm usu quotidiano imbiberit filius, exemploq; illo domestico & præceptis patrijs imbutus, præclaras decori honestiq; imagines, quæ in animo illius penitus insiderint, detulerit secum in forũ, & se cum cæterorũ moribus studijsq; composuerit, tum incipiet notare atq; discernere, quid inter se atq; eos intersit, qui nequaquam simili à disciplina profecti sunt, nec tantum habuerunt Deorũ immortalium beneficium. Tunc suis fortunis gratulabitur, gaudebitq; experiri, & quotidie aliquid agere ex illo ingenuo more atq; modo, cuius fructum percipiet non solùm in animo suo lætitiam, sed ab æqualibus honorem, & à senibus admirationem ab uniuersis insi-

gnem

gne quandam beneuolentiam: eoq; uelut stimulo amoris & laudis adulteriora semper incitatus, fiet quotidie in omni bona parte usu confirmatior, benignitatemq; imprimis exercebit, iuuabit quos poterit, omnibus erit comis, molestus nemini: probos & bonos arctiore sibi uinculo familiaritatis adiunget, reliquos nō aspernabitur: ita aget dictáq; omnia, ut in uerbis & in factis existat dignitas, non seuera illa & grauis quæ maioribus natu cōsentanea est, sed quæ cum hilaritate modestiáq; coniuncta maximè deceat adolescentiā. De*niq; omnem illam paternæ uirtutis ac dignitatis, optimorumq; morum similitudinem nondum planè robustam, sed ueluti cum ætate secum unà pubescentem, in cœtum æqualium & comitum suorum domo transferret, ut multi qui intuebuntur ex eodem loco eademq; ætate, quosq; illa egregia & peruenusta species uirtutis commouerit, uideantur fore eo animo, ut conentur imitari: ex quo potest coniectura capi, quantum ciuitati & toti reipub. euenturum sit boni, si hæc rectè instituendæ adolescentiæ disciplina aliquando publicè coletur, cùm unius interdum exemplo intelligamus cunctam penè iuuentutem ad imitationem uirtutis facilè accendi posse.* PAV. *Ita afficior mi pater, cùm te hæc audio loquentem, ut lætitiam meam ipse uix ferā: quippe qui* Dei *immortalis maximo dono adeptus sum ut & hac uoluntate ad consectandam uirtutem, & in*

hac disciplina alitus essem, ex qua fructus iam aliquos capere incipio ex his qui à te modò numerati sunt. Sed cum in hunc uitæ statũ & uirtutis usum perductus est adolescens, quidnam quæso illi amplius deest, quò minus felix sit ac beatus? IAC. *Totum id Paule quod est maximè necessarium, uirtus ipsa uidelicet, cuius umbram rectum esse morem iam totiens diximus: nobis uerò uestigandum & tenendum corpus est, ne tanquam in somno uisis inanibus decepti, sed uigilantes, & re uera summi boni efficiamur compotes.* PAV. *Iam intelligo te uelle philosophiam dicere.* IAC. *Volo inquam uerò: illa enim est una, sine qua nullius hominis uita (diuinam semper excipio sortem) suopte certè ipsa consilio, nec sapiens unquam, nec beata esse potest.* PAV. *Cur igitur non quamprimum ad illam tertiam partem nostræ institutionis tendimus? in qua ut arbitror, philosophia ipsa inest: cuius tota est, ut dicis, uirtutis expolitio. Etsi enim me summopere hæc delectant quæ dicta sunt & dicuntur, tamen ad ipsum fontem & caput omnium uirtutũ cupio accedere.* IAC. *Vnum etiam restat Paule, de quo à nobis aliquid dicendum est: quod cùm honore atq; utilitate primariũ sit, propter quandam tamen opportunitatẽ in oratione à nobis factũ est postremum: nullum enim adhuc uerbum de ueritate fecimus. At ea est præcipua non solùm benè moratæ, sed etiam uerè beatæ & sapientis uitæ procreatrix,*

creatrix, sine qua nihil neq; probum, neq; prudens, neque liberale, neq; magnificũ uerè potest existere. Quis enim mentiri & fallere non dico assuefactus (monstrũ enim illud hominis potius quàm homo est) sed uel paululũ modò inducens animũ, licere aliud sentire aliquãdo, aliud loqui, & habere linguã à corde discrepantẽ, in numero eorũ ponendus est, in quibus species à nobis futuræ eximiæ dignitatis constituatur? PAV. Videtur uerò repudiãdus quisquis ille est: nec mihi uenerat in mentẽ, cum tamen iã quotidie magis ex te, & in Aristotele ipso, quẽ te hortante ac præmonstrante in manibus habeo, possim incipere nosse hoc tantũ et tã eximium bonũ ueritatis. Sed cur de ea mentionẽ in hoc extremo, ut tute inquis, loco facienda tibi reseruaueris, id ego audire ex te expeto. IAC. Quia anceps est in utranq; partẽ, & cùm in omne genus doctrinæ scientiæq; diffusa, tum ad bonũ morem etiã pertinens. Quoniã autem de more & disciplina domestica, qua imprimis assuefaciendus ad omnia recta & honesta est adolescens, dictũ à nobis fuit: nõ quin plura alia possint dici, sed quia hæc futura sunt satis: Nunc autem ad ea tẽdimus, quæ non tam consuetudinis, quàm certi consilij, & suapte scientia ac ratione directæ uoluntatis sunt: ueritatẽ in utroq; genere instituendi præcipuam & primas ferentẽ parteis, in hoc potissimũ loco constituimus, ut cum una eademq; dominetur utrobiq;, una quoque

& morale illud ac modestum facileq; monenti rectè obtemperans cogat agmen, & hoc sapiens eruditumq; ducat. PAV. *Quasi ueritatem uinculum dicas, quo ambo genera hæc contineantur.* IAC. *Imò lumen à quo ambo ista & creantur & illustrantur, hoc quidem diurno sidere tanto potentius, quòd sol iste oculis, ueritas mentibus lucē & diem affert, atq; hic facit ut res, quales sunt, tales etiā cernantur: illa, ut quod sunt, id illud ipsum sint. Sed hoc lumen & propriè & proximè philosophia ipsa sectatur: omnemq; suam curam, omnē operam studiumq; impendit in eo, ut huius luminis percipienda ueritate fiat compos, quod cùm apprehenderit, suumq; & proprium tenuerit, iam ipsa in luce & in ueritate habitans attollit in altum circūcirca errantibus, ut communicatione lucis illi admoniti, minus ruant in tenebris, minus perturbentur. In quo maximus est concursus omniū mortalium maxima uarietas. Hi enim quanquā luminis aliqua ex parte participes, umbris tamen plurimis impediti atq; impliciti, quæ quò longius absunt ab editiore lumine, hoc uolitant maiores, sæpißimè falluntur in eo quod appetunt, & pro bonis mala amplectuntur: cumq; se pedem tutò ponere existimauerint, labuntur præcipitns. Hoc lumen, quod est sua cuiq; ratio, certißimis scientijs ac doctrinis illuminata, & sibi ipsa in omni consilio actioneq; prægrediens, neq; alieno indigens ductu, philosophia ipsa cōtinet:*

tinet: ad quam quod sit rectum iter, tertia mox nostræ institutionis pars indicabit. Sed ut in hoc lumine summè & maximè ueritas est, sic in illo genere posteriore uirtutis, quod disciplina & monitis diximus compara ri, quemadmodum luminis, ita & ueritatis radius qui dam inest, non principem, sed accersitam insinuans lu cem. De *quo nobis restabat aliquid dicendum, antequã de moribus & disciplina sermonum totum cõplere- mus: ideoq; seruauimus in hunc locum, ut à radio ad lu men, & ad ueritatẽ ipsam à ueritatis simulachro pro- pinquus transitus foret.* PAV. *Commodè sanè, & ita fuit faciendum. Sed quis est qui ista considerans, non ad amorẽ & studium philosophiæ totus rapitur?* IAC. Deberet *hoc quidẽ ita esse: sed tamen non desunt Pau- le, qui illam contemnant, atq; adeò uituperent, & in inuidiam ad populum adducant.* PAV *Iniquos homi nes narras: estq; propterea iam dudum à te susceptæ philosophiæ defensio aduersus uituperatores huiusmo di, quam ut perficias, atq; aliquando edas, cum alij sæ pe multi, tum uerò duo doctißimi & amicißimi homi nes Paulus* Iouius, & L*azarus* Bonamicus *te quotidie flagitãt: quorũ de uirtute & doctrina quid sentias, cre brò ex te audire soleo.* IAC. Q*uidni audias de ho- minibus cùm amantißimis nostri, tum dignißimis ipsis qui ab omnibus amentur? quorum magnum in utroq; nostræ ætati positum est decus.* Nam Iouius *non solùm*

medicinæ scientia, in qua excellit, tam cognitione artis, quàm utilitate ex ea & obsequio erga amicos, uerum omnibus ingenuis & liberalibus disciplinis instructus, imprimisq; eloquentia, & dicendi genere quodam magnifico, contulit se ad scribendam historiã, in qua ueterum optimorum scriptorum & fidem & gloriam in nostram ætatẽ refert. Lazari uerò in Latinis & Græcis literis, præsertimq; in hac de qua loquimur philosophia, tanta est eruditio, eaq; præstantis ingenij uis, ut ipsum cum audimus, nullius ex antiquis aut nouis doctoribus, aut scientiam maiorem, aut copiam requiramus: quod quidem in eo speciosius existit, quòd ita uiuit, & ita factus ipse est, ut in omni uirtutis & humanitatis officio, philosophiam habuisse uideatur non dicendi magistram, sed faciendi. Quibus quidem ambobus hoc quod dicis à me desiderantibus, quippiã negare esse arbitror nefas. Sed quis scit an diuino quodã consilio hic illi noster dialogus fortè præpositus fuerit? PAV. Quid ita? IAC. Vt per gradus, & uelut planiore uia, ab his præceptis & rectè consuescendi disciplina, ad illa altiora philosophiæ consilia, & ipsum apicem uirtutis ascendatur. PAV. Verisimile hoc quidẽ nã & bene cogitantibus semper adest Deus. IAC. Redeamus Paule ad partem illam ueritatis, quam moralis huius disciplinæ esse diximus, aut potius quò melius ista ueritatis diuisio intelligatur, sic agamus. PAV.

Quo

Quo pacto? IAC. Falsum natura quædam est maxime contraria & inimica ueritati. PAV. Ita est. IAC. Huius partes sunt duæ. PAV. Quæ? IAC. Vna pars cernitur in eo, cùm ipsi nosmetipsos decipimus, & praua aliqua opinione inducti, aut captiosis rationibus argumentisq; constricti, quæ cùm aliquam cupiditatem ualentem in nobis suffragatricem nacta sunt, maximam habent uim ad mouendum & persuadendũ, scire nos arbitramur quod nequaquam scimus, hæremusq; in eo, & restamus confidenter: quod accidit, cũ uel id quod est, non esse: uel quod non est, esse, aut cuius est generis, rationis qualitatis, efficiẽtiæ, id non illius, sed alterius modi esse suscipimus. PAV. Intelligo. IAC. Hoc falsum Paule quod est erroris, mendacij, & totius ignorantiæ caput, Dijs mediusfidius & hominibus est inimicißimum: quanquã in diuinã naturam non cadit falsitas, neq; error. Verũtamen tanquam è regione illi sempiternæ ueritati oppositũ, non solùm hominũ mentes quotidie, sed & illas cœlestes, & incorporeas potuit olim peruertere. Nec uerò grauiore ullo malo, acerbiore, atq; exitiosiore alia ulla peste uita nostra conflictatur & perturbata est, quàm huius labe ignorantiæ, quæ sibi ipsa scientia esse uideatur: hinc contumacia, hinc illa immoderata atq; infinita cupiditas, hinc nimius suijpsius amor, & iuris atq; iniuriæ parũ æqua descriptio: ex quo deinde illa in uitã tot incõmoda dimanant,

nant, iræ, inimicitiæ, bella, cædes, urbium & nationũ funditus euersiones, unicuiq; secum, non solum aduersus alios, semper ferè dissensio, & cum popularibus, cũ ciuibus, cum affinibus, cum cognatis grauis sæpe discordia: deniq; omnis hominũ ad homines societas, quæ naturæ fœdere ipso & conciliata & sancta est, huius tanti pernicie mali iamdudum uiolata, conuulsa, & in totum penè dißipata est. PAV. *Magnum incommodum prædicas ignorantiæ, mi pater.* IAC. *Quid mirum, cum illa lumen animi nostri mentem ipsam extinguat, & falsis persuasionibus tanquam clauis excæcet, si erroris & temeritatis & uariarum offensionum plena sunt omnia? Sed hoc tantum malum sola philosophia se ablaturam esse pollicetur: idq; adeò præstat, si ritè tractetur, sitq; ad Deum & summũ rerũ omnium bonum tota cum fide & religione conuersa. Quod nobis uerum Deum & filium Dei colentibus, unis asseriqui diuinitus est concessum.* PAV. *Sanè præclarum est hoc & philosophiæ, & Christianæ religionis donum.* IAC. *Res ipsa indicio fuit ita esse sicut dicis Paule. Sed quoniam non est huius temporis insistere in his diutius, ad alterã partam falsi, quo de agimus, accedamus.* PAV. *Equidem te in his morari diu uellem: nec est quicquam quod audiam iucundius, rursusq; philosophiæ amore incendor. Sed uereor ne mea ignorantia mihi quoq; ad illam adipiscendam impedimẽto sit.*

IAC.

IAC. Nequaquam Paule, nec tu istam ignorantiam pertimueris, quæ ad discendum, accipiendum parata est, tanquam uacua domus & patens, utq; honesta supellectile instruatur expectans. Illam tu mihi ignorantiam præsta ut caueas, quæ falsis opinionibus referta, in eisq; pertinax, cum orichalcum pro auro ipso amplexa fuerit, ueras amplius opes nil moratur: aderit tempus, uel potius adest, cum ex plebis cupiditatem hanc tuam, & nobilissimorum amorum fies compos: quorum iam gustũ aliquem ex Ethicis Aristotelis, ad quæ paulò antè es ingressus percipere potes. PAV. Sic faxit ille summus nostri generis conditor, idemq; pòst eiusdem per unigenitum filium suum contaminati & perditi liberator effectus, cui me tota mente atq; omni corde deuoueo. IAC. Atqui hoc sentire & sic facere Paule, & prima & summa est philosophiæ ueritas. Nunc attende de altero illo falso quid rei sit. PAV. Dic modò. IAC. Hoc falsum tanquam uirgultum & propago ab illius prioris falsi radice proueniens, consistit in eo, si quis non se ipse fallens, nec mẽtiens sibijpsi, sed callidus & gnarus apprimè quid agatur, alterum uelit circumuenire & fallere, ut in errorem inducat, ut aliud illi pro alio obijciens, longè eũ abducat & dimoueat à uero. Iccirco autẽ proficiscitur à primo hoc alterum falsum, quòd nequaquam circũuenire & fraude irretire alterum conaretur quispiam, nisi esset ipse

prius praua illa opinione captus & circumuentus, quærendum esse quoquo modo auaritiæ, libidini, aut cuiq; cupiditati pastum. Sed hæc consuetudo atq; exercitatio fallendi alterum, & mentiendi, his quibus hodie uiuitur moribus, sic in omnes ferè uitæ sectas ac quotidiana uitæ officia effusa est & dimanauit, ut angustum admodum inter homines locum ueritati & fidei reliquisse uideatur. PAV. Fertur uulgò quidem ita se rem habere. IAC. Quidni feratur quod extat ante oculos, quod eminet? Quis enim est uel paulùm modò in hæc communis uitæ studia ingressus, qui cùm cõmercia hominũ inter ipsos uiderit qua fide gerantur, non intelligat quemadmodũ gladio in prælijs milites ad deijciendum capiundumúe hostem, sic fraude plurimum & mendacio uti homines, qui quidem malitiæ quasi gladius est, ad proximum constringendũ, ut supplãtato altero, ad sua quisq; optata facilius perueniat? Sed quamuis desueta iam hisce moribus ac tẽporibus, quamuis neglecta atq; posthabita, tamen quò rarior, hoc clarior est & preciosior fidei possessio. Licet qui uafri sunt, astuti, uersipelles, cuiusuis precij homines ducantur, hisq; à populo plaudatur interdum, & qui callidè circumuenire aliquem, aut lepidè norunt imponere alicui, omniáq; ad gratiam & uoluptatẽ agere, in aulis etiam principũ magni habeantur: tamen nec unquam tuta, & semper ipsis turpis, alijs etiam perni-

nitiosa

uiciosa horũ est ratio uitæ, atq; exercitatio. Nihil enim potest esse decorũ neq; splendidum, neque item sibi fidens, aut sat munitum aduersus casum atq; fortunam, unde absit ueritas: quæ cuius insedit in animo, & sancto cum illo fœdere copulata, omniũ eius doctorũ atq; factorum fit particeps, admirabilẽ quandam illi autoritatem & speciem præbet inter homines, tanquam mortalis Dei. Debet igitur pater huius posterioris falsi (quando ad illud maius, quod à philosophia ipsa depellitur, ætas adhuc non est adolescentis) culpam omnem & labẽ à filio propulsare, monereq; & præcipere diligenter, ut unquã inducat animũ aliud sentire intus, aliud loqui. Sed in puero facilis est præceptio: neque enim multũ malicia illa ætas peccat. Cũ adolescente iam facto, accuratius est insistendũ, ut animaduertat, sibiq; persuasum habeat, neq; uirtutis uim, neq; exemplũ optimi moris, nec uerò honorẽ illũ qui ab æqualibus expetitur, nec dignitatẽ ad quã omnia consilia diriguntur, sine fide & integritate cuiquã constare posse: ut assuescat abhorrere à mendacio, & linguã habeat semper cordi consonantẽ: nec solũ in uerbis & sermonibus ad alterũ, recta, uera, simplicia discat loqui, sed in cõsilijs & factis nihil fictũ, nec fallax, nec simulatũ habeat. Quò enim facta uerbis potiora sunt, hoc magis in ijs q̃ illis mẽtiri decipereq; est dedecorosum. Mẽtiũtur aũt q uersutiloquis (ut ille ait) malitijs, hone

stam speciem uirtutis parum honestæ prætendunt cupiditati, neq; ad ueritatem referunt, neq; quia ita decet, neq; quia ita rectum est, sed inclinant & uergunt ad alterum aliquem finẽ, qua quidẽ ementita uirtute nullum uitium est monstrosius. Atque horum quidem illa obstructio simulationis neq; diuturna est, & ab acutioribus statim perspicitur: dant enim manus, oculi uultus, celeriter aliqua signa, nec unquã usq; eò occuli & abscondi potest ueritas, ut non emergat aliquà atq; appareat. Vbi uerò deprehensi sunt, & persona detracta producti in publicum, maiore in uituperatione ignominiaq; uersantur, quàm si uitium palàm ex initio fuissent professi. At qui ex fide bona adolescens studuerit uirtuti, decusq; & ornamentum uitæ à ueritate sibi duxerit, nullum unquam locum simulationi & mendacio in moribus suis esse sinet, nisi ioci interdum causa: cum non fraus fuerit, sed lusus, atq; id tamen parcè & molliter, ut ne lædat eum cui uult illudere: scitè enim & aptè scire hoc agere, condimentum est nonnunquam sodalitij & familiaritatis: nec nos austerum, aut tetricum, aut difficilem esse adolescentem uolumus, sed hilarem, & comem, descendentẽ ad omnia quæ illa ætas natura fert, modestiam tamen & mediocritatem secũ deferentem. In eandem quoq; mendacij & simulationis affinitatẽ transit imitatio: quid enim aliud est imitari, quàm capere similitudinem eius quod non sis? Sed

hoc

hoc si fiat in eam partem, ut effingas imitando quæ recta honestáq; sunt: ut si eius gestum uultúmq; imitére, qui dolorem corporis fortiter tulit, aut in uoluptate fuit temperans, aut amissam iam aciem restituit, referásq; eum uoce, motu corpore: laudabilis est imitatio, nec ueritatem reijciens illã, sed aduocans: quemadmodum etiam nostra, hæc de qua disseruimus probata domi disciplina, ueræ uirtutis dicta est imitatio. Si uero imitationẽ conuerteris ad deteriora, & aliquos nimirũ motus, uultúsq; scurrarum, eorumq; dicta & facta, captandi risus gratia, uolueris imitari: nihil est hoc genere ludendi illiberalius, nec quod pudori & modestiæ magis contrariũ sit: extremæ enim impudentiæ est, ad de etiam si uis stultitiæ ac leuitatis, uelle deridiculum esse: nec aliquid bonæ indolis residere in eo potest, qui id agit ipse ut rideatur. Sed ut hoc turpe & sordidum lusionis genus reijcimus, sic multas relinquimus adolescenti lætitiæ & hilaritatis uias. Decet enim adolescentem hunc quem nos instituimus, ita studere præstare cæteris in omni ornamento honoreq; uirtutis, ut ad illa quæ sunt adolescentiũ communia, cum paribus suis æqualiter se dedat: currere, saltare, ludere, eos utiq; lusus, quibus corpus exerceatur, choreas ducere interdum, conuiuiũ habere, cachinnari aliquando liberius, iocis & dictis hilaritatem accersere: sed ut seruet in his quẽ sæpius diximus modũ, in quo ipso inest id quod

decet,

decet, quod non erit illi difficile notare ab illis patrijs institutis, disciplinaq; domestica, per quã sensim illa diuina decori species moribus eius adlita & insinuata fuerit. Consequetur autẽ ex his, ut cùm propter facilitatẽ, humanitatem, comitatẽq; naturæ plurimũ eũ sui æquales diligant, tum uerò propter uirtutũ integritatem, elegantiã morum, etiam cum quadã illum admiratione uenerentur, summamq; habeant illi omniũ rerum fidem, & prope uoluntarij illius sese imperio subijciant: multi etiam ut studeant imitari, & quidem omnes ferè ex quotidiana consuetudine atq; usu, aliqua ex illo uirtutis lineamenta in suos mores trãsferent: nonnulli uerò accedent propius, & similes fieri conabuntur. Vt quod aliâs diximus, & dicendum sæpius est, perfacilè poßit iudicari, quantum sit bonum euenturum ciuitati, primùm si puerorum recta educatio publicè excolatur: deinde ab unius sæpe bene instituti adolescentis imitatione atq; exemplo. Quod potuisti modò in te expertus, commodè existimare Paule. Cùm enim in te unum spectet iuuentus nostræ ciuitatis, cunctaq; sese ad te applicet, & familiaritate tua maiorem in modum gaudeat. potuisti reprimere paulo antè maledicentiam, quæ increbuerat in iuuentute tam promptè de altero & tam libenter detrahendi: à quo more cùm pro natura tua abhorrens ipse, comiter ab ijs petijsses ut abstinerent, facta est iuuentus tua opera mo-

ra modestior. PAV. Equidem quid egerim nescio, nec si quid etiam ago, id mihi pater tribuendū est, sed tibi: ueruntamen illud & cognosco & fateor, plurimū in eo fore ornamenti & cōmodi ciuitati, si iuuentus be ne instituta sit. Quod ut cōtingat, utinā ea omnes, quā tu mihi modò praescripsisti, utantur disciplina: quicūq; ille quidem extiterit sic educatus atq; alitus, hic maximū habiturus est profectò Deorū immortaliū erga se beneuolentiae testimonium. IAC. Nimirum ita est Paule, orandusq; Deus, ut quàm plurimos uelit suae hu ius benignitatis esse participes. Verùm nos hoc transa cto bonorū morum & disciplinae rectae curriculo, rur sus aliū cursum ueluti reprehēdentes, ad caput & pue ritiae principia iā tertiò redeamus. PAV. Nempe ut quae literarum iam & doctrinae sunt, artiumq; earum quas uocamus optimas, eorum ornatu & ordine instituas adolescentiam? IAC. Ne: atq; ut ubi uera residet uirtus, non ubi imitatio agitur uirtutis, eā illuc deducamus. PAV. A' Dijs penatibus ad Apollinis & Musarum uidelicet. IAC. Quid si ac eam sapien tiam potius, quae è capite patris prognata, & eodem amoris spiritu cum patre ipso nexa atq; concors, ad omnem mortalium illustrandā uitam olim egressa est, & cū nihilominus permaneret in patre, ad nos se cō tulit, ut abiectos humi, & nil sublime meditantes, ad coelestium bonorū, & certam immortalitatis spem ex

citaret

citaret? huic enim debetur quodcunq; profectum est, quod in trinitate potißimè est spectandū. PAV. *Sic quidē oppido melius, sed ego latino more locutus sum.* IAC. *Quod quidem ego minimè reprehenderim Paule: dare enim aliquid stilo & consuetudini eius linguæ in qua uelis loqui, necessum sanè est: sicut & uos ubi de diuinis nominatim non agitur, figuras illas & modos Latinæ dictionis ad illuminandam orationem non inuiti adsciscimus: ut Me hercule interdum dicamus, medius fidius, Deos etiam immortales plurium numero nonnunquam proferimus, non sensum ex his uerbis ullum, sed sonum duntaxat quærentes, atq; ut splendidior & fortior, nec adhorrens ab ipsa antiquitate procedat oratio: quando ea quidem suis ornata atq; instructa dotibus, ad docendū quid uerum, sanctum rectūq; sit, & impellendum in id quod conueniat agi, maius multò pondus & maiorem quandā uim affert.* PAV. *Nauiter studendum est igitur orationi & stilo, ut te intelligo loqui.* IAC. *Et maximè quidē, si quid agere aut perficere uis quod sit egregiū: nam philosophia & quam præcipuè quærimus uirtus ac sapientia, si tibi tecum uiuendum esset soli, forsitan se una contenta foret, neq; requiret quicquam amplius. Cùm uerò tibi in cœtu hominum, & cum plurimis uiuendum sit, omniumq; studiorum utilitatum, officiorumq; & tuorum cum illis, & illorum tecum communicatio facienda,*

ad hanc

ad hanc humanæ uitæ societatem aptè commodéq; gerendam, nullum instrumentū est oratione præstantius. Itaq; & facio sæpe, & facturus sum, ut te adhorter imprimis ad hæc studia, quibus dicendi egregia & præstans ratio comparatur: hoc etiam studiosius, quòd me quantum proficias, & quid mihi spei præbeas, nil pœnitet. PAV. Faciam equidem quod meum est, ut labore & diligentia tibi satis faciam mi pater: quantum uerò effici per me poßit, totum tuo iudicio permittam. IAC. Dabitur hac in re opera ab utroq; nostrū Paule, ut rectè fit. Sed nos aliud initium nostri sermonis facientes, redeamus ad eandē pueritiam, de qua totiens iam iterauimus loqui: ut eam alio quodā itinere, alia semita ad indagandum melius uirtutem deducamus: nam quæ adhuc de uirtute dicta sunt, etsi uerißima ea sunt, creduntur tamen à iuuene, non intelliguntur. Hic autem tertius quasi actus nostræ deductionis reliquis perfectior, in eum locum adducet adolescentiam, unde non alienos imitari gressus, sed ipsamet cernere quò & quà uadendum sibi sit, tanquam è specula poterit, suiq; erit consilij domina & uoluntatis. Igitur puerū, ut primùm fari commodè, & uerba disertè proloqui poterit, aliquosq; ingenij cœperit igniculos iacere pueriles, studiose inducat pater in opinionem & desiderium addiscendarum literarum: quod perquàm aptè fiet, si accersendis maiusculis pueris, qui iam aliquan-

A tum

tum in legendo profecerint, & illis auscultandis laudauerit præsente filio rectè recitantes, exosculatusq; fuerit, aliquid etiam dederit muneris ac præmij. Mouebitur enim animus filij ad eadem æmulanda studia, in quibus alterum sic probari perspexerit: ipseq; ultrò petet, ipse flagitabit easdem sibi tabellas, & eandem exercitationem dari. Quæ dandæ erunt, cùm ornatæ ipsæ & concinnæ per sese, tum illustribus scriptæ literis, ut omnibus rebus quibus capi potest illa ætas, ad amorem & cupiditatē legendi perliciatur. Semper enim prouidendū diligenter est, ut literarum desideriū ita antecedat in puero, ut nunquā satietas nimia consequatur. Sed etsi pater eiusmodi sit, ut omnibus ipse optimis artibus literisq; eruditus, docere pòßit filiū, & præclarè eū in omni doctrinæ genere instituere, censuerim tamen idoneum illi magistrū esse eligendum, qui huic uni uacet negocio, nullaq; omnino re alia neq; occupatione teneatur, sed sit in hanc curam erudiendi filij totus intentus, à qua patrē sæpe familiâs tam forensibus quàm domesticis negocijs necesse est auocari. Hāc nostram de adiscendo liberis magistro sententiā Marcus Cicero comprobat, qui cum ea esset ingenij, literarum, & omnis scientiæ gloria, ut locupletâsse ipse & ornasse potius eloquentiā, quàm ulla ab ea ornamenta sumpsisse uideretur, in erudiendo tamē filio alienis magistris usus est. Verū hoc quod facile est præceptu atq;

impe

imperatu, re ipsa & experiendo uehementer sit diffi=cile. Rari enim sunt, utinamq; adeò rari isti, aliqui ta=men essent, qui comprehendissent animo, quid sit uerè sapere, & uinculũ illud quo omnes humanitatis artes inter se continentur, ad cuius unius sapientiæ spem & alimus & constituimus filium, quale sit tenerent: neq; isti aut ostentandi sui causa, aut lucrifaciendi, aut popu laris auræ colligendæ, ad singulas addiscendas sese de=derent artes: si tamen addiscere est ignorare, quem ad finem percipiendum sit quod addiscas. Sed quoniam de hoc errore uulgato & propè communi in nostro de laudibus philosophiæ libro satis est dictum, & alibi sæpe dicetur, reuertamur ad puerũ eum quem in ma=nibus habemus, magistrumq; illi præficiamus è litera=rio ludo, cuius mores probati sint, & diligentia in do cendo cognita: qui ita quotidianum pensum legẽdi & scribendi à puero exigat, ut nulla in re sit asper, nec mi nis aut uiolentia utatur: summoperè enim cauendum est, ne eas literas odisse incipiat puer, quas nondũ po=test ipsarum causa diligere: spe ille potius & laude pro uocandus est, interdũq; ex pacto agendũ, ut cum plu=res horas sibi ipse sumpserit ad pueriles obeũdos lusus, unã aliquã præbeat magistro. Legẽdi ergo & scriben di prima præceptio est pueritiæ, & primũ rudimentũ: quod promptè et celeriter facere debet puer, ac sine ulla dubitatione uel minima nosse literas, uel ipsas per sese,

uel in syllabis dictionibusq́; cõiunctas: nec nosse solùm, sed pronunciare commodè sono uocis simplici rectéq;, literis neq; oppreßis nimium, neq; expreßis: itemq́; perlegere cursim quicquid scriptum oblatum fuerit, idq́; & prorsus & rursus retro contráq; reuoluere. Hæc enim quamuis minima uidentur, tamen quoniam fundamenta sunt cæterorum, firmius sunt statuenda, immorandumq́; in his aliquanto diutius, quoad planè resideant, atq; comprehendant. Quod autem de literis, uel de literarum potius elementis ac notis dictum est, non de latinis tãtùm, sed de Græcis quoq; uolumus intelligi: harum enim utramq; linguarum ab eo uolumus addisci, qui ad eximiam spem summæ uirtutis alatur. Vtriusq; enim maximi & doctißimi autores sunt, omniaq́; doctrinarum genera in utraque egregiè sunt tradita: tum autem prudentiæ, sapientiæ, eloquentiæ utrobiq; summa uis, & ita nexa inter se, ac mutuò se continens, ut qui alteram sine altera perceperit, debile quiddam & mancũ esse adeptus uideatur. Ad utranq; igitur & Græcam & Latinam orationem legẽdis & scribẽdis literis statim de principio imbuẽdus est puer. In quo illud primùm admodũ occurrit laudabile, quod est in more positum, ut simul cum literarum notis, elementa quoq; Christianæ religionis in puero insinuentur. Nã ut dictum est, nec uirtus, nec doctrina, nec spes honestæ aut beatæ agendæ uitæ ulla est, qua non pertinet,

tinet,nec comes est religio: grauesq; tũ sententiæ sum morum autorum proponendæ illi sunt, ad sanctitatem uitæ,& ad exemplum fugiendarum aut expetendarũ rerum pertinentes, quas animus tener bene apprehendat,deferatq; secum in omnem posteriorem uitam.Sed hanc consuetudinem legendi iam scribendiq; familiariter sequitur continuò grammaticæ ars: cuius nomen ductum quidem à literis, tenuem uidetur habere appellationẽ,sed est eius facultas uberior:nõ literas enim solùm,& nomina,uerbaq;,ac reliquas omnes orationis partes,sed poëtarum quoq; & oratorum cognitionem ita complectitur,& pertractat, ut paruum in ijs relinquere uideatur uelle alijs artibus quibusdam locum,quod meo est animo non tam grammatices proprium, quàm eorum qui ad suam ex alijs generibus facultatem doctrinamq; ostentandam, huius artis nomine abuti uoluerunt. Scripserunt enim de ea complures docti uiri,cùm Græci tum Latini: sed alij alio modo, presśè castigateq; nonulli,multi abundantius: nisi fortè necessariò credimus tria millia librorum amplius à Didymo in arte grammatica fuisse scripta. Apollonius in Græcis,& Herodianus probatiores: magnam laudem apud nostros meruit Donatus, & qui illum Seruius æmulatus est:tum deinde multi.Sed nostrum non est enumerare scriptores:potius illud uideamus,quomodo,& quatenus grammatice tradenda puero est:neq; uim ar

tis totam, sed captum ætatis illius consideremus. Nam *si qua sunt in illa arte difficilia & ardua, non tam necessarijs quàm subtilibus implicata disputationibus, reijciantur in id tempus, cùm alijs pluribus disciplinis instructus adolescens, ocium conterere in huiusmodi quæstionibus poterit, quæ tunc ultrò sese illi offerent, & ex aliena quadam facultate acutius disceptabuntur: tenerum quidem pueri animum onerare his difficultatibus nullius consilij est. Quid enim illi proderit nosse controuersiam, utrum Participium sit pars orationis, an redigatur sub uerbo? & utrum uocabuli an nominis in rebus appellãdis potior usus sit, & similia multa, quæ ne intelligentibus quidem admodum usui esse possunt? Potius mihi is ad illa apertè & simpliciter perdiscenda ducatur, quæ necessariam habent utilitatem: ut literas distinguat, aliasq; nouerit uocales, quæ purum ex se proferant sonum: alias consonantes, quæ cum illis iunctæ & compositæ sonent: rursusq; ex consonãtibus semiuocales quarum sonus incipiat à uocale cæteras mutas, in quibus uocalis sonus tantum desinit: intelligat etiam bissonas, quas, διφθόγγυς Græci, ex duabus uocalibus esse compositas: tum his adiungat omnibus pronunciationem congruam.* Ad dictionum uerò *syluam ita traducatur, ut sine ulla ambiguitate addiscat octo illas peruulgatas orationis partes: quarũ singularũ proprietates, & quasi insignia quædam debet*

cogno-

cognoſcere, ut ſciat internoſſe: ut uerbi cauſa, Nomē eſſe, quod rei naturam aut qualitatem denotet in ſuo ſtatu manentem, idq́; caſibus deflecti, ſpeciebus diuidi numeris mutari, generibus uariari, figuris diſtingui. Verbum eſſe, quod rem in motu aliquo ſignet uel agendi, uel patiendi, in quo pro caſibus ſunt temporum flexiones. Participium, quod affine utriq; & uerbo & nomini, tempus & motum accipiat à uerbo, in reliquis ſequatur nomen. Pronomen uerò quod uicem præbeat nominis, in ijs nominibus ſcilicet quæ propria ſunt, & certam perſonam aliquā indicant. Aduerbia porrò & præpoſitiones: illa, quòd niſi uerbo adiuncta uim habēt nullam: hæ, uel nominibus ſeparatim appoſit, idq́; ferè ſemper præeundo atq; antecedendo, unde nomē nactæ ſunt, uel etiam cum his & cum uerbis in compoſitione copulatæ augent, uel minuunt, uel uertunt ſenſa eorū, quibus cū componuntur. Coniūctiones uerò, quòd ſuperiores quinq; partes orationis binas trinaśue adhæreſcendo coniungant. Interiectiones è contrario, quòd curſum & ſenſum clauſulæ interpungunt aliqua uoce humani affectus, indice interpoſita, quæ habeat ſpem, lætitiam, metum, dolorem, alacritatem, admirationē, & ſimilia quædam. Sed hæc quæ in puerili diſciplina commodius traduntur, perſtringenda tantummodo nobis ſunt: indicamus enim iter duntaxat, non diſciplinam ipſam tradimus. Sequuntur flexiones quatuor

primarum partium orationis, quarũ tres casibus, uerbum ipsum temporibus tantum inclinatur: quæ propè & penitus memoriæ mandandæ sunt, earumq; uarietas facillimè est & familiarißimè discernanda: tum autem qui cuiq; uerbo casus subsequatur, quiúe antecedat. Hæc enim summa est, meo quidem animo, grãmaticæ facultas, scire ita struere & contexere orationem casibus, numero, genere, temporibus: ut nihil sit perturbatum, nihil non concors, nihil non inter se aptè cohærens & consonum, quod tam in uersibus, quàm soluta oratione tenendum grammatico est. Est enim & huius artis propria quantitatis syllabarum notio, & quis cuiq; carmini pes conueniat. Nam uerborum & nominum quæ communi analogiæ præuaritata sunt, & discrepantes à consimilium cæterorum ratione inducere formas, usus & cognitio non tam scrupulosis anxijsq; præceptis, quàm ex bonorum autorum creba lectione percipienda est: quod idem de rectè scribendi scientia, quæ Græcè orthographia est, dicimus. Hanc enim onerosam & difficilem pueris ad noscendum, si per regulas præceptaq; tradamus, aßiduus legendi scribendiq; usus melius cõfirmat, & in uniuersum tota ista ars plurimum communi consuetudinę loquendi, & ueterum doctorum autoritate nixa est: cuius extremum & finis est scire aptè construere, & coagmentare orationem, ut nihil discors in ea, neq; præposterum sit: idq; tum

prosa

prosa cũ carmine, in quo syllabarũ præterea quantitas expendatur. Hoc cum efficere poterit puer, promptè & paratè, atq; ut in agendo nihil hæsitet. Est enim propterea quòd hæc ars fundamentum est, & ueluti solum reliquarum artium, ut si ea debiliter comprehensa sit, omnem superextructionem nutare oporteat, diligentius in ea elaborandum, optimè ut teneatur. Cùm inquam fuerit hæc puero bene percepta & cognita, tũ audentius quicquid libuerit oneris est illi imponendũ: nam & ipse his nodosis & minutis difficultatibus expeditus, quæ laborem animi in puero non mediocrem delectationem habent propemodum nullam, tanquam equus modò domitus gestiet in campos procurrere liberiores, & suarum uirium, suiq; ingenij aliquod periculum facere: ita quæ sequentur, iam non laboriosa illi, sed grata iucundáq; erunt. Igitur è uestigio ad exercitationes & præcepta artis rhetoricæ traducendus est: cui eadem quidem quæ ipsi grammaticæ est materia, nominum & uerborum ualet, & omnis formandæ componendæq; orationis, uerũ alio modo. Illa enim ut diximus, sat habet struere aptam inter se & congruentem personis temporibusq; orationem, aut carmen suis pedibus & numeris integrum componere, eoq; functa officio quiescit, nec habet causam ulterius progrediendi. Rhetorica uerò hoc quidem accepit ab illa, tanquã sibi necessarium, sed nulla est in necessarijs dignitas.

itaq; sic excolit acceptũ atq; exornat, ut illo appara-
tu instructuq; orationis nihil fieri poßit admirabilius.
Hac de arte plura dicenda essent, quippe è qua tantũ
sit humanæ uitæ ornamentum, nisi in Cicerone præcla
rißimè expressa essent omnia: quem & meo hortatu,
& uolũtate tua aßiduum in manibus Paule geris. Hic
enim tibi & nunc, & postea, & semper legendus est:
nec legendus solum, sed omnibus intimis sensibus &
modis deuorandus. Nulla est enim laus prudentiæ, nul
lum lumen orationis, nulla sententiarum dignitas, nul-
la uerborum, nullus in dicendo lepos, nullum acumen
ingenij, nulla uis animi, quæ non in eo, non dicam appa
reat atq; extet, uerùm ita emineat acrisq; ad permo-
uendum uehemensq; sit, ut torrente quodam omnium
suauitatum obruat sensus animosq; legentium. Sed etsi
in hoc uno omnia insunt, quæ ad huius præclari gene-
ris facultatem uidentur esse requirenda, prætereaq;
& doctrinæ & sapientiæ maxima cum his coniuncta
uis: tamen ubi te ad huius imitationem conformaueris,
neq; colorem solum, sed succum etiam & habitum il-
lius orationis fueris nactus, tum legendi cæteri quoq;
tibi sunt autores Latini Græciq;, tum oratores, tum
etiam poëtæ. Est enim huic ætati, in qua tu es Paule,
& uerò etiam consequenti, magno ornamento simul
& emolumento, uidere multorum ingenia atq; scrip-
ta: quòd & multa addiscuntur à multis, quæ ad usum

& ma-

& manum quotidie opportuna accidere possunt: & le ctio uaria ac multiplex iudicandi uim prudentiamq; confirmat: quæ si uno duntaxat genere uersetur, nec habeat qui cum quid comparet, non delectu ullo ad id se applicuisse, etiam si sit optimum, sed casu & fortuna in illud solum incidisse uideatur. At nos delectu uolumus & iudicio ualere, uel maximè eius adolescentis naturam, de quo iamdudum insistimus loqui. Quanquam non est adolescentiæ iudicare, uigere ingenio illi ætati potius cõuenit. Porrò autem ingenij est, cùm percipere celeriter id quod tradatur, tum uerò arrepto à demonstrante principio, præcurrere aliquantum, & ex paucis statim plura aliqua intelligere: quod quidem eximium, imprimisq; optabile Deorum immortalium in nobis donum est. Iudicandi aũt ipsa uis, nõ tam celeritatem, quàm pondus habet, neq; in præuidendo magis, quàm in circunspiciẽdo est posita. Ex multis enim circumcirca sese offerentibus eligat illud oportet quod maximè sit accomodum: quod quidem fieri sine comparatione plurium non potest. Quam nobis probandi & adsciscendi potiora facultatem, usus rerum multarum & in hominum consilijs, fortuitisq; euentibus longa agitatio, imprimisq; lectio erudita & uaria affert: neq; tamen absq; illo naturæ munere, quo bono ingenio præditi in lucem uenimus: nam si ingenium absit, pro nihilo cuncta sunt, ut naturam ubiq; præcio

præcipuè dominari appareat. Sed etsi non est iudicatio propria adolescentiæ, eis tamen armis, & eo cultu, comitatuq; rerum illa ornanda ætas est, ut cum maturum fuerit, acutè queat & rectè iudicare: in quo maximam partem literarum scientia adiuuabit, & cognitio uetustatis, & lectio quàm plurima summorum probatißimorumq; autorum, quorum nemo est aspernandus ex his, quos iniuria temporum de multis reliquos nobis fecit: nec solũ egregia utilitas, sed maxima quoq; delectatio ex illorum lectione uaria percipietur. Iuuabit cognosse ac mirari unà uim illam incredibilem uehementiamq; Demosthenis: cuius oratio sic sensis inter se, quasi hamis conserta esse mihi uidetur, ut si literam unam tollas, seriem totam labare sit necesse: ita quidẽ est pugnax, ut semper uinceret: ita plena ac referta, ut obrueret: ita arguta, ut nunquam non decipere aduersarios poßit: Quàm crebra præterea in ea prædicatio antiquitatis, qui delectus uerborum ac sententiarum, quàm multæ ad laudem & ad decus sumptæ ex tempore & ex causa cohortationes? ut meritò huius unius principis in dicendo gloria Graiæ gentis eloquentia nitatur. Huius inimicus & in repub. aduersarius Aeschines, toto genere omißior, canorũ tamen habet quiddam & profluens. Subtilis Lysias, & uerbis maximè proprius. Nam Isocratis eloquentiam, probatam alioquin, nimiæ concinnitates, & quædam quasi deli-

tiæ, ut

tiæ, ut minus uideretur uirilis, efficere. Horum & cæterorum, ut dico, crebra lectio non solùm uoluptate afficit cognoscendis summorum hominum ingenijs ac dißimilitudinibus, sed auget etiam facultatẽ inter dissimilia & uaria genera dijudicandi. Quod idem de rerum gestarum scriptoribus est dicendum, quorum nostris me hercule non minor est quàm Græcis, aut elegantia aut copia: atq; in his aliquanto etiam expreßius apparet, quod ad confirmandam prudentiam hominum pertinet. Veterum enim ducum, & eorum qui in gubernatione rerum publicarum floruerunt, consilijs actisq; perdiscendis, & quid cauendum in uita, & quid sectandum sit, ex euentis illorum facilè intelligitur. Quid de Poëtis dicam? quorum cernis profectò & quæ in utraq; lingua copia, & quanta non solùm ad demulcendos, uerumetiam ad impellendos animos nostros uis sit. Atq; hoc genus sanctum, & Dijs amabile semper habitum est: non enim tam studio humanæue cogitatione, quàm spiritu quodam diuinitus inflati uidentur illa effundere, quæ sonis numerisq; constructa, aures sensusq; corripiunt, & ad permiscendos animos nostros, tanquã illiquefacta funduntur, ut in quamcunq; impulerit partẽ, non uideatur posse obsisti. Quo etiam ex illa Platonis rep. quam is in libris perfectam condidit, poëtæ exire iußi sunt, ne si ad suum arbitriũ, & quodcunq; eorũ animis libuisset, scribere ac diuulgare

gare aggreßi essent, quod in communi liberum erat Græcia, ciuium suorum mores facillimè corrumperet. Et re uera plus est in hac facultate momenti, q̃ quisquā fortè suspicetur, tum ad frangendos atq; eneruandos uoluptate aut cæteris permotionibus animos, tum rursus ad eosdem uirtute & constantia corroborēdos. Sed quoniam hoc uidetur esse communis Musicæ officium, cuius pars uel præcipua poëticæ est, eaq; adeò sedes & basis, qua tota res musica collocata est & sustinetur, de ea est aliquid dicendum, si quid nobis uelimus hoc cursu, & hac commemoratione artium ingenuarum, & quem ad finem contendamus, prius exposuerimus. PAV. Equidem pendeo animi quo tu loco statuas esse poëtas, & illā Platonis sententiam pertimesco: sed tamen cum recordor, me, te autore, cum illis uiuere iandudum familiariter, eosq; sæpius in manibus habere, consolor ipse me, nec uereor ut tu mihi illā uel oblectationem & requiē à seuerioribus studijs, uel etiam, ut ego experior, non mediocrem utilitatē ad linguā & uitā excolendā adimas. Nam si quis mei ingenij captus est ista expendenda, in quibus tamē quotidie uersor, nec intelligo quid Homero uberius aut magnificentius legere poßim, nec quid Vergilio diuinius qui duo cum sint non singulorum sæpe hominum studio solū, sed ipsarum nationum contentione inter se comparati, utri dandus sit in hac laude principatus, soleo crebrò u=

brò usurpare sententiā tuam, qui sic dicere es solitus, Plurima esse in Homero quæ in cœlum tolli, nihil in nostro quod melius poßit optari: ab illo tamen tanquā fonte & patre omnium doctrinarū, cæteros ueluti riuos fluxisse putas: Nam quòd comœdiam sæpe affirmas priuatæ uitæ & ciuilis consuetudinis esse magistram, speciem habet, ut ego arbitror, hos quoq; poëtas non repudiantis. Quorum Terentius, ceu se datus amnis, quemadmodum fluat purè & leniter, nihil secum turbidum neq; fœcatum deferens: utq; se accommodet ad omnia quæ incidunt, aptè, scitè, eleganterq; & narranda & respondenda, quis legens non cum quadam animi delectatione miretur? in quo mihi uidetur habitare ipsa modestia. Sic enim cauet ab obscœno spurcoq;, ut interdum quid quanq; deceat personam, parū attendere uideatur. Plaut. fortasse licentior, sed tamen quid eo ad locupletandā latinam orationē, & facilitatem sermonis, copiamq; uerborum potest esse utilius? De poëtis cæteris non loquar, quorum est & Græcis & Latinis festiua copia: plura enim genera Poëtarum habentur, quod in oratoribus fortasse non ita est. Sed hoc dicam communiter de uniuersis, cùm sit aliquid in unoquoq; quod excellat in aliqua ingenij parte, & in plerisq; laudabilia permulta, non uideri hoc genus ab institutione bonorum morū, & à studijs doctrinæ eius quam expetimus, repellendum esse. Quòd si fortunæ
& tem

& temporis iniquitas aut nobis in uetustis conseruandis autoribus tragœdiam reliquisset, aut non ademisset Græcis comœdiam, magnam opinor uoluptatem ex Græcorum & Latinorum inter se scriptorum contentione caperemus. Sed quando hoc nobis bonum ereptum est, siue ista hominum iniuria fuerit, siue temporis, ex alternorum tamen lectione licet animaduertere, quæ sit utriusq; generis uis: quanquam tragœdia forte turbulentior, & ad concitandos diuersis affectibus animos non parum certè potentior. IAC. Politè ista admodum, & perquam commodè Paule. Itaq; gaudeo hac tua in expendendis scriptoribus Græcis & Latinis attentione ac diligentia, in qua specimen nobis eximium tui ingenij præbes: mihi quidem non paruam laboris partem ademisti in discernendis & dijudicandis poëtis. Nam hos modò quos commemorasti, & alios ferè horum similes, non legendos solùm, sed habendos tibi perquam familiareis puto: nec usq; eò Platonis illud interdictum horreo, ut non putem bonum morem potius poëtis, quàm poëtas bono mori legem esse laturos. Sed tamen neq; ille in eo statuendo, non aliquid secutus est: & nos te nolumus in numero ducere poëtarum Sotadicos istos impuros uersificatores, qui ad omnem petulantiā progreßi, omnia scurrilibus probris referserunt. PAV. Nequaquam mi pater, intelligo enim quos dicas, nisi si quando illi legendi sunt, ut

excel-

excellentium & grauium poëtarum uirtus & sapientia magis eluceat. Sed quod de Musica te uelle dixisti dicere, id ego audire sane aueo. IAC. *Quippe qui in hac arte patris tui cura apprimè à pueritia instructus fuisti. Sed ego non ea dicam quæ huius uulgatæ, & triuialis symphoniæ sint, cuius auribus tantum suauitate demulcendis omne est lenocinium, & quæ in sola penè uocum flexione ac modulatione ipsa consistunt. Hãc enim uelut bonis moribus inimicissimam, iure & ab republica sua exclusit Plato, & in suas ciuitates Aegyptij nunquam admisere. Sed dicendum est de uera Musica cuius animis ab agresti illo rigidoq; sensu ad urbanitatem reflectendis, & eisdẽ rursus in mollicia nimia perfluant, uirtute & constantia uinciendis; totum officium est. Et quoniam diximus esse quiddam quod animaduertendum primò nobis uideretur, sic habeto: cum, quemadmodum in stadio fieri solet, nos in hoc disciplinarũ & artium ingenuarum ueluti decursu; quasi è carceribus deducamus adolescentiã, ut eam in loco, ubi est præmium certaminis positum, sistamus. Summũ esse illud & extremum quò tendimus, ipsam illam, de qua totiens iam locuti sumus, perfectricem naturæ humanæ ac rationis, & beatæ uitæ largitricem philosophiã: ad quã cùm fuerit peruentum; constituenda in ea sedes est, & omnium consiliorũ collocandum domicilium: quippe cum nec quod ad salutem nostri tranquillitatemq;*

tatemq; pertineat, nec quod ad sani animi plurimas capiūdas uoluptates utile sit, quicquā ibi poßit deesse. Porrò exorsus huius nostræ deductionis grammatice ipsa extitit, è qua cum tantum insliteris in ea quantum fuerit necesse, ad ornandam & excolendam alia quadam arte & doctrina orationem discedendum est: cuius imprimis necessariæ & maximè præclaræ facultatis studiū in omnem reliquam deinceps uitam pertinere debere diximus, tanquam sine qua magnus uir quispiam, & inter cæteros gloria eminens, nec domi, nec uerò etiam belli existere facilè poßit. Verùm etsi hanc exercitationem grauiter, distinctè, ornateq; disserendi qua de re cunq; fuerit propositum, comitem adolescēti in omnem ætatem tradimus: cùm unà cum eo ad philosophiam tanquàm ad mare fluuius peruecta fuerit, coalescat cum illa impunum quasi corpus & confluat: sic eam uolumus aliarum artium ac disciplinarum, tāquam aquarum & fluminum accessu, uberiorem fluere. Itaq; nulla est earum artium, quæ liberales sunt, & ingenuo homine dignæ existimantur, non suscipienda adolescenti, quatenus commodum sit, hoc est, ut tantum in unaquaque ponatur temporis, quantum fuerit satis: nam neq; erit negocium difficile, & illæ tamen societate & consensu quodam nexæ inter se & colligatæ sunt, ut qui in unam penitius intrarit, facilem sibi aditum patefaciat ad cæteras. Itaq; antiqui illi Græci,

qui

qui hæc curiosius & in maiore ocio quàm nostri tra-
ctauerunt, cum cernerent ad perfectam summamq; sa-
pientiam, quam illi in gubernatione rerum publicarũ,
& in excellendo ac præstando cæteris hominibus con-
silio ac eloquentia positã arbitrabantur, iter esse per
huiuscemodi artes, præceptores quidem dicendi simul
& sapiendi, quos illi Sophistas uocabant, quasi ciuilis
prudẽtiæ magistros, impenso cõducebãt precio liberis,
ut affixi illis semper, ab eorum latere nunquam disce-
derent. Ad alios uerò doctores, Geometras, Musicos,
Astronomos, filios tanquam deambulatum iubebant
duci: apud quos tamen aliquid reperirent quod operæ
precium esset addiscere. Sed cũ ætas puerilis & paulò
etiam magis adolescens, plurimo igni citata & uiui-
da, quiescere nullo pacto queat, semperq; in agitatu
motuq; sit, nec garriendi, cursandi, clamandi consti-
tuat modum, quas putauerunt artes regendæ illi ætati
et temperamento quodam fingendæ idoneas potißimũ
esse, eas primas adhibuerunt, gymnasticam uidelicet et
musicam: quarũ altera corporis in puero motus, alte-
ra animi, effusos ipsos per sese & immoderatos, sub
leges quasdam redigeret: ut cũ suos naturæ cursus im-
petusq; permisisset, affingeret tamen quiddam ex arte
& disciplina, quod cùm uenustatem omnibus illis mo-
tionibus, tum corpori ualetudinem, animo modestiam
præterea posset afferre. Ac quod ad corpus quidem &

eius exercitationes attinet, permulta ex illo antiquo usu contraria consuetudine sublata sunt: non enim nos neq; frequentibus balneis utimur, neq; quotidie lauamus, quod illi studio faciebant: nec oleum iam diu aut palæstram ullam nouimus: tantum quæ erant Romanæ *exercitationis propria, in nostris moribus remanserũt pleraq;, equitare, currere, pila ludere, iaculum mittere, certare rudibus, & si qua eiusmodi sunt ad laborẽ corporis ualetudinemq; spectantia, quæ non tã sunt artis, quàm studij, & in quibus decor omnis accersendus est, non à præceptis magistri, sed ab ipsius ingenio & modestia adolescentis. Vnum etiam reliquum est cõmune gymnasticæ & musicæ, agitandi corporis artificium, quod in choreis situm est, & in ipsa arte studioq; ad fidiũ sonitum tibiarumúe saltandi. In quo ipso tamen musice priores partes obtinet, ad quam, quoniã de gymnastica satis est dictũ, eis coloribus quos probauit antiquitas in puerorum animis, depingendam iam transeamus.* PAV. *Quàm uereor, ne hoc quicquid ego didici musices, ex eo genere sit, quod tibi minus probandum esse uideatur: quanquam ego iamdudum ab illo propè desueui, & ut tu uidere potes, minus minusq; eo quotidie delector, & ad hanc grauiorem & nobiliorem musicen, quam conspicor in poëtis, libentius me dedo, quæ animum meum illis numeris & dignitate ac grauitate sententiarum propè in cœlum rapit.*

pit. IAC. Quod didicisti Paule de uocibus & tonis (sic enim uos appellatis) aut tollendis in acutum, aut rursus in graue deprimendis, itemq; de certis falsisq; uoculis, necnon de eo quantum integer tonus, quantum dimidiatus pendat, quæ sit in diapason uis, quæ in diapente, qui gradus uocum numeriq;, & ipsorum inter se permutationes, quæ cui uoci cum uoce quaq; consonantia, & si qua sunt talia musici ludici documẽta, nõ inficiabor ea abs te et ritè & necessario percepta esse. Sed harum rerũ cognitio est non difficilis: illud uidendum, ne malo usu ars sine dubio ad hominis naturam imprimis accommodata, si corrupta ea sit, mores dein de quoq; & animos nostros ipsa corrumpat. Etenim nihil est profectò ad obligandum & comprehendendũ animum numero potentius, nec quod se magis illi insinuet, aut normam legemq; præscribat, quemadmodum eum uelit moueri & affici. Declarat hoc tacita ipsa sæpe lectio oratorum & poëtarum, quando in utrisq; numerus modiq; sunt, & mensuræ interuallaq; uerborum, etsi in poëtis id multo est expreßius: sed tamen hos cum legimus, sentimus nos intus affici, & quà numerosa illa uis sese inferat, cum hac unà ferri, & in omnem partem pertrahi sensus nostros. Quòd si uox cantusq; accedat illi compositioni accommodatus & congruens, uix ullam animi robur obstiterit, quin det manus, & se ducendum tanquam addictum præbeat.

Quid ergo est? quo plus in hoc genere est actionis & uirium, hoc magis prouidendum erat (quod tamen nequaquàm fit) ut ne cuiq; liberum esset, quemadmodum quisq; uellet musicæ modos & uariare & flectere, sed statis quibusdam & publicè probatis omnes cogerentur uti. Quod quidem antiquitus Lacedæmone usque eò seuerè fuit obseruatum, ut Timotheum citharœdum nobilem imprimis magno concursu artem Spartæ profitentem, quòd chordam unam addidisset in cithara, tanquam soluentem leges, & labefactantem iuuenum disciplinam, illa ciuitas exterminandum curauerit. Quòd si quæratur qui modus sit in musicis tenendus, hæc ego omnia attendenda esse puto: cum co[n]st[e]t chorus ex tribus, sententia, rhythmo (hic enim numerus nobis est) & uoce. Primum quidem omnium & potissimum sententiam esse, utpote quæ sit sedes & fundamentum reliquorum, & per se ipsa ualeat non minimum ad suadendum animo uel dissuadendum: numeris autem modisq; contorta penetret multo acrius, si uerò etiam cantu & uoce fuerit modulata, iam omneis intus sensus & hominem totum poßideat. Videndum est igitur acutè uel ciuitati, si quæ fortè aliquando publicè huius rei susceperit curam, uel priuato ciui, qui bene & pudicè erudiendi filij certè sit curiosus: ita ut addiscatur ista ars, ut quod subiectum materiesq; est artis, uerba uidelicet & sententiæ, ex genere eo sint,

quod

quod ad optimos conseruandos alendosq; mores ualeat plurimum. Quod idoneè fiet, si aut laudes clarorum uirorum, eorumúe dicta & pronunciata ad uirtutem pertinentia, aut diuinæ res, & de Deo ipso ea prædicabuntur, quæ habent illius bonitatis, benignitatis, clementiæq; commemorationem, cum maxima nostra utilitate beneficijsq; coniunctam: cuiusmodi primum scripsit in Originibus Cato, usurpatum fuisse apud ueteres Romanos, ut post epulas ad tibiam fortiũ uirorum laudes, & præclara in patriam merita canerentur. Altero interdum utuntur poëtæ, ut apud Virgilium Iopas, de sole, & luna, & cœlestibus rebus illic canens: apud nos uerò sublimius multo atq; sanctius, qui sacris numeris diuinæ potestatis & erga nos beneficentiæ mysteria cecinerunt: quod & nuper musis omnibus approbantibus fecit homo ingenio & eloquẽtia, et Christiana pietate in omni poëtica facultate præstãs, Actius Syncerus. Hac quidẽ basi supposita et collocata, adhibẽdus iã deinceps numerus est: qui nequaquã poterit profectò fluidus esse, & mollis, & inconstans, si dignitatem illius sententiæ aptè debeat modulari: sed habebit suauitatem austerã et uirilem necessariò, grauesq; consectabitur modos. Non enim aut natura ipsa fert, aut nostra potest pati expectatio: ut factũ egregiũ Mutij Scæuæ si quis narrando astringat numeris celeribus, id iambis debeat euoluere: festinationis enim &

auiditatis, & turbati iratiq; animi pedes illi sunt non constantis inuictæq; uirtutis. Neq; item deuotio illa Deciorum, *& in medios hostes procursus, cùm se illi pro patriæ salute ad certam proiecere mortem, molli bus elegis aut fluentibus dithirambis uinciendus est: sed horum quærit carmen, ut dignitatem rerum par numerus consequatur.* Porrò *sententia & numero con sonantibus non poterit uox illis solidum & uirile te= nentibus ipsa infracta & muliebris esse, qui iam erit concentus non solùm ad bonos mores & disciplinam utilis, sed etiam, ut mea fert opinio, iucunditate ipsa, & amœnitate longè superior; non enim dulci quodam ueluti decocto satietatem citò afferet, & sensus fasti= dio abalienabit, sed suauitatem autoritate condiens te nebit diutius, atq; in adolescentium animis insinuans præclarum illud fœdus honestatis cum uoluptate, quod caput esse bonorum morum diximus, idoneum erit, id & conciliare in animo, & conseruare.* Hanc ego mu= *sicam & tibi* Paule, *& omnibus adolescentibus qui uir tutis uolunt esse studiosi, & sectandam cupidè, & fir= miter comprehendendam præcipio; quanquam tu qui dem nostra monita tuo studio antecedis.* Nam *ista quæ nunc uulgò & passim celebris est musica, quid habere in se potest recti ac decori, quæ aut nulla uerborum ser me & sententiarum sede suffulta sit: aut si etiã habeat subiectam aliquam sententiam, illius tamen sensum ac* notio=

notionem concise fractis ac uibratis inter fauces uocibus infuscet et impediat? quasi uerò iccirco reperta musica sit, non quæ mulceat temperetq; animos, sed quæ auribus tantum deseruiat, & imitetur uolucrum ac bestiarum cantus, quarum tamen similes esse nollemus. At hoc est corporeum animum efficere, & minimè cōpotē sui. A quo iure optimo cū abhorreret Plato, huic esset tali in sua ciuitate noluit locum: namq; ubi molles infractæ, uoluptariæq; sententiæ paribus numeris, & simili uocū modulamine proferuntur, uel ad libidines fluxæ, uel in doloribus languentes, uel ad subitos turbidi animi motus præcipites, et concitatæ, quam tu ibi labem uirtutis, quam bonorum morum uastitatem fieri putas? Et nimirum hoc modo primùm pristinum suū morem rectum & laudabilē corrupit Græcia theatris & scenis nimium frequentandis, chorisq; illis imprimis adsciscendis, qui suauitate aures, animos autem maximè affectionibus uarijs permouissent: inde in urbem Romam deuecta illa pernicies, neruos antiquæ grauitatis perfregit, & discidit. Nostra autem hac ætate quid sperari debeat boni ex huiuscemodi musica, promptum est cognoscere, cum uideamus quibus moribus sint hi, qui eam tradunt & profitentur. Quamobrem non illa hæc est digna homine libero, sed quam paulo antè protulimus, laudabili sententia, grauibus numeris, uoce uirili ad studium uirtutis animum accēdentem.

tem. Cui si adiungatur praetereà motus agitatioq; corporis ad sonum numerumq; conuersa, iam saltatio exoritur, & choreae ipsae, quarum nos usum non penitus interdicimus adolescentiae, rarò modò illae & sobriè exerceantur: non inutiles erunt exhilarandis animis, & ex studiorum labore & contracta illa cura reficiendis. Verùm missas eas facere celeriter oportet, & saltationem totam deserere: maturè enim fit incepta, neque potest cum grauitate uirili, sedatioribusq; moribus ullo pacto in unum locum tempusq; conuenire. Paulatim deinde quoq; cantus & uocis modulatio relinquenda est, ut ne utamur ea ipsi, non ut ne audiamus utenteis alios. Nam auditio cuicunq; aetati concessa sanè sit, etiam senectae, & ultimae, dũ modicè fiat, neq; nimis dedita opera expetatur. Rhythmos quidem & sententias numeris astrictas ex illo genere graui, siue in legendis poëtis, siue in carminibus interdum etiam pangendis, omnis uitae comites uolumus esse. Habent enim amoenum iuxtà atq; opportunum à seuerioribus saepe studijs & publicis curis occupationibusq; diuersorium. PAV. *Percepi planè mi pater, & quid tu adsciscas, probesq; in musicis, & quid repellas: dabo operam igitur ut tibi in utroq; ac ueritati ipsi satisfaciam.* IAC. *Ne Arithmetica quidem Paule non aduocanda est in caeterarum consortium disciplinarũ, quae est ipsa ars & scientia numerandi; cuius usus ita nobis*

nobis necessarius est, ut uideamur absq; ea ne quot digitos quidem habeamus in manibus, aut quot oculis intueamur scire posse: qd' ridiculè uidetur accidisse priscis hominibus ante Palamedē, *cuius hoc inuentū apud* Troiam *fuisse fertur: quo quidem tempore neq;* Agamemnon *tanti exercitus dux, neq; is qui in consilijs excellere ab* Homero *dictus est* Nestor, *neq; uerò* Vlysses *mortalium omnium uersutißimus, numerum earū nauium, quibus appulerunt ad* Troiam, *potuissent dicere. Sed fabulis mißis, huius artis scientia atq; exercitatio adolescentibus tradenda est, quatenus quidem expedit: principia enim certè percipiēda sunt, & introrsum nonnihil penetrandum, ut numerorū differentias, parisq; & imparis uim, ac ipsorum inter se multiplices ac uarios intelligamus nexus, responsusq; propè mirabiles referentiū certis interuallis & spacijs priores in numeris antecedentibus affectiones ac notas posteriorū semper numerorū, ac si qua sunt alia eiusdē modi, quæ cum ingenua oblectatione noscendæ artis liberalißimè ad acuendum excitandumq; ingenium præcipuè idonea sunt, mentemq; præterea à corporeis abstrahunt rebus, & ad meliorem suimet usum conuertunt: ut sua ui nixa, neq; sensibilium rerum diuerberata cogitationibus, in illa æterna & immobili ueritate intuēda firmius hærere poßit. Id quod scientia hæc habet imprimis. Est enim numerorum ea natura & uis, ut nullo aut*

lo aut minimo commercio cum fluxis rebus, & nunquam in eodem statu manentibus implicata sit, sed tanquam pura & simplex, & sibi seposita uirgo, nō adeūtium oculis, nec manibus, sed castis tantummodo mentibus attrectetur. Quo etiam deterius sibi ex illa & suæ uitæ auspicium faciunt, qui illam eius partem, quæ in subducendis & colligendis summis posita est, quam ratiocinatiuam appellamus, conferunt ad quæstum, neque emolumentum ex ea sibimet ipsis, sed arcæ & loculis suis appetunt. Etsi enim huic quoq; ministerio apposita est, non alio fini tamen rectè usurpatur, quàm ut belli & domi bene geratur respub. & priuatæ quoq; rationes ordine administrentur, quæ sine hoc studio teneri ritè non queunt. Ac quæstus quidem ingenuis animis turpis semper & sordidus est: recta autem communis rei priuatæq; gubernatio, sapientis hominis propria. Quid quòd ab ista arte cæteris omnibus artibus, quas mathematicas uocamus, principia traduntur, nec sine hac illæ suū munus obire possunt? Quid enim sine notione numerorum Musica? Quid Geometria? Quid ipsa cœli & syderū speculatrix Astrologia potest efficere? Quæ cum artes ab hac arte numerum tanquam animum acceperint, uestiunt deinde illum ipsæ, & de suo aliquid quasi corpus adglutinant: ut uerbi causa, Vnitati, qua nihil est in natura rerū simplicius, neq; in seipsa contractius, & ab omni omnino aliena re absolutius,

lutius, situm & positionem Geometria addit, Musica sonum, uisum etiam & motum adiungit Astrologia. Quid? Geometriam quibus uerbis honestabimus? cuius uis disciplinæ latius etiam permanat, & in omneis artes penitus opificiáq; humanæ uitæ diffusa est. Cum enim puncti sit, linearum, superficierum, figurarum tã in plano, quàm in solido scientia, certißimisq; nixa rationibus & fundamentis, nusquam labatur, nunquã titubet, cum admirabiles præbet in tuenda ueritate animis uoluptates, tum omnibus apta rebus non solùm atque apposita, uerùm imprimis etiam & maximè necessaria est. Illud enim quod unum cõtinet omnia, quæ arte & manu effici solent, libratio ipsa & collocatio, & unius ad alteram proportione facta commensio, Geometrica tota est: neq; starent tecta urbium & moenia, illáq; ampla & præclara operum monumenta, quæ in templis, theatris, fornicibus uetustis Romanæ urbis adhuc conspicimus, non tanta admiratione nos afficerent, nisi Geometricis fuissent elaborata mensionibus. Quid columnæ, porticusq;? Quid belli instrumẽta, & machinæ? Quid fingendi, pingendi, & aut ex ære, aut ex marmore cudendi tantis opificum ingenijs nobilitata quondam, & solis ingenuis permissa ars? ipsáq; tota nauigatio, & locorum, orarũ, regionũ, littorum ex geographia sumpta descriptio? agrorumq; dimensus, & aquarum deriuationes? ac deniq;, ne singula

gula memorem, quicquid uel oculis spectabile & magnificum, uel ad usus uitæ commodũ ac necessariũ est, huius omne est artis & geometricæ facultatis inuentum. Quanquam quid nos manufacta recensemus? cum ipsa hæc cœlestia quæ supra nos circũq; torquentur, quorũ & species & utilitas nulla est oratione explicabilis, ipsaq; itẽ ista leuis et grauis in inferiore mundo & cõmutabili connexio librataq;, paribus momentis æqualitas, qua diuersæ res, & plurimũ inter se repugnantes, ita ligantur & uinciuntur unà, ut cùm se alternæ maximè fugiant, sic maximè contineantur, ratione geometrica quidem, sed ea diuina, fabricata sint. Hanc tantã huius artis uim & potestatem cum intelligeret Archimedes, qui unus fuisse traditur in hac scientia longè omnibus præstans, dictitare solitus erat, confidere sese, si alter inuentus foret terrarũ orbis, hũc posse ad illum applicare & adiungere. Et sanè ea ille de se indicia perhibebat, ut nõ id loqui temerè, neq; inaniter & falso gloriari uideretur. Ponderũ enim & mẽsurarũ rationes, quibus reguntur diriguntúrq; omnia, cum ex Geometria optimè calleret, intelligebat earum uim non quotidianis modò his instrumentis subsidijsq; cõmunis uitæ, sed maximis etiam uoluendis & moliendis rebus idoneam esse. Atq; hic tantus uir, qui patriæ suæ obsessæ contra exercitus Romani uim, et maximi imperatoris uirtutẽ, propter Geometriæ & põderum

derum scientiam unus fuit auxilio: reprehensione tamen non caruit, quòd scientiam hoc ipso in primis nobilem, quòd à sensibus oculisq; remota, sola mentis ui intelligentiaq; nitatur, quasi direpto honore produxisset in publicum, Etenim apud illos eruditos Academiæ pulueres, ubi ista quondā liberalius tractabantur, potior quædā & magis occulta expendebatur huiusce artis uis, fructusq; petebatur alendis atq; ornandis bonis ingenijs multo uberior, qui non in oculis & admiratione uulgi, sed in ipsius ueri contemplatione artisq; speculamentis, quæ theoremata Græci uocant, positus esset, quæ perpetua serie aliud ex alio, tanquā orta tractaq;, sic subtiliter, uerè, perspicueq; monstrātur, ut illa cognoscēdi suauitate contētus animus nil amplius requirat: ne suæ tranquillißimæ uoluptati, populari extrinsecus plausu uelit obstrepi. PAV. Dij immortales, tot'ne & tanta nobis cognoscenda esse præcipis, præsertim properantibus ad philosophiam, quæ uideantur singula unius ætatem hominis distinere facilè posse? etsi tibi ego assentior, fateorq; debere omnia percipi, si etiā potis est, ad eamq; rem sane alacris animo sum. Sed audio tamē sæpe permultos accusantes breuitatem hominum uitæ, & difficultatem, ac magnitudinem huiuscemodi artium uerbis exaggerantes, quasi earū finis nulla capi poßit. Itaque habent illud Theophrasti identidem in ore, qui moriens accusasse naturam dicitur,

tur, quæ brutis animantibus, uolucribusq; nonnullis per longa uiuendi spatia tribuisset, cum eorũ nihil illa res interesset: hominem uerò qui esset ad intelligendum et contemplandum natus, tunc potißimum extingueret, cùm is mente & ratione bene uti uix cepisset. Quorũ de opinione quid sentias, itemq; ad philosophiam percipiendam quam præcipuè sectamur, ecquam in istis quas commemorasti, artibus opportunitatem esse constituas, audire, si placet, sanè uelim. IAC. Maximam Paule, ut tibi ad posterius tuum respondeam prius, neque eam simplicem & uniusmodi, sed multis rationibus utilem & accommodatam: nam cum omnis cognitio & scientia est liberalis, tum aũt artes hæ, de quibus iamdudũ loquimur, illius ipsius, quam appetimus, philosophiæ, tanquam unius magni corporis quasi mẽbra quædam sunt. Quicquid enim in rerũ naturis tractandis noscendisq;, quocunq; illæ è genere sint, & in illarum uerò intuendo uersatur atq; inhæret, totũ sub ditione philosophiæ est, ac lumine illius, tanquam ueritatis radio illustratur. Porrò in Philosophia quædam sunt quæ cæterorum maxima præstantißimaq; habentur, qualis est de summo omnium bono cognitio, deq; eo quod summè est, quodq; cæteris causam, ut sint, præbet: & si qua sunt alia eiusdem modi naturæ illius eximiæ & principis cognata atq; affinia: ad quæ intelligenda, quoniã in excelsißimo mentis loco posita sunt,

per

per huiusmodi studia & disciplinas, tanquam per cliuos gradusq; scanditur : multaq; adhibentur ex hisce ipsis facultatibus mentē animūq; adminiculātia, & in sublime tolli adiuuantia: sine quibus labare atq; errare ferme esset necesse, ut harum in hac quoq; parte egregia artium opera utilisq; reperiatur: uerùm illa palmaris, quòd auocant animum à sensibus, ipsumq; docent, per semetipsum quæ consideranda sunt, ea seorsum à sensionum corporearum strepitu, solum in semetipso considerare & cernere, quod est maximè certum & proprium philosophi munus. Nam cum naturas rerum omniū, & illud ipsum quòd sunt, uel summouerit procul natura à conspectu nostro, uel quas etiam obtulit, & tradidit nobis penè contubernales, tantis eas tamen inuolucris contexerit, ut aures, oculos, cæterosq; sensus permoueant modò, menti autem ipsi conāti apprehendere illud quod quidq; est, offundant tenebras: non fuit mediocris operæ, neq; exigui laboris, facere animum ipsum sibimet uiam per mediam turbam, concursionemq; sensilium, & illud ipsum inuenire, quòd quæque res una est, unum ipsum scilicet idemq; semper, neque tēpore ullo, neq; mutatione uariabile. Quod quoniam nullo pacto fieri potuit, nisi cohercitis & reiectis sensibus, ac illis etiam imaginum similitudinibus, quæ ex sensionibus rerum exterarū introductæ in animum atq; impressæ uolitant uagæ, contemplantiq; obstre-

C punt,

pũt, silere penitus iußisti: idcirco ut quæq; ars sic se gerere animum, atque à sensibus quoad potest discedere, redireq́; sese maximè docet, ita maximè ad philosophiam utilis ea atq; opportuna est, quòd in his numerandi metiẽdiq́; disciplinis præcipuè licet cernere: illæ enim menti ea tractanda cogitandaq́; proponunt, quæ à motu, quæ à sensu, quæ à tempore, quæ à uarietate, à discrepantia, à contrarijs pulsionibus penitus remota alienaq́; existunt, perpetuamq́; obtinent & immutabilem in seipsis cõstantiam ac ueritatem. Quæ cũ sit familiaris philosophiæ facultas, mathematicæ istæ artes & scientiæ, uel quòd animum sic erudiunt, ut solus ad speculandum sua ui niti & confidere consuescat, uel quòd ipsæ quoq; philosophiæ partes & membra quodam modo sunt, ad illam ipsam aspirantibus noscendæ quadã tenus, nec sine honore debito sunt prætereundæ. Nam quòd magnitudo earum deterreat non nullos, & desperare penè sibi cogat, non est hoc artis, nec difficultatis ex arte, sed imbecillitatis, & desidia uitium. Equidem nõ eo inficias, esse in artibus ipsis non difficultatẽ mehercule, neq; operositatẽ (ut ita loquar) abhorret enim res à natura uerbi, sed subtilitatem potius, & abstrusionem quandam rerum intelligibilium, nequaq̃ expositã populo, nec patentem hebetibus tardisq́; ingenijs, quæ tamẽ acutorũ, & ualentiũ ingeniorum aciem non effugiat, quo illa paruo ductu exiguaq́;
mon-

monstratione intenta, tam facilè tamq; celeriter penetrant, nō ut alienas & inhospitas peragrare regiones, sed uti in suo regno dominari uideantur. Est *enim permagna hominum ingenijs innata uis, in quibus illa hominibus ab natura bene locata & constituta sunt: atq; ita magna, ut neq; numero rerū, quas concipiūt apprehendunt'que, uincantur, neq; amplitudine & mole opprimantur, nec tenuitate acumineq; frustrentur.* Sed *quemadmodū oculi, quibus à natura uegeti & perspicaces sunt traditi, facili leniq; cōuersu in quam se cūq; dederint partē, celeriter omnia & sine labore quæ uolunt contuentur:* Sic *mens bene instituta, & subornata à natura ad omnia cōprehendenda in quæ intenderit, est perspicax.* An *si hoc esset difficile, tantopere plurium artium scientia & copijs se instruere, tot olim è scholis* Græciæ *doctißimi homines prodijssent, illāq; magnificam & gloriosam (ut tum quidē uidebatur) promulgassent uocem, sese paratos esse omnibus quacunq; de re quis quæreret, statim respondere?* Quod *primus fecisse traditur* Leontinus Gorgias*: cui quidē ob eam rē tanti honores à cōmuni* Græcia *habiti sunt, ut ex omnibus uni non inaurata* Delphis, *sed aurea statua collocaretur: quæ tamen nouæ ostentationis profeßio principiò id admiratione habita, postea turba & multitudine idem facientium, profitentiumq;, euiluit: atq; alij tamen suo ingenio & studio ostentando, artiū*

istarum, quas liberales dicimus, & bonarum literarũ regionibus se tenuerunt. Hippias *uerò, qui in* Olympio*rum celebritate totius Græciæ multo maxima, non solùm ingenuas omneis disciplinas callere sese, earumq́; idoneum cuiuis autorem & magistrum se fore professus sit, se palàm audiente* Græcia, *etiam annulũ quem in digito haberet, soccos quibus indutus, pallium quo amictus esset, ab sese factos & fabricatos gloriatus est, non'ne declarat nullam esse artem quæ effugere hominis ingeniũ aciemq́; poßit? quanquam iste quidem fortaßis nugator, et cæteri cum illa gloria nõ ferendi.* Ad *illos te reuoco, qui summam uim & gloriam perfectæ sapientiæ sine ulla ostentatione consecuti sunt.* An *tu putas quicquam fuisse in rerũ natura, aut in ullius artis scientia, quod aut amplitudinem prudentiamq́;* Pla*tonis, aut acumen ingeniumq́;* Aristotelis, *aut ubertatem* Theophrasti, *aut* Polemonis, Arcesilæ, Chrysippi, Carneadis *copiam diligentiamq́; prætererit? quanquam horum quidem talium & multitudine & gloria redundauit uetus* Græcia, *ut singulos nominari non sit necesse.* Nostri *in hoc genere infrequentiores, quod accidit fortunæ uitio.* Vix *enim aperto ad philosophiã aditu, primus* M. Varro *ueterum omnium doctißimus, deinde flumẽ illud aureũ eloquentiæ* Cicero *eò se immiserat,* Romanaq́; *ingenia secũ pertrahebat, cùm repetè cõmutato reip. statu, barbari & mores et literæ silen-*

tium

tium optimis artibus indixêre. Sed ut ab illis antiquis seculis ad nostra tēpora deueniamus: nō te puto arbitrari eū quē maximè miraris, quē semper in manibus habes, quē aßiduè legis, Petrū Bembū, sine multarū disciplinarū cognitione & sciētia ad tam eximiam laudem eloquentiæ totiusq; sapientiæ peruenire potuisse: in quo quidem homine maximum est ornamētum ætati nostræ constitutum, & mihi singularis ex eo lætitia, quando nos inter nos sanctißimo fœdere amicitiæ iam inde ab adolescentia coniuncti, nihil germanis fratribus in amore mutuo concedimus. Quid de Hieronymo Aleandro? Quid de Desiderio Erasmo dicam, hominibus doctißimis, et omnium artium ac doctrinarum cognitione, usu, memoriaq; celebratißimis? Quid de Andrea Alciato nostro? ac ne longius abeas, tuus Paule Gregorius Lilius, cuius tu primò, cum patre tuo etiam dum cum esses, autoritate & diligentia bonis literis imbutus es: non'ne complurium doctrinarum scientiam sine difficultate tanta assecutus est? Nam is quo cum ipse aßiduè uiuit, quem nos quoq; admirari soliti sumus, uir clarißimus & nobilißimus Ioan. Frācisscus Picus, cuius tandē sciētiæ aut disciplinæ expers ullì unq̄ uisus est? qui cū haberet domesticū exemplū quod imitaretur, hominis omnium in omni uirtute & doctrina maximi, Ioannis Pici patrui sui, suo ingenio diligētiaq; perfecit, ut non illum desiderare iam mortuum, sed eū

in huius ipsius eodem sanguine procreati, doctrina & moribus recognoscere poßimus. Verùm ne sit infinitum numerare omnes, qui studio acri atq; ingenio præditi in pluribus artibus facultatibusq; uiguerunt, sic in præsentia concludamus. Cum hæc quæ in ingenuis & præclarißimis artibus posita sunt, habeant quandã in dißimilibus generibus, consimilem tamen ad quærendũ & inuestigandum uiam, per quam tanquam uno eodemq; spiritu omnia contineantur: facilè patêre ea bonis & acutis & uigilantibus ingenijs, ijsq; ad comprehendendum parata expositáq; esse: tardis autẽ, atque hebetibus, et imbecillitate desidiaq; corruptis apparere difficilima, uerißimè ut dictũ esse uideatur, aut citò ea percipi, aut nunquam: quod non uarietatis in illis, neque artium difficultatis, sed ingeniorum & uoluntatum omne sit discrimen. Nec si qui extiterunt, extantq; quotidie, qui singularem aliquam ex his artem cũ sibi tractandam cognoscendamq; proposuissent, omnem suam ætatem in ea cõsumpserunt, id sanè mirandũ est: quod idem potest contingere nauigantibus, ut cùm sibi portum aliquem proposuerint, quò uelint proficisci, capti fortè inter nauigandũ alicuius loci amœnitate, dimisso pristino cursu, resideant ibidem, & sua omnia componant. Properantibus quidem ad philosophiam (ut tu modò dixisti) in qua est portus nostris fortunis constitutus, hæc tanquam diuersoria capienda sunt, commorandumq;

randumq; in his, quoad expedit, & cognitioni satis sit, quæ hactenus esse debet, ut locorum situm & mores cultusq; hominum non tanquam ciuis & incola, sed ut curiosus uiator inspexisse uideare: ut cū eòdem fortasse redeundum tibi fuerit, non itineris monstrator quærendus, sed notum & familiare hospitium sit ineundū. Sic in disciplinis & artibus cæteris, per quas gradimur tendimusq; ad philosophiā, ipsa artium principia & fundamenta cognoscenda sunt, capitaq; illa rerum, è quibus omnis postea ad singulas tractandas & confirmandas res argumentatio ducitur, percipienda penitus, & in memoria sunt constituenda. Aliquæ etiam singulares noscendæ quæstiones, neq; omnes tamē quæcūq; in illa arte colligi & cōcludi possunt: id enim iam infinitū est, et in quo cōplures uiri boni tēpus omne suū atq; ociū disposuere, capti illecebra desidiosæ cuiusdā delectationis: parit enim ex sese semper aliquid atq; gignit ipsa in unaquaq; arte aßidua uolutatio, quod cum uoluptate contēplere, dum res cūctas minutatim obire uult, quæ sub illius artis cadunt notionem: nec modum sibi facit, nisi is se euoluat & explicet, qui quēadmodū Vlysses maiore ui ad se eijciendū nixus est, quàm ut ad Sirenarum cātus poßit adhærescere. Illud possum ego confirmare & polliceri audacter, si quis per hasce facultates & disciplinas contenderit ad philosophiam, & illarum cognitione doctrinaq; mediocri nō tam in-

ſtructus quàm imbutus, huic omnium ſcientiarum do-minæ totum ſeſe dediderit, fore uti poſtea cùm uſus ac-ciderit, ad illarum unam quamcunque rediens, & ali-quid in ea noſſe tractareq; inſtituens, multo id & faci-lius agat & melius, quàm ſi expers philoſophiæ in il-lius unius ſtudio ætatem totam contriuiſſet: reuertetur enim ex opibus copijsq; philoſophiæ, & animo & in-genio multo paratior. PAV. *Iam intelligo mi pater, & facilitatem illam quam dicis, & modum, & ordinē quem tenendum putas, prorſusq; ita agi oportere per-ſuaſus ſum. Sed quod ſæpius iam mihi te loquente acci dit, ut amore quodam ferrer ad philoſophiam, eò nunc uehementius me inflammari ſentio, quòd nihil uſquam præclarum neq; appetendum eſſe uideo, quod non ex illa, aut propter illam ſit. Ecquis igitur mihi ille erit dies, cum in tanti poſſeßione boni, Deorum immorta-lium ſummo, & tuo pater beneficio poſitū eſſe me co-gnoſcā?* IAC. *Et breue eſt quod tibi uiæ etiā nūc re-ſtat, & omnia futura ſunt tuo iſti animo facillima: ac moralis quidē philoſophiæ initia iam attigiſti, ad ſum-mas autem & altißimas philoſophiæ partes ac ratio-nes certa ſemita eſt, qua ego te deducam, cum curricu-lum hoc confeceris, quod tamen totū penè percucurri-ſti: cæteris enim liberalibus diſciplinis à te perceptis, Geometriæ aliquantum plus & Aſtrologiæ quoq; ſtu-dij ac temporis eſt impendendum: quod tamen utrūq;*

una

una æstas effecerit, at ita ut omnia è Græcis scriptoribus petas, quando latina perturbatius scripta sunt. Et quoniam de Astrologia adhuc nihil diximus, ne ea quidem silentio uidetur prætereunda esse, quæ est cœlestium, non tam naturarum & corporum (id enim philosophiæ munus est) quàm motuum illorum tot atque tantorum, & diurnarum ac nocturnarum concursionum circuitionumq; tam in uniuersis globis continentibus omnia, quàm in ipsis stellis sideribusq; scientia: cuius nō omneis partes, neq; singula articulatim membra nosse necesse est, nisi si quis illam artem uelit profiteri. Scire quidem quantum satis est ad philosophiam tendentibus, & quod in facultatis illius principijs consistit addiscere, certè humanum est. Quis enim est tam agresti animo, & tam auersus aureis suas ab ipsa uoce naturæ, qui non spectaculo & contemplatione tantorū luminū, ad aliquā eorū considerationem moueatur? aut qui nō studeat nosse locū in quo siti sumus, medius, infimus, an summus ille sit? ortus quoq; signorū & obitus, solisq; & lunæ, & cæterorum errantium conuersiones, tum dispares inter se, tum suis tamen unamquāq; spatijs & temporibus solennes atq; statas: astrorū quoque ipsorum unius ad aliud accessus, & plerunq; antecessus, subitos etiam interdū recessus: Defectus item (ut poëta inquit) Solis uarios, Lunæq; labores, Cur tātum oceano properent se tingere soles Hyberni, uel

quæ tardis mora noctibus obstet: et cætera eiusdem mo di · quæ qui percipere animis suis contēnunt, nō ut phi losophiā ijdē percipiant, sed ut homines esse existimen tur, magnopere est illis elaborādum. PAV. Verè ita est, nam si orta est ex admiratione cura cognoscendi & percipiendi, ut te sæpe audio loqui, nihil est profe= ctò rerum istarum quæ in cœlo sunt cōtemplatione ad mirabilius. IAC. Hoc quidem cursu Paule confecto (quoniam ad tuæ ætatis spacia iam accessimus, nihil enim tibi, aut paulum quiddam adhuc deest ex his quæ suprà dicta sunt (intrandum demum est in philoso= phiæ campos latos atq; patentes, eosdemq; feraces & frugiferos rerum omnium. quarum ad alendam bea= tissimam uitam usus esse aliquis atq; opportunitas po test: quod nos quidem facere in te cœpimus, qui te ad= mouimus ad Aristotelis Ethica: qua ex lectione intel= liges quæ tibi in moribus recta atq; ingenua sunt, usu & disciplina comparata non ipsam uirtutem esse, sed simulacrum imaginemq; uirtutis: cui tamen, ut alio lo co diximus, spiritum atq; animā philosophia infusura, & simulacrū exanime ac mutū, uitale simul ac uoca= le effectura est. Verùm huic philosophiæ studio Diale= cticā esse adiunctā oportet, quā eandē et Logicā appel lamus: cuius artis partem eā, in qua de figuris et modis argumentādi traditur, iampridem te docuimus, quarū ipse argumentationum multis iam rebus usum utilita-

tēq;

téq; cognosti: sed restant multa atq; ardua, quæ si intractata imperceptáq; sint, labare mentem nostram in maximis inuestigandis rebus fermè sit necesse. Est enim certa quædam uia & persubtilis ratio explorandi in quoque genere quo de quæratur aliquid, quid sit illius generis cognatum imprimis et proprium, unde ad cõcludendum & demonstrandum firmißimæ res argumentationesq; ducantur, quod hoc enucleatius scire, nosséq; oportet, quòd infinitæ penè sunt aptæ ad fallendum, & in se quidem ipsæ longè alienæ à uero, sed ueri tamen similitudinem præ se ferentes rationes: quæ non imbutos modò mediocriter, sed sæpe homines doctißimos eruditißimosq; peruertunt, stantesq; deijciunt, & circumueniũt cautos, quibus nisi arma dialecticæ scienter peritéq; tractẽtur, minimè poßit obsisti. Sed quoniã & hæc ipsa quæ nũc de dialectica dicimus, et totã illius uim & potestatẽ paulò pòst in ipsis Aristotelis libris nobis mõstrantib. cogniturus es, non attinet plura loqui, nisi id tantũ monere & præcipere, quoniã in ipso iam limine philosophiæ constitutus es, ut optimos autores scientiæ præstantißimæ, tibi semper legẽdos uolutãdosq; proponas: Platonem imprimis, & Aristotelẽ: quorũ quidẽ duorũ cœlestibus ingenijs admirabiliq; sciẽtia, iure se omnib. gẽtibus anteponit Græcia. tũ autem Græcos potißimũ interpretes: nã hos qui latinam scriptionẽ profeßi, barbara omnia pollutaq; reddiderunt,

diderunt, & inquinatis literis, præposterisq́; quæstionibus, magnas offuderũt philosophiæ tenebras, magnopere tibi uitandos & fugiendos esse sentio: nihil enim afferunt ingenui neque recti, sed cùm ueram ignorent philosophiæ uim, et rationes nothas, quas Græci sophismata uocant, pro legitimis & ueris rationibus consectentur, ad clamãdum quidem & litigandũ ualde robusti sunt, in doctrina uerò, & in ipsa sapiẽtia prorsus sunt imbecilles: qui etiã uanitate quadã ingenij ignorantiaq́; inducti, in eis rebus populi aucupantur famã, quarum eos rerum maximè pudere oporteret. Sed horum turba ineptijsq́; reiectis, tu Paule sic philosophiã amplexator, ut eam intelligas artem esse bene beateq́; uiuendi: nec intelligendi solùm, sed etiã agendi faciendiq́; magistram. Hæc tibi constãtiam & firmitatem in bonis moribus allatura est: hæc copiã & ubertatẽ pulcherrimarum rerum ac sentẽtiarum orationi tuæ suppeditabit: hæc te optimis instituet & consilijs & uolũtatibus, fideiq́; tibi erit et officij et integritatis semper magistra: hæc efficiet ut illud excelsum & erectũ et liberũ in animo, in quo inest dignitas, nunquã cedat fortunæ, non secundis ullis rebus, non aduersis permoueatur. Quòd si qui huc peruecti & uberibus philosophiæ aliquandiu aliti, ad alia uitæ studia deinde se cõuerterint, siue ius ciuile uoluerint exequi, siue reipub. curam domi belli' ue, siue quãcunq; aliam artem sectamq́; earum

rum quæ cum honore laudeq; suscipiũtur, sciant illi ad quam se cunq; dederint partẽ, & facilitatis multo plus in assequendo, & in agendo prudentiæ atq; industriæ esse secũ delaturos. Qui uerò in philosophia perpetuũ uitæ suæ domicilium cõstituerint, eos Dei potius similes, quàm ex cõmuni hominũ more ac natura iudicandos esse. Quorum quidem de numero te imprimis cupio esse Paule, ut tua ad uirtutẽ indoles, nostrũq; desideriũ optimo ac præclarißimo fini terminetur: egóq; qui nullos refugio, ut te erudiam et instituam, labores, hac potißimum in te posteritatis spe consolationéq; sustenter.

FINIS.

DE CORRIGENDIS STVDIIS, SERMO PHILIPPI MELANCHTONIS.

D. OTHONI BECMAN IVRISCONS. *Philippus Melanchton* S. D.

NON parũ refert ad uitæ tuẽde rationes, quo genere literarũ rudis ætas initio formetur: cũ ob alia multa, tũ hoc maxime quod nihil efficacius est ad mutãda ingenia moresq; hominũ, literis. Nã fere sẽper talis est unusquisq;

quisque, quale studia faciunt. Nec mihi bonae literae, nisi quae mentis bonae sunt, uidentur. Itaque praestat optimis iuuentutem erudiri: mores enim optimos optimae literae conferunt. At uideas hodie passim in Germania tale quoddam genus iuuenilium studiorum tractari, quod non modo sit ad omnem reliquam uitam inutile, sed omnino etiam perniciosum. Etenim deserta paedia, quibus nescio nugis ingenia caeterum felicia occupantur ac franguntur: philosophiam ipsi uocant. Non hoc dico quo a philosophia studiosos auocem, sed hunc philosophandi ordinem ac ductum non probo. Nec enim angustis adeo finibus circumscripta est philosophia, ut philosophari nihil aliud sit quam nugari. Maxima eius pars contempta iacet, ea uidelicet quae sola humanitatis nomine maioribus nostris digna uisa est. Adolescens quispiam ad Xenocratem adductus percipiendae philosophiae gratia, cum nondum quicquam Cyclicorum attigisset, sapientiae sacris prohibitus est. Sic enim ait Xenocrates: Οὗτος παρ᾽ ἐμοῦ πόκος οὐ κναφθήσεται. O nos felices, si recta studia Deum fauore renascantur, quae iam fere caput extrere in Saxonibus coeperunt. Proinde iuueututem uostram sermone nuper habito inhortatus sum, ut ad bonas literas laetis animis adspiret. Atque hoc unum egi paucis, ut intelligat quaenam sit barbaricorum, quae bonorum studiorum ratio. Neque dubito, cui satis utrunque genus cognitum est: conaturum totis uiribus, ut ea parte praestet, quae & optima est, & ab optimis sola probatur. Quae enim uesania fuerit, immenso labore, cura, nugas emere? Orationem tuo nomini

Humaniores literae contemptae à Sophistis.

mini Otho doctissime dedico, δλοσιν ὀλιγην τε φιλην τε. Debemus enim tibi quicunque literas profitemur, atque adeo ego multis sane nominibus, quem pluribus quotidie soles officijs cumulare. Hoc igitur munus qualecunque est, si de animo æstimes meo amplissimum ac pulcherrimum accepisti.

Vale.



NE EGO plane uidear impudens, atq; mei prorsum oblitus, in hoc coetu, magnifice Dn. Rector, eximij principes Academiæ, dicturus, quem (cum aliàs & ingenium, & umbratile studiorum genus ab huiusmodi theatris, & hac plausibili Oratorum quasi curia auocet) absterrere modò cum primis rei, quam acturus sum, difficultas potuit: ni mecum pietas in recta studia, tum officij mei rationes inhortentur, quo bonas literas ac renascentes Musas, quàm quod maximè, commendatas uobis uniuersis uelim. Illarum enim causam suscepi tutandam, aduersus eos qui uulgò sibi in scholis, doctorum titulos ac præmia, barbari barbaris artibus, hoc, est, ui et fraude arrogarunt, & hactenus ferè malitiosis ingenijs homines retinent. Germanicam iuuentutem paulo superioribus

rioribus annis alicubi conatam in hoc fœlix certamen literarum descendere, iam nunc quoq; non pauci, uelut è medio cursu, commento plusquàm Thracio reuocant, difficilius esse studium literarum renascentium, quàm utilius: Græca à quibusdam malè feriatis ingenijs arripi, ac ad ostentationem parari: Dubiæ fidei Hebræa esse: Interim à genuino literas cultu perire, philosophiam desertum iri: & id genus reliquis conuitijs. Cũ isto grege indoctorum congressuro, quis non intelligat uel Herculi non uno Theseo opus esse? adeò suscepto negocio non parum æquo dicar audacior: ut interim sileam uix posse hanc à me prouinciam administrari citra modestiæ periculum: qua, dispeream, si quid unquam rerũ humanarum prius duxi. Ardeo enim amore recti: & quum studia uestra uehementer iuuari adolescẽtes cupiam, fiet ut quædam liberius, quàm isti uolent, dicam. At quandó me huc siue ratio (ita enim uideor mihi) siue casus aliquis impulit, uolo hanc mecum, Clarißimi uiri, causam habere uos cõmunem, quorum industria, cõsilijs, operáq; fit, ut paßim à situ & squalore adserãtur literæ, natiuumq; nitorem ubiq; recepturæ sperentur. Placuit igitur paucis commonere iuuentutem illustris Academiæ nostræ, ut quantũ ad summam præclari instituti uestri attinet, intelligat quæ sit renascẽtium studiorum ratio: quæ illorum, quæ Barbari maiores nostri è Scotis in Galliam, è Gallijs in Germaniam

Indoctorum in bonas literas calũnię.

inuexerunt:

inuexerunt:ut ordine ac ductu generis utriusq; cognito, ipsi iudicetis, utrum maiore cōmodo, periculo minore, liceat amplecti. Atq; in hoc omnis oratio mea incumbet, uti spem uobis elegātis literaturæ (de Græca ac Latina loquor) faciā. Scio enim in ipso iam uestibulo plerosq; nouitate rei, si nō deterreri, certè angi. Præstabat autem orationis argumentum, & quasi filum, ab ipsis studiorum fontibus, & omnium seculorum literatis institutis ducere: sed ea scenæ alterius erunt. Iā quod attinet, breuibus barbara studia cum synceris cō mittam: docebo quibus auspicijs Latina discenda sint, et, Græca tētanda. Interim quæso dicentē benigni audite, id quod à uobis uel singulare meū erga uos studiū, uel ipsa literarum dignitas impetrabit. Annis ab hinc opinor octingentis, orbe propè uniuerso à Gotthis cōmoto, et à Lōgobardis deuastata Italia, simul cū imperio Romano Romanæ literæ sunt intermortuæ: quòd unà belli furor & bibliothecas exciderat, & Musas ocio, ita ut fit, negato extinxerat. Scitis enim quàm nō conueniat cum sapientiæ studijs, atq; adeò ciuiliū rerū cultu Marti, quē fingit Homerus noster cū Pallade acerbis odijs conflictantem, μαινόμενον, ut ipse ait, τυκτὸν κακόν. Quo ferè tēpore Gregorius, quē isti Magnum, ego præsultorē καὶ δαδαοῦχον Theologiæ pereūtis uoco, cæterū eximia uir pietate, Romanā ecclesiam administrauit, & infelicißimi seculi casum, Gregorius.

D quoad

quoad potuit, docendo scribēdoq; sustinuit. Sub id ætatis nemo, ut uidetur, nostrorū hominū fuit, qui aliquod insigne scriptum ad posteros dederit. Verùm hactenus in Scotis atque Hibernis literas diutura pax aluerat. Clarebātq; hi cū alijs quibusdam, tū maximè Venerabili Beda, Græcè & Latinè haud uulgariter perito: ad hæc in philosophia, Mathematicis, sacris sic erudito, ut cū uetustis quoq; cōferri posset. Interim frigebat Italia, frigebat Gallia: Germania, ut semper, armis, quàm literis instructior erat, eáq; tum potißimum in Italia sæuiebat: nondū enim uniuersa CHRISTVM profitebatur. In hunc rerū statū Carolus natus, cum fines Romani imperij pacasset, ad instaurandas literas animū adiecit. Nā & ipse præter multarū linguarum cognitionē, plerasq; disciplinas, quæ scholis debentur, expeditas & cōpertas habebat. Alcuinū ex Anglia in Gallos duxit: quo autore, Parisij literas ꝓfiteri cœperūt, auspicio certè læto. Nam puræ adhuc erantet accedebat Græcarū rerū mediocris peritia. Ea nobis ætas Hugones, Ricardos, & alios non peßimos scriptores edidit. Philosophia nō uti nūc ex Aristotele petebatur, sed totam sibi adseruerant Mathemata, quæ magnæ curæ tū literati omnes habebāt, id quod indicāt ueteres Monachorū diui Benedicti bibliothecæ, è quibus nemo clarus extitit, qui non opere Mathematico sit eruditionē suam egregiè testatus. Deinde usu res acta est, incideruntq;

Beda.

Carolus magnus

Alcuinus.

runtq; homines quidam, siue libidine ingeniorum, siue amore litiũ ducti, in Aristotelem, eumq; mancũ & lacerũ, & q alioqui Græcis obscurus, καὶ τῆς λοξίας similis uidetur, Latinè sic redditum, ut etiam Sibyllæ furentis coniecturas exerceret: huc tamen incauti homines impegerunt. Sensim neglectæ meliores disciplinæ, eruditione Græca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri cœpta. Hinc prodiere Thomæ, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, & reliqui, proles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quòd non solùm contempti ueteres studio nouorum, sed omnino si qui in eam supererant ætatem, ceu in Lethen ablegati, perierũt, ut dubites num alia re argutiarum autores plus nocuerint, quàm quòd uecordes tot milia ueterum scriptorum ad internecionem usq; aboleri paßi sunt. Talibus deinde, semel iuris diuini ac humani potestas facta est: ex horum decretis iuuentus erudiebatur. Proinde in sciẽtiam iuris ac rem medicam pariter posthac sæuitum est. Oportebat enim similem præceptoribus discipulũ esse, ut aiunt uulgo κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Hæc ratio studiorũ annos circiter trecentos in Anglia, in Gallijs, in Germania regnauit, ut ne quid interim dicã immodestius. Quàm pernitiosa, cõijcere licet propemodum ex his quæ dixi: atq; ut planè intelligatis, animaduertite. Primùm, desertis ueterum disciplinis, quando audax ista commentandi Aristoteles.

& philoſophandi ratio inualuit, ſimul Græca contē-
pta, Mathematica deſerta, Sacra negligentius culta
ſunt. Quo malo, quæ ſæuior peſtis eſſe potuit? Certè
nulla uulgarior unquā fuit. Nā cū ad eam uſq; ætatē,
& philoſophia tota Græca fuiſſet, & Sacrorum La-
tinæ literæ, præter Cyprianū, Hilarium, Ambroſium,
Hieronymum, Auguſtinū, nullæ inſignes extarent, &
Græcorū uſum uernaculū Sacra occidentis magna ex
parte eatenus habuiſſent: fieri nō potuit, quin Græcis
contemptis, unà quicquid cōmodi ſtudijs humanis phi-
loſophia confert (confert autem longè plurimum) de-
inde cura ſacrorum ſenſim interiret. Hic caſus, uerè
Chriſtianos eccleſiæ ritus ac mores: ille, ſtudia literarū
labefactauit. Aequius forſan alterius fortuna ferri po-
tuit. Nā & lapſantes literas, incorrupti eccleſiæ ritus
facilè inſtaurare poterant: & bonis literis, ſi quæ ſaluæ
manſiſſent, liberū erat ruinoſos eccleſiæ mores corri-
gere, animos hominū iacentes excitare, confirmare, et
in ordinem cogere. At uerò ſiue fato, ſiue noſtro uitio
euênit, ſimul bonæ literæ nō bonis, priſca pietas cere-
monijs hominū, traditionibus, conſtitutionibus, decre-
tis, capitulis, extrauagātib. gloßis δευτεροπράτων
mutata eſt: neq; retulit quod Nicena ſynodo Patres tā
prudēter cauerūt, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Auda
cior uidear alicui, quā ex uſu uel ætatis, uel ſtudiorum
meorū: uerùm, ut ſic dicā, res ueſtræ, ingenui iuuenes,
poſtulant,

postulant. Nam ut quidam segnius cũ bonis artibus in gratiam redeant, nimirũ in causa est, quòd nondũ quis quam eos liberè admonuit. Iam igitur cognoscite. quæ'nam sit illa barbarorum commentandi ratio, quæ è quibus manarit fontibus, audistis. Artiũ genera omnino tria sunt, λογικὸν, φυσικὸν, προτρεπτικόν. Logicũ uim omnẽ ac discrimina sermonis tractat: & cũ per ipsum in illa superiora sit iter, primũ formandæ pueritiæ rudimentum est, literas docet, proprietatem sermonis, aut regulis adstringit, aut collatis autorum figuris indicat quid obserues, id quod ferè Grammatica præstat. Deinde cum paulò progressus fueris, iudicium animis comparat, quo metas rerum, ortus, fines, ductũ, sic agnoscas, ut sicubi quid inciderit exactè tractandum, omnia quæ ad institutum pertinent, quasi in numerato habeas, & artis adminiculis ita sensus auditorum capias, ut dissentire temerè non queant. Hæ partes illius sunt, quam uos Dialecticam, alij Rhetoricam uocant: nominibus enim uariant autores, quũ ars eadem sit. Atq; hic docendi ordo quondam fuit, quum uigerent adhuc literæ, donec in bullatos quosdam magistros incidimus, qui scitis qua mole commentariorũ grammaticã primùm oppresserant. Sed quando ea reuixerũt, de Dialecticis uideamus, quæ adhuc ex Tartaretis, Bricot, Perucrsore, Eccijs, Copulatis, Bursæ Montis, Exercitijs taurinis & caninis, & alijs huius

Tria artium genera.

Dialectice & Rhetorice eadem ars

ſarinæ petimus. Licet hac parte mihi liberius agere, et iiſdem ego annos iā ſex perpetuos penè detritus ſum. Et cum rem probè meditatam habeam, nō erit difficile mihi ſuis eam coloribus pingere ac declarare, nō eſſe διαλεκτικὰ, quæ iſti amuſi inſcitiæ magiſtri profitentur. Primùm, Dialectica, methodus quædam eſt omniū quæſtionū compendiaria, διωκητική τε καὶ διακριτική, qua conſtat ordo & iudiciū cuiuſq; rei tractandæ, ut in quoq; uideamus, quid, quantum, quale, quur, quomodo. Si ſimplex ſit, ſi complexum, uerum'ne, an falſum. Simplicium diſcrimina, notionesq́;, iſti per loca ſenta ſitu cogunt, noctemq́; profundam. Complexórum doctrinæ, quas tenebras non offuderunt argutijs? Quales ſunt, Genus eſt ſpecies: Nullus & nemo mordent ſe in ſacco: Pariſijs & Romæ uēditur piper. Arcent ſoro ſuo, quæ non adſequūtur. Librū κατηγοριῶν aiunt dialecticæ tabulis non cenſeri, quum inde omne artificium inueniendi, ceu è fonte fluat, & κατηγορίαι non ſint, niſi μέθοδος quædam ſimplicium. Et hic argutantur, num ſingula genera generaliſſ. realiter (ut uocant) diſcrepent, atque de eo nondum inter Scotiſtas ipſos conuenit, multo minus cum factionis diuerſæ nominibus. Analytica poſteriora, cum ſint diſponendi ſeries, ac, ut Simplicius Peripateticus ait, canon ac amuſsis artificioſæ diſputationis, inter metaphyſica noſtri retulerunt: nempe quā

Dialectica quid.

quò rem per se non admodum difficilem, ac mirè utilem studijs honestè tractandis, & difficilem & inutilem redderent. Hoccine est illud docere quod iactant? haeccine sunt sine quibus pensum arti cuique suum reddi nequit? Haeccine sunt, quae tam splendidis philosophiae titulis auctionantur? At quanto minoris didicissent rectè sapere quàm desipere. Sed cohibeo animum, ne quem uel bonorum nimia libertas offendat. Vos à me adolescentes hoc unum agi putetis, utilius, quàm quod olim tractabant, studium uideri renascentium literarum. Equidem aliquot noui recti iudicij uiros, quibus cum saepe rem eandem contuli, prorsum nostrae sententiae omnibus calculis adstipulantes. Amicus mihi quispiam est non uulgaris, sub quo primùm puer praeceptore in Sueuis Tubingae dialecticis merui annum unum aut alterum, hactenus ut fratre semper familiarissime usus, Franciscus Stadianus, cruditione ac uitae genere tali, ut à bonis ac doctis omnibus certatim diligi mereatur. Is Analytica posteriora Sueuicae iuuentuti anno superiore praelecturus, à nobis Themistij libellos, quos Latinè reddidit Hermolaus, accepit. Addidi quaedam è Philopono transcripta, neque Graeca omnia satis mihi probantur. Admoniu insuper illic ab Aristotele Rhetorica doceri. Legit, relegitque, & quo est iudicio, protinus ad scopum aduortit animũ. Ibi re penitus cognita, & pro felicitate in-

Franciscus Stadianus.

genij sui aucta illustrataq́;, tot notabilibus, acceptionibus, distinctionibus exautoratis, causam integram ueluti recuperatorio iudicio restituit, scholæ simpliciter ac cãdidè summã rei τὸ ἄλφα καὶ ω traditurus. Ad hæc male precatus nugis, obnoxiè à me contendit, Aristoteli purgãdo socias manus adijcerem: conaturũ omnia sese pro uiribus, uti artium elementa uindicta barbarorũ liberarẽtur: primi nominis studia, à sordibus recipi non posse, nisi purgatis adolescentiæ rudimentis: id ferè quenque in summis posse, quod in infimis assueuerit; in summa, omnia sibi de grandioribus polliceri, si exercendæ iuuentæ ratio melior iniretur. Placuit amici consilium, & negotium unà literarium suscepimus: Dij reliqua secundent. Nunc quæso uos, quanti facitis huius uiri iudicium, cũ in alijs disciplinis οὐ παρέργως, tum in hoc genere summa cũ laude annos opinor decem uersati? Hoc egero uobiscũ teste, atq; eo sanè iurato, non esse in his uulgatis stromatis, quod probari cuiquã, præter personatos quosdam pfessores γαλλοὺς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους, queat. Iratas habeã Musas, ni hæc ita damnẽ, ut pro eis meliora felicioraq́; uos amplecti uelim: alioqui liberum per me cuiq; fuerit, quorsum uel usus uocat, uel ingeniũ trahit, sequi. Sat scio nullũ fuisse seculũ, neq; Græcorũ, neq; Latinorum, quod non sit egregiè nugatum philosophando: ueteres aliquanto quàm noui felicius.

Quare

Quare afferas ad ea studia oportet animum acrem & curam: deinde Magistrum adhibeas boni iudicij, qui seligat, quæ nã, et quatenus discenda sint. Dolet enim sanis, esse qui persuaserunt sibi, nisi hæc nugalia didicerimus, non fore ex usu quicquid studiorum affectemus. Modestus uir Socrates erat, qui cùm opinione sapientiæ uulgò coleretur, dicebat, Hoc unum se scire, quòd nihil sciret: illi contrà, hoc unum nesciunt, quòd nihil sciunt. Atq; utinã feliciter eos aliquando ὁ ἑρμῆς ὁ λόγιος uirga sua demulceat: ut expergefiãt, ut desipere se agnoscant. Vt euagarer lõgius, ipsa me rei indignitas perpulit. Volo enim fidem studiosis factam, aliud quoddam literarum genus utilius esse, quàm sit quod Copulata iactant: atque hæc in Rhetoricis nostris longius. Quin uideamus, & hoc facilé ne sit, hac enim se commendatione diuendunt: quasi uerò angustis adeò finibus contenta uirtus esse debeat, ut quod cuiq; procliue sit aggredi, cõtinuò idem honestum sit. Quantum ætatis homini datum est, nedum adolescentiam, insumunt, ut Euripos omnes (sic enim Nazianzenus uocat) Aristotelicos exhauriant: id quod nescio an unquam alicui contigerit. Subinde enim quod exhauritur influit, felicius id quidem, quàm quòd de Danaïdum dolijs ferunt. Adde quòd cùm se ueri scientiam meditari gloriantur, plurimum operæ fallacijs nectendisq; dolis linguæ nauant, ut festiuiter ludit Isocrates,

Euripi Aristotelici.

crates, cum ait: Οἱ προσποιοῦνται μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, εὐθὺς δ᾽ ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων, ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν. Deinde ex tot factionũ diuersis opinionibus, uix unã aut alteram quæ sibi constet, reperias. Solent enim, ut ex ueteribus theologis quidã primi nominis dixit, In omni humano dogmate, falsis uera, ueris falsa misceri, καὶ τὰ ἀληθὲς πολλοῖς ψεύδεσιν ἐγκρύπτεσθαι, ut Dionysij uerbis utar. Ibi uerò quanto agas negotio, quibus auditorẽ perfugijs trahas, dũ sentẽtiæ doctores inter se conueniant, nimirũ ut candida nigris: at nil refert, cadat, an recto stet fabula talo, modò clamatũ sit fortiter. Quãto satius erat hic uel τὸ ἐπέχειν nouæ Academiæ amplecti. Vereor ne molestum sit uobis audire tã inconditas nugas, alioqui exẽplis hæc cõprobarem nõ paucis. Interim partiũ studijs disceditur, aluntur odia, friget humanitas, cum à literis nihil abesse debeat lõgius rancore. Nam communia erant Musis & Gratijs quondam sacra. Horum studia, quæcunq; sunt, uel sola nutrit inuidia. Sic imbuti, quum ad sublimia, Theologiam, Iuris scientiã, aut rem medicam, effœtis iam annis pedem mouent, quid aliud defectis ingenij uiribus, quàm quod in ludo consueuerunt, agant? Nugantur ergo bis pueri senes: quanquam si cui paulò felicior est genius, lusisse pudet, sed non incidere ludum: Porrò uobis adolescentibus uestram gratulor felicita-

tem,

tem, quibus benignitate optimi ac sapientißimi principis nostri Friderici, ducis Saxoniæ, Electoris, contigit longè saluberrimis erudiri, fontes ipsos artium ex optimis autoribus hauritis. Hic natiuum ac syncerum Aristotelem, ille Quintilianum rhetorem, hic Plinium tantum non ditißimum pædiæ, ac ueluti quoddam copiæ cornu, ille argutias, sed arte temperatas, docet. Accedunt, sine quibus nemo potest eruditus censeri, Mathematica, item Poëmata, Oratores, professoribus non proletarijs. Hæc si cognoueritis, quo ordine tractanda sint, certò scio, & facilia, & admirandi profectus uidebuntur. Puerilia studia, quæ appellant προγυμνάσματα, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, eatenus discenda sunt, qua ad dicendū ac iudicandum instructus, fastigia studiorum non temerè affectes. Iungendæ Græcæ literæ Latinis, ut Philosophos, Theologos, Historicos, Oratores, Poëtas lecturus, qua qua te uortas, rem ipsam adsequâre, non umbram rerum, uelut Ixion cum Iunone congressurus, in nubem incidit. Hoc quasi uiatico comparato, per compendia καὶ εὐπετῶς, ut Plato ait, philosophiam accede. Nā in ea sum planè sententia, ut qui uelit insigne aliquid, uel in sacris, uel foro conari, parum effecturum, ni animum antea humanis disciplinis (sic enim philosophiam uoco) prudenter, et quantum satis est exercuerit. Nolo autem philosophando quenquam nugari: ita

enim fit, ut communis etiam sensus tandem obliuisca‑re: sed ex optimis optima selige, eaq; cum ad scientiã naturæ, tum ad mores formandos attinentia. In primis hac eruditione Græca opus est, quæ naturæ scientiam uniuersam complectitur, ut de moribus apposite ac copiose dicere queas. Plurimum ualent Aristotelis moralia, leges Platonis, Poëtæ, atq; ij sanè, qui & optimi sunt, & in hoc legi possunt ut animos erudiant. Homerus Græcis fons omnium disciplinarum. Vergilius ac Horatius Latinis. Necessaria est omnino ad hanc rem historia, cui si ausim, me hercle non inuitus uni contulero, quicquid emeretur laudum uniuersus artium orbis. Hæc quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit. Hac nulla uitæ pars, neq; publica, neq; priuata uacare potest. Huic administratio rerum urbanarum domesticarumq; debet. Ac nescio an minore incommodo mundus hic noster sole, animo uidelicet suo, cariturus sit, quàm historia, ciuilium negotiorum ratio. Consensu maiorum nostrorum celebratum est, Musas ex memoria natas esse. Eo, ni fallor, significatum, ex historia omne artium genus manare. Complector ergo philosophiæ nomine scientiam naturæ, morum rationes, & exempla. Quibus qui rectè imbutus fuerit, ille uiam sibi ad summa muniit. Causas acturus, habebit unde diuitem rerum ac amplam orationẽ con‑

Historiæ laus.

Philosophiæ nomine quæ cõplectantur.

dat:

dat: Ciuitatem administraturus, unde æqui, boni, iusti formulas petat. Nimirum hæc philosophiæ commoda Demostheni, clarißimo oratori, uisa sunt, quur tam accuratè eã adolescẽti cuidã cõmendarit, νόμιζε δὲ. reliqua ipsi in Erotico legite. M. Cicero nusquam non dedit philosophiæ primas: & audistis opinor, quid ille in comparatione Seruij Sulpitij, & Quinti Sceuolæ iurisconsult. Quendam σοφὸν Romani cognominarunt, admirati uberem in eo philosophicarum rerum scientiam. Verùm quod ad sacra attinet, plurimũ refert quomodo animũ cõpares. Nã si quod studiorũ genus, sacra profectò potißimùm ingenio, usu, et cura opus habẽt. Est enim odor ungueutorũ domini super humanarũ disciplinarũ aromata: duce spiritu, comite artiũ nostrarũ cultu, ad sacra uenire licet, sicut ad Herculianũ Synesius scribit, ἐξεζωμένως, εὐζυμοῦς διαβιώσης φιλοσοφίᾳ χρώμενοι ἐς τὸ θεῖον ποδηγετοῦσι, ἀξιάγαστε. Id si cui non uidetur, cogitet præter cætera & orichalcũ à Tyrijs in templi Solymi fabricã collatũ esse. Itaq; cùm Theologia partim Hebraica, partim Græca sit (nã Latini riuos illorũ bibimus) linguæ externæ discendæ sunt, ne ueluti κωφὰ πρόσωπα cũ Theologis agamus. Ibi se splendor uerborum ac proprietas aperiet, & patescet uelut intra meridiana cubilia uerus ille ac genuinus literæ sensus. Proximè cũ literã percepimus, sequemur elenchũ rerum.

Sacræ literæ.

rum. Facessent iam tot frigidæ glossulæ, concordantiæ, discordantiæ, & si quæ sunt aliæ ingenij remoræ. Atq; cum animos ad fontes contulerimus, CHRISTVM sapere incipiemus, mandatum eius lucidum nobis fiet, & nectare illo beato diuinæ sapientiæ perfundemur. Ac cum in uineis Engaddi cyperū legerimus, occurret sponsus saliens super montes, & transiliens super colles, ductos in palatia Edem בשמן תורק succo liquido, fragrante, impios animos diffluente inunget, ac morte osculi dignabitur. Illius mēbris inserti uiuemus, spirabimus, uegetabimur, Sion contemplantes, et silentio & εὐφημοῦντες solē adorantes. Hic cœlestis sapientiæ fructus est. Eam igitur quàm purißimè, nō interpolatam nostris argutijs, colamus. Id quod cum aliquoties inculcat Paulus, tū in epistola ad Titū sedulò à Christiani hominis doctrina exigit ἀδιαφθορίαν, integritatem, hoc est, ne lubrica sit fides. Deinde σεμνότητα, munditiem, hoc est, ne alienis literis improbè sacra contaminemus. Opinor quòd futurū sciebat, si sacris prophana miscerentur, fore, ut simul prophani affectus, odia, studia factionum, schismata, iurgia, consertim succederent. Proinde qui diuinis initiari uolet, Adam illum ueterem exuat oportet, ut incorruptibilem Adam induat: hoc est, humanos affectus, ipsumq; callidi serpentis iugum supera uirtute frangat, excutiat, ut in gloria Domini transformetur in

Id est, oleo effuso.

abyssum

abyssum abyssus. Hoc sanè in causa erat, cur dicerem usu literarū destitutam Ecclesiam, ueram ac germanā pietatem traditionibus humanis alicubi mutasse, postquam hominum commenta placere cœperunt; & amore operum nostrorum uicti, pro Manna, Beelphegor gustauimus, homines, non χριστοὶ, esse cœpimus. Hæc uelim ita dicere uidear, ut sentio: sentio autem omnino aliud nihil, quàm quod Euangelicæ ueritati Ecclesiæ decretis probatur, eritq; mihi quod Hebræi dicunt, צנת וסחרת אמתי Iám ne obscurè intelligitis, quantum sit in renascentibus studijs momenti, quantum ad excolendas bonas mentes conducant? Quem non miserescat superioris ætatis, quæ tam clara luce studiorum deserta, in orci tenebras & nescio quas feces literarum incidit? Quem non tangat ingens nostri seculi calamitas, quod & uetustis autoribus nostratium incuria orbatum est, deinde quod hi quoque lucrifecissent ex bonis, ni perijssent illi, desiderat? Superest igitur iuuenes, ut audeatis: quanquam ita se res habeat, & difficilia sint quæ pulchra sunt, tamen ita uincet industria difficultatem, ut longè minore impēdio bona quàm mala uos sperem assequuturos. Deligunt uobis præceptores uestri quæ ex usu est scire, friuola secernūt, atq; hi Latina quidē. Simul cū Latinis Græca disci et debēt, & facilè possunt. Modò succisiuas aliq; horas Græcis date, ego faxo stu-

Id est, scutū & clypeus ueritas eius.

dio

dio ac labore meo, ne opera uos uestra frustretur. Statim enim ab initio difficultatẽ rei grammaticæ optimorum autorum lectione temperabo, ut quod illic regula, hic exẽpla doceant. Accedit obiter in autoribus interim, quod ad mores, uel rerũ secretarum scientiã pertinet: omnia si contuleritis, pulcherrimè absoluent orbem studiorum. Erit enim curæ mihi, ut pro re, quæ uidentur diligenter admoneam. Homerum habemus in manib. habemus & Pauli epistolã ad Titũ. Hic spectare uobis licebit, quãtũ sermonis proprietas ad intelligẽda sacrorũ mysteria cõferat: quid itẽ intersit inter interpretes Græcè doctos et indoctos. In alijs nota mala pro bonis ducãtur, in hoc negotio diutius citra iacturã ineptire nõ licet. Capeßite ergo sana studia, et quod à poëta dictũ est, animo uoluite, Dimidiũ facti, qui cœpit, habet. Sapere gaudete, ueteres latinos colite: græca amplexamini, sine quib. latina tractari rectè nequeũt. Ea pro omniũ literarũ usu, ingeniũ alẽt mitius, ac elegãtius undequaq; reddẽt. Paucis annis prodiere in lucẽ, qui uobis et exẽplo, et stimulo sint. Videor enim uidere mihi tacitus aliquot locis reflorescere Germaniã planeq; moribus et cõmuni hominũ sensu mitescere, et quasi cicurari, quæ barbaris olim disciplinis effera, nescio quid immane solita est spirare. Proinde locabitis operã, nõ modò cõmodo uestro, eoq; ad posteros propagando, sed omnino gloriæ nõ intermoriturae principis

omniũ gentiũ consensu optimi, qui nihil asserendis bonis literis habet potius. Equidem quod ad me attinet, nihil non connitar, ne defuisse uel pientiß. principis uoluntati, uel studijs uestris, optimi auditores, uidear. Atque hoc me nomine uobis clarißimi uiri Academiæ Saxonicæ principes addico ac deuoueo: uestrũ erit adolescentiam meam bonis literis consecratam, minimè malis artibus imbutam, deniq; in fidẽ uestram sedulo cõmendatam, benignè officioseq; tueri ac conseruare.

DIXI.

SIMONI GRYNAEO SVO PHILIPPVS MELANCHTON S.



SV COMPERIMVS, eam esse optimarũ rerũ conditionem, ut uulgo fere fastidiantur. Nam cum literis nihil neq; melius, neq; pulchrius habeāt humana: tamen uix paucos, diuino haud dubie beneficio nuper restitutæ, admiratione sui cepere. Etenim quod Pindarus optimam rerũ aquā, & pulcherrimā possessionẽ aurũ esse cecinit, næ ille, nisi multitudinis auribus inseruisset, rebus omnib. literas ante tulisset. Neq; enim quicquā est cuius uel usus latius pateat, uel dignitas harũ amplitudinẽ superet. Et ea est uulgi amẽtia, ut nõ aliud perinde contemnat, atq; elegantiorẽ literaturā: eamq; cũ uiderem hoc potissimũ tẽpore nostris sordere, breui

declamatione laudaui. Institueram equidem pro eo ac res merebatur, ἐπίδειξιν copiosiorem. Sed cũ immorari non liceret, malui qualicũq; oratione reuocare in uiam studiosos, quam causam literarum, ut Græce dicam, διαγράφειν. Planeq; accidit, ut cũ amphora, iuxta Poëtã, institui cœpisset, currẽte rota urceus exierit. Verũ quicquid hoc est operis, tibi, mi Simon, propter incredibilẽ amorẽ tuũ erga meliores disciplinas, dedicare uisum est, ut uel tuo exemplo nonnullos ad literarum studium inuitem. Vale. Vuitembergæ.

DE STVDIO ARTIVM DICENDI, PHILIPPI MELANCHTONIS DECLAMATIO.

πάθος a simili.



VEMADMODVM Hesiodo dolet, nescire mortales quantum & Malua & Albucum adferre commodi rebus humanis queant, tametsi uiles herbæ: Ita nos quoq; non nunc primùm queri mur, ignorare adolescentes quantum momenti habeant ad solidam eruditionem parandam dicendi artes, quæ in speciem nihil profitentur eiusmodi cui uulgus adplaudat, cæterũ utilitate facile res humanas omnes uicerint. Neque enim usquam quicquam est in tota rerum uniuersitate, unde ad mortales ampliora commoda,

da, quàm ex hoc artium genere redeant. Sed cum earum precium iuuentus ignoret, fit, ut plerisq; sordeant, minimeq; dignæ iudicentur, quibus discendis operam nauent. Præclarum est Philosophum dici: magnificum, Iurisconsultum audire: Theologico nomine nihil hoc tempore ad uulgus plausibilius est: dicendi artium, tanquam Megarensium, nulla ratio habetur. Propterea uisum est hoc loco ostendere, quæ res maxime nobis earum studium commendare debeant. Atque hic mihi uel Pericleam uim optarim, dum stultam iuuentutem in uiam reuocare contendo, quæ elegantiorem literaturam partim errore contemnit, quòd ad reliquas disciplinas comparandas inutilem esse cēset: partim inertia, fugit. Est enim & literarum, perinde atq; aliarum bonarum rerum, ea natura, ut sine summo labore nemini contingant. Notum enim illud est: Difficilia esse, quæ pulchra sunt. Quanquam qui rationem subduxerit, quantulo negocio quantum lucri faciat, qui commodorum magnitudinem ob oculos posuerit, hunc nullæ res, quantumuis duræ, ab harum artium studio deterruerint: quas nisi cognoris, ne dici quidem potest quàm infœliciter reliquas disciplinas tractaturus sis. Proinde æquis animis audite, quæ me rationes adduxerint, cur elegantiorem literaturam rebus humanis planè necessariam esse iudicem. Primùm, nemo tam uæcors est, qui non uideat nobis certa

quadã loquẽdi ratione opus esse, qua dilucidè explicemus animorũ nostrorũ sensa, quacũq; de re uel publicè uel priuatim agendũ est. Fortasse ridiculũ fuerit hic disputare, quã necessarius homini sermo sit. Nã qui literas cõtemnunt, neutiq̃ uideri uolunt homini sermonem adimere, sed orationis cultũ aspernãtur. Proinde quãtum referat certã loquendi rationẽ tenere, paucis indicabimus. Nã qui rectè rẽ æstimare uolet, is intelliget nõ ita multũ interesse, mutus sis planè, an artẽ ad dicendũ non adhibeas. Neq; enim fieri potest, ut quæ sentis, sic exponas ut intelligi queant, nisi arte loquendi facultatẽ & pares, & confirmes: Vsu enim cõpererunt prudentes uiri, nihil esse difficilius, quàm dilucidè ac perspicuè de re quapiã dicere. Primùm enim, nisi uim pondusq; uerborũ dicendo tueare, orationẽ tuam quî adsequetur auditor? Nam cũ usu, uelut nũmi, uocabula probentur, receptis utendũ est: quæ quia eloquentes homines quasi per manus posteris tradidere, obscuritate uacant. Superiore seculo, cũ sua sibi quisq; uerba cuderet, & peregrina latinis miscerẽtur, eiusmodi cõflata est oratio, quæ ne ab illius quidẽ ætatis hominib. intelligi potuit: tantũ abest ut posteritas adsequatur. Quis enim Scotũ, aut eius farinæ aliũ scriptorẽ hoc tẽpore intelligat? Deinde uix exercitatissimi præstiterint, necubi structurã orationis ac phrasin uiolẽt: quæ si uitiata fuerit, necesse est orationem obscuriorẽ reddi. At hic quàm multa

efferunt impropriè etiam eruditi? Quoties absurdis ac ineptis metaphoris sermonẽ obscurant? Quis enim Apuleium, & huius simias ferat? Sed rectè Apuleius, qui cum asinum repræsentaret, rudere potius quàm loqui maluit. Postremò, ut uerba phrasinq; satis noris, difficilimum tamen est suo quæq; loco distribuere, alia deprimere, alia attollere: quædam breuiter astringere, aliâs euagari liberius: quædam dißimulare ac tegere, alia promere, ut tanquam inter umbras lumina extent ac emineant. Est enim eloquẽtia omnino amplius quiddam, quàm tumultuaria uerborũ cõgeries. Verùm uideo errore labi iuuentutem, quæ cum nesciat eloquentiæ cum uim, tum naturam, nõ arbitratur precium aliquod operæ foræ, cur eam sibi maiore studio cõtentioneq; paret, et laudari à nobis profeßorculis putat uulgari more, quemadmodum sua unguenta solent Pharmacolopolæ: nec optimorũ prudentißimorumq; hominum autoritate commouetur, qui ad illius studium una uoce adolescentes, & cõmuni claßico inuitant. Miserã hominum conditionem, quando, ut quæq; res optima est, ita longißime à conspectu nostro receßit, minimeq; agnoscitur. Nec dubitarim ego, quin si oculis cerni posset eloquentiæ dignitas, mirabiles, ut ille ait, amores sui excitaret. Sed cùm casu iuuentus, non ratione uiuat, temerario quodam impetu ad ea delabitur, quæ uulgò maximè celebrantur. Quare si quis est non imprudens

Excursus.

rerum æstimator, is apud se expendat, primùm, nihil esse cuius usus latius pateat, quàm sermonis commoda. Omnis hominum societas, ratio uitæ instituendæ publicè ac priuatim, conquirendorumq; omnium quibus uitam tuemur, deniq; commercia omnia sermone continentur. Deinde persuadeat sibi neminem ad positè ac dilucidè de ulla re dicturum esse, nisi qui arte quadam, imitationeq; optimorum, & magna cura orationem ea lingua qua publicè utimur, formarit. Quod ubi animaduerterit, haud dubiè nihil prius, nihil antiquius habebit discendis loquendi artibus: Siue enim cõsilio alij iuuandi sunt, siue docendi, siue tuẽdum est dogma aliquod, siue de iure, æquo ac bono differendum est: nihilo plus efficias, quàm in scenis mutæ personæ solent, nisi arte elaboratam orationem attuleris, quæ res obscuras tanquam in lumine collocet. Non ignoro *esse, qui elegantiam à rectè loquendi ratione separant, nec referre putant, modò rem indicent, qualicunq; oratione utantur. Qui si rem proprius inspexissent, neutiquam adscititium & superuacaneum ab eloquẽtiæ professoribus fucum requiri iudicarent. Ipsa orationis puritas, natiuaq; facies, Elegantia est: quã nisi tueare, nõ modò non uenustè aut inquinatè, sed impropriè, obscurè, ac ineptè dixeris.* Et *quemadmodum in fingendis corporibus ea demum elegantia est, ubi iusta proportione membra omnia inter se consentiunt: si quid secus*

Occupatio.

Elegantia quid.

facias,

facias, monstrosum erit: Ita, cum germanam orationis speciem noua compositione deformaueris, monstrosam planè ac ineptam facies. Picus in epistola qua barbaris philosophiæ scriptoribus patrocinatur, ludens credo in ἀδόξῳ argumento, & elegantiam à rectè dicendi ratione separat, et explicari res qualicunque oratione posse censet. Huic equidem nihil succenseo, qui barbariem nō magis ex animi sententia tuetur, quàm febrim Fauorinus laudabat. Hoc miror, esse quibus tā friuolæ argutiæ serio persuaserint, nihil referre quomodo loquamur. An uerò rectè corpus imitabitur pictor, si nulla ratione penicillum regat, si temerè feratur manus, nec ducantur arte lineæ? Ad eum modum nec animi cui sententiam alij ob oculos posueris, ni proprijs et illustribus uerbis apta uocum compositione, iusto sententiarum ordine utare. Num perinde atq; corpora coloribus, animi sententiam oratione repræsentamus, Quare necesse est dicendo certam aliquam imaginem arte concipi, quæ discernat inter se tanquam uultus sententiarum. Flagitiū est, si quis uiæ ignaro deuiam semitam monstret. At qui rectè dicendi cura uacāt, quoties lectorē à uia abducunt? quoties unius uerbi abusu ludificantur? Non semel imposuere in philosophia, in sacris literis, solœcismi nostris interpretibus. Quis enim omnium, PAVLI sententiam in Corinthijs adsecutus est, ubi Grilli isti elegantiæ contemptores, uerterunt, 2.Cor.1

Ex multis facierum personis? &c. Quæ Augustinum tempestas aufert, quo minus propositū teneat in enarrādo eo qd' est apud Ioannē, τὴν ἀρχὴν ὅ καὶ λαλῶ ὑμῖν? Hoc genus extant innumera passim, ubi medio criter etiam eruditos barbarissimi fefellerunt, Adeò nō quouis orationis genere lectori satis feceris: sed cura studioq; paranda facultas est, qua animi tui sententiam perspicuè aliorum oculis subijcere possis, omniaq; cō mode quæ res poscit eloqui, id est, eleganter dicere. Quin igitur helleborum propinamus ijs qui uenustatē orationis fastidiunt, adeò à cōmnni hominuū sensu alienis, ut ne quidem quid loqui sit intelligāt? Peperit elegantiā necessitas, quòd et barbara omnia incerta sunt, & quæ oratorijs ornamentis illustrata sunt, clarius percipiuntur. Nam in hunc usum adhiberi schema Fabius scripsit, neq; unquam ueram speciem ab utilitate rectè diuidi sentit. In sacris libris, ut interim prophanos omittam, quid quæso desideras rhetoricorū schemata tum? At his, opinor, non usuri erant Prophetæ, si nihil ad rē facere iudicassent. Videtis qua ratione uobis eloquentiæ studia commendem, quòd nec exponere quæ uolumus ipsi, nec quæ à maioribus rectè scripta extāt, intelligere possimus, nisi certā dicendi normam perdidicerimus. Equidè non uideo quomodo alijs hominū uice futuri sint, qui nec quæ sentiūt, explicare, nec quod rectè dicitur assequi queūt. Quare ut nulla sit eloquen tiæ

Ioan. 8. Id est, principium qui & loquor uobis.

tiæ dignitas, nulla gratia: tamen eas uis est, ut non igni,
non aëre, ut aiunt, non aqua pluribus in locis utamur.
Quomodo enim consistant res humanæ, si legũ sacra-
rum & prophanarum patrociniũ eloquentia deserat:
si nec publicis, nec priuatis consilijs oratio, quæ intel-
ligi poßit, adhibeatur: si res gestæ nullis literis ad po-
steros transmitti queant? Ecquod uestigium humanita-
tis in tali republica reliquum fuerit? Porrò ad hac quã-
tulum distabat ætas superior. quum sacrorum librorũ
sermonẽ propè nemo iam intelligeret, quotidieq; stul-
torum Sophistarum arbitrio figerentur ac refigeren-
tur sacræ leges? Res gestæ illorum temporum æternis
obrutæ tenebris iacẽt: nemo enim erat, qui eis literarũ
lumẽ adhibere posset. Disciplinæ omnes, dicẽdi genere
sic obscuratæ sunt, ut ne doctores quidem ipsi quid pro
fiterentur satis compertum haberent. Digladiabãtur
inter se de figuris sermonis Philosophi, tanquam in te-
nebris Andabatæ, nec quisquam à domesticis suis planè
intelligebatur. Rectè ille, Ἀνάχαρσιν παρ᾽ ἀθη-
ναίοις σολοικίσειν, ἀθηναίους παρὰ σκύθαις.
At isti domi suæ ἐσολοίκιζον, suamq; singuli dialectõ
mira libertate cõminiscebãtur. Iures eis uoluptati fuis
se, nõ aliter atq; Heraclito illi, cæteris mortalibus tene
bras offundere. Iam cũ minimè obscurũ sit, quãti nobis
eloquẽtiæ contemptus cõstiterit, cur barbariem nõ abo
minamur tanq̃ nocentißimam pestem? cur non magno

 consensu

consensu è scholis exibilamus? cur ipsi nobis tantisper inuidemus eloquentiā, qua nihil melius, nihil amplius in terris hic Sol uidit? Hactenus docuimus quæ cogat necessitas certā dicendi rationē sectari ac tueri: quæ si quem parū mouet, ei uerò multo iustius asini auriculas dij addiderint, quàm Midæ. Accedit huc nō contemnēdus studiorū eloquentiæ fructus, quòd earū artiū usu, quibus eloquentia continetur, excitantur erudiūturq; ingenia, ut res humanas omnes prudentius dispiciant. Neque propius umbra corpus adsectatur, quā eloquentiam comitatur prudētia. De rebus humanis adhuc loquor, de sacris postea. Videbant inter maiores nostri, hæc duo, bene dicēdi scientiam, & animi iudiciū, natura cohærere: quare & non inepti quidam orationem esse dixerunt, explicatam animi rationem. Et Homerus poëta iisdē eloquentiam ac prudentiā tribuit (mitto iam alios) Vlyßi, cuius orationem hybernis niuibus comparat, utrunq; uno uersiculo adscribit, cum inquit:

Argumētum a fructu

Oratio quid.

Σοὶ δ᾽ ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Nec tempero mihi quo minus recenseam & Latinè ab erudito quodam expressum:

Mente uales. iuncta est foecundis gratia dictis.

O diuinā sententiā, multóq; digniorē quæ iuuenilibus pectoribus solicitè inseratur, quā Delphica aliquot scita. Quid enim spectabat aliud optimus senex, q̄ sic

inter

inter se copulatas esse prudentiã ac eloquentiã, ut diuelli nulla ratione possint? Atq; utinã sibi omnes adolescẽtes hunc uersiculũ propositũ putẽt. quorsum tanq̃ episcopũ omnia studia sua, rationesq; dirigãt: sepiãtq; sibi omnẽ operã, curam, industriam, cogitationem, mẽtem denique omnem in his artibus parandis fingendã esse, quarum Homerus *haud dubiè eã ob causam mẽtionem fecit, quòd uideri omniũ rerum humanarũ, ut sunt, & pulcherrimas & maximè utiles uoluit. Quid in consilio fuisse censetis ueteribus* Latinis, *cur dicendi artes humanitatem appellarint? Iudicabant illi nimirũ harũ disciplinarũ studio, non linguam tantũ expoliri, sed & feritatem barbariemq; ingeniorũ corrigi.* Nã *cultu, perinde ac pleriq; syluestrem indolem exuũt, mansuescũt ingenia cicuranturq;. Duæ sunt autem causæ, cur rectè dicẽdi studio animi iudiciũ acuatur. Prior est, quòd qui ijs artibus operã dant, ad eiusmodi scriptorũ exempla se comparent necesse est, qui in maximis rebus gerendis, ac tractandis uersati, summam prudentiam usu cõsecuti sunt: quorũ commercio fit, ut nõnihil iudicij contrahãt lectores, & tanquã qui in Sole ambulant, colorentur. Solet enim iuuenilibus ingenijs exemplar aliquod rectè dicendi sentiendiq; proponi, unde & uerborũ uim, & orationis structuram, & explicãdi figuras discant. Nã & dicendi rationẽ, perinde ac cæteras artes, imitatio adiuuat. Neq; enim uerisimile est, pingẽdi arti*

Dicendi ars cur humanitas dicta.

Lectio.

di arti tantum ab Apelle uenustatis gratiæq; adijci potuisse, nisi fingendorũ lineamentorũ rationẽ multo antè ostendissent ij, qui primũ μονοχρώματα, deinde & κατάγραφα pinxerũt. Sic & ex optimis scriptoribus concipienda est certa quædam & dicendi & iudicãdi ratio καὶ ἰδέα, quã sequaris, quacũq; de re disserendũ fuerit. Proinde qui desertos scriptores in manibus habent, secũ expendant, quid in quouis potißimũ mirari, laudare, imitariq; deceat. Primi omnium sunt, ad quos cognoscendos inuitatur iuuentus: poëtæ ac historici, quos qui uoluptatis tantũ causa, perinde atq; in conuiuijs cythariſtrias accersunt, næ illi summorũ hominũ æstimationem grauiter lædũt. Nã et prodesse illi uoluere, et bonas mẽtes optima potißimũ delectãt. Est itaq; ab illis & dicendi forma petenda, & obseruandũ quid de cõmunibus rebus ferè iudicauerint. Sæpe ridere soleo Græcorum Grãmaticorũ uulgus, qui ad physiologiam totum Homeri carmen referunt, mireq; sibi placẽt, cũ noua Metamorphosi, belli nugatores, ex Ioue æthera, ex Iunone aërẽ faciũt: quæ ne per febrim quidem unquàm somniaturus erat Homerus. Quãto satius fuerat ea ostendi, quæ ille lectoribus propriè admirationi esse uoluit? proprietatem ac lucem in explicãdo, carminis οἰκονομίαν, cum uaria consilia, uarios casus miro ordine recenset, cum aptas occasiones nouis euentibus accommodat, quanta decòri seruandi cura, quanta sit

Qui autores legendi.

Poetæ.

De Homero.

ſit item uerborum ac figurarum copia uarietasq́; ijs lo cis, in quibus detineri lectorem uolebat, quàm minimè frigida ſit aut ieiuna ſeditionis deſcriptio in ſecundo Iliados: nam & motus eius occaſionem, et ipſum uulgi furorē, & ſeditioſas quorundam conciones qui multitudini frigidam, quod aiunt, ſuffundebant, & Therſitæ mores, morūq́; argumentū, formam: duas item grauiſsimas eorum orationes, qui multitudinis animos ſedabant, in quibus uehementior eſt Vlyſſea, lenior Neſtorea. Bone Deus, quàm perſpicuè, quàm grauiter tractat: nec rectè dicendi archetypum facilè uſquam reperias hoc loco abſolutiorem, cuius elegamtiam uirtutesq; omnes is demum proprius cernet, qui imitari & exprimere ſtylo conabitur. Caue enim putes Homerū temerè à Marco Cicerone planè oratorem uocari, aut inconſultè ſcripſiſſe Fabium, excelere hunc poëtā oratorijs omnibus uirtutibus. Iam quæ ſcena res humanas uerius repræſentauit, quàm Homeri carmen? ut fieri nequeat, quin obiter & rerū admiratione tangamur, quum dictionem cōſideramus. Offerunt ſeſe ultrò ſpectanda morum exempla, principum uulgiq́; adfectus, uaria rerum geſtarum cōſilia, quibus niſi erudiri animos Archeſilaus ſenſiſſet, nunquam amaſium ſuū Homerum uocaſſet. Mihi quidem omnium quæ hominum ingenia peperêre, nullū prudentius Homerico ſcriptū extare uidetur. Nec dubitarim adfirmare, quod Ho-

ratius

ratius censuit, Homerum quid rectum, quid utile sit, melius Chrysippo & Crantore docere. Quæso qui potuit regum temeritas festiuius notari, quàm cum fingit somnio commotum Agamemnonem, uniuersum exercitum Græcum in discrimen adducere? Constat enim quàm ob friuolas causas nonnunquam omnia misceant principes, Quid in Achyllis clypeo? nón ne rerum elementa & clarissima sydera, præterea horũ positus etiam ac meatus graphicè descripsit, unde postea philosophi dimetiendi cœli rationem accepere? Nã & eodem loco circumagi Arctõ inquid, nec unquã occidere, & è regione illi oppositum esse Oriana: qua sententia bonã Astronomiæ partem cõplexus est. Quid quòd ibidem & pacis cõmoda & belli ærumnas inter se cõfert, cum duas urbes, alteram pace florentem, alteram bello uastam depingit? quo magis inuisum, opinor, bellum rem perniciosissimam optimo cuiq; faceret. In pacata urbe nuptijs locus est, exercentur iudicia, agũtur causæ, admiationi sunt oratores, In altera iugulantur liberi, silent leges, mutum est forũ, postremò miserãda est omniũ rerum ciuiliũ uastitas. Quid cedò potuit hoc commento excogitari prudentius? Neq; enim plures Homeri locos hic attingere uisum est. Tantũ hos indicaui, ut studiosis adolescentibus fidem facerem, bonorũ scriptorum cognitione, non os tantùm ac linguam, sed pectus etiã formari. Id, opinor, in consilio quondã Græ

Sydereũ nomenclatura apud Homerũ

cis

cis fuit, cur Homerum *familiarißimè notũ eſſe ſuis hominibus uoluerint. Solon enim & Piſiſtratus lege cõſtituerũt, ut illius carmẽ ordine digereretur. Nam aureo illo ſeculo adhuc ſuarum partiũ principes eſſe ſentiebant, præſtare ne quod utile ſcriptum intercideret. Nunc regiũ nihil eſt, niſi idem ſit* ἄμουσον. *Mox inſtitutum eſt, ut* Rhapſodis *ſeu* Homeriſtis, *publicè in theatris decãtaretur* Homericum *poëma, ut diuino carmine iuuenum aures adſiduò perſonarent: eſſetq́; ſemper in promptu rectè dicendi iudicandiq́; regula. Felicißimè cũ* Homero *certauit ex* Latinis Virgilius: *planeq́; par, niſi fallor, utriq́; laus, ſiue dictionẽ ſpectes, ſiue ſententiarum grauitatem, debetur. Quid* Tragici, *quàm multis exemplis* Tyrannorum *mores & fata propoſuêre? Quid* Comœdia, *niſi priuatæ uitæ ſpeculum? In uniuerſum quid preſtare ſtudioſis poëtica poßit, indicauit* Fabius. *Ego figurarum copiã præcipuæ noſtræ orationi ſuppeditare uideo, uarietateq́; rerum animos tum erudire, tum delectare. Hiſtoria iudicium formari, dicendiq́; facultatẽ augeri* Demoſthenes *cenſuit, cũ* Thucydidem *adeò familiarem ſibi fecit, ut octies etiam deſcripſerit. Amauit* Xenophontem Cicero. *Et cũ uniuerſa hiſtoria* πολιτεία *quædã ſit, uarias conſtituendarum rerum publicarũ formas adumbrat. Nam ut hic nihil aliud dicã, q͂d admirabilius eſt* τῶν πολιτειῶν *collatione apud* Herodotum, *ubi* Perſarum *ſatrapæ alij*

Virgilius.

De hiſtoria.

δημα-

δημαρχίαν, alij ὀλιγαρχίαν, alij μοναρχίαν probat? Quo loco uides grauißimum scriptorē morbos omnes uitiáq; ciuitatū, uelut in tabula depinxisse. Verū nemo tam imprudēs est, qui nō hoc cōsilio animaduerterit conscriptas esse historias, ut omniū humanorū officiorū exempla tanq̄ in illustri posita loco cernerentur. Quæ si nihil ad erudiendos excitandosq; mortalium animos cōducūt, quid fuit cur Scipio senserit se clarorum uirorū imagines intuentem, ad uirtutem accendi?

Oratores. Oratores cum respublicas administrarint, & in iudicijs uersati, de iure, æquo ac bono tā multa disseruerint, consentaneum est pleraq; utiliter monere. Quis enim philosophiæ moralis locus est, quē nō attigerint Demosthenes ac Cicero? Optimam πολιτείαν nemo philosophorum sic ἐζωγράφησε, ac illi in actionibus suis, cū in improbos ac seditiosos ciues, tanq̄ ferrum, stylum stringunt, cum aduersus hostilem uim respublicas consilio muniunt. Quid de pace popularius ueriusq; excogitari potuit, quàm quod in ea oratione qua legē Agrariam dissuadet, Cicero dixit? Quid ciuilius ea legum prædicatione, quam ex Demosthenica oratione κατὰ ἀριστογείτονος, Iurisconsulti in suos cōmentarios trāstulere? Sed quorsum attinet hic prolixius scriptorū ἐγκώμιον texere? Quin ipsi periculū facite, qd ex classicis quisq; præstet, quāta perspicuitate gratiáq; omnia explicet, quam prudenter omnia colligat, quæ

ad insti-

ad institutũ pertinent. Nisi enim ad horum imitationẽ te cõponas, prorsus desperanda est rectè dicẽdi iudicãdiq́; facultas. Superest ut indicemus & alterã causam, cur eloquẽtiæ studijs iudiciũ acui statuerimus. Id uerò fit, quòd bene dicendi cura per sese uegetiorem animũ reddit, ut quid in quaq; re maximè cõueniat, aut prosit, rectius perspiciat. Nã ut corporũ robur exercitio cõfirmari uidemus, ita fieri nequit quin hebescãt eorũ animi, qui nullo ingenioso labore excitantur. Nemini dubiũ est, quin multũ cõducat bonorũ scriptorũ lectio. Verùm nisi ad illã scribendi dicendiq́; consuetudo accesserit, neq; perspicere satis acutè poteris illorũ sentẽtias ac uirtutes, neq; animo certã iudicãdi cõmentandiq́; regulã concipere. Propterea ad cõparandam tum loquẽdi tũ iudicandi facultatẽ, nihil perinde necessariũ est atq; styli exercitiũ. Quid enim aliud uolebat Afranius, cũ fingeret Vsu patre sapientiã prognatã esse, quã adsiduo dicendi cõmentandiq́; studio animũ expergefieri ac erudiri? Reliquit in eã sententiã, dignã memoria posteritatis uocẽ Anaxagoras, τὴν χεῖρα, σοφίας αἰτίαν εἶναι, quòd uidebat artes omnes usu cõparari, ocioq́; ingenia ferè sterilescere. Nã ut mechanicas artes experiũdo discimus, neq; quisquã tã demẽs est, qui se mox Appellẽ fore cõfidat, ubi penicillũ primùm in manus acceperit: ita multo usu adsuefacienda mens est, ut sese acrius in omnia intendat. Itaq; tantũ

Stylus optimus dicendi effector.

stylo tribuit Marcus Cicero, ut optimū & præstantissimum dicendi effectorem ac magistrū esse scripserit, solitusq; sit per otium, aliâs è Græcis Latina facere, aliâs noua cudere, aliâs declarare: qua industria & ingenij uim ac uigorē tuebatur, & locupletabat facundiā. Sic enim de se ipse in Bruto, ne quid temerè cōminisci uidear: Nos aūt non desistebamus, cū omni genere exercitationis, tū maximè stylo nostrū illud quod erat, augere quantumcunq; erat. Demosthenes aliquandiu meditandæ orationis causa, se in specum quendam abdidit, feruntq; pertinacissimè fraudato genio lucubrare solitum: estq; Plutarchus autor, lucernis noctu usum adsiduis, donec quinquagesimum annum attigit. Didicerunt enim usu prudentissimi homines, quàm non uulgaris artificis sit dilucidè apteq; dicere. At ex nostris iuuenibus quotusquisque uel perpetuo decennio unum aliquem uersiculum scribere instituit? Plerique compendiariam uiam ad consequendam eruditionem esse censent, si quā plurima audierint aut legerint. Itaque alij totos dies sursum ac deorsum currunt, scholas omnes perreptant, præceptores passim audiūt, miranturq; nō intellectos, dictata excipiunt, uncialibus literis elenchos commentariorum notant, minio illustrant. In precio sunt interpretes, qui quàm plurima dictando tempus extrahunt, nec quisquam femisse præceptorem emerit, qui ab hac cōsuetudine uel transuersum unguē discesserit.

Obiurgatio.

discesserit. Rursum alij domo nusquã pedẽ proferũt, librisq; se tanq̃ pistrino cuidam addicunt, chartas uoluunt ac reuoluũt, beatos se putãt, ubi quotidie magnũ numerũ chartarũ percurrerint. An nõ utriq; miseri uidentur, cùm tanto labore, tantaq; ualetudinis iactura desipere tantum discant? Primùm enim nisi stylo excitetur animus, per sese hebescit: deinde cũ immodica se uel auscultatione, uel lectione obruũt, ingeniorũ aciẽ, si qua cõtigit, obtundunt. Iam & iudicij inopia fit, ut ferè pessima quæq; cupidissimè audiant, ac legant, ne nõ multa peruagentur. Quòd si quis ceu domũ reuocatus interroget, quid hac discendi ratione sequantur, quis finis, quæ meta animo proposita sit: intelliget nõ aliter ac mente captos, quid agant nescire. Nec enim uel sententias, uel sermonem scriptorũ obseruant, cũ imitandi cura uacent. Tantum oculis auribusq; negocium faciunt, animus interim Epimenideum quendam somnũ dormit: & cũ nullũ certum exemplar exprimere studeant, fit, ut & dicendi, & iudicandi ratio deprauetur. Gratulatur sibi Demosthenes apud Athenienses dicturus, quòd ipsi per sese quæ optima sint cernant. At nos styli exercitium prædicamus his, qui nunq̃ periculum rei fecerunt, nec commodorum quæ secum hæc exercitatio adfert, uim amplitudinemq; uel per transennam uiderunt, quo magis metuo ne parum fidei habeat oratio nostra, cũ stylo tantũ tribuimus. Verùm si quis

est nō planè iniquus Musis, is apud se expēdat, quæ ueteribus docēdi discēdiq; ratio fuerit, qua disciplinæ omnes non tantū illustratæ, sed etiā auctæ sunt. Pauci in ludis literarijs autores, sed hi optimi proponebantur, quos imitaretur iuuentus. Et quemadmodum de re rustica præceptum est, ne maior fundus sit, quàm qui coli probè possit, ait enim Virgilius,

Ratio docendi discēdiq; apud ueteres.

Laudato ingentia rura,

Exiguum colito:

sic illi cū uiderēt, nec perdisci, nec exprimi posse multos feliciter, turbaq; scriptorū cōfundi potius, quā erudiri iuuenilia ingenia, pauciores admittebāt, quos sibi studiosi quā familiarissimos facerent. Declamabatur item asidue, scribebāt alij uersus, alij solutam orationē. Et quia inter se bene dicēdi studio certabāt, cura solicitudoq; iudiciū acuebat. Quo instituto cū nullum iucūdius erat spectaculū, tū nihil priuatim aut publicè utilius fieri potuit. Nā ex eiusmodi ludis prodiere clarissimi superioribus seculis homines Græci ac Latini, pleriq; etiā Christiani: quos si imitari studerēt nostri, bone Deus, quāto res humanæ magis florerēt, & sacræ literæ felicius tractarētur? Porrò cū ueteres tātū operæ in exercēdo stylo posuerint, cū nec eruditio nec eloquētia mediocris citra hoc studiū parari queat, cū intelligi nō possint, quæ ab alijs prudēter scripta sunt, nisi ipsi styli usu ingenia excitemus: Sinite quæso à uobis impetrari,

ut stylo

ut stylo nonnunquã uestrãs uires experiamini. Rẽ postulo non perinde difficilem, atq; salutarem: neq; enim aliunde studijs uestris amplior acceßio fiet. Ludos aũt, & uersiculos, & solutã orationem: uideo enim putidiusculè dicere, quotquot poëticen nõ attigerunt, planeq; humi repere, nec uerborũ põdus, aut ullã figurarũ uim tenere. Iã cũ asperas cõfragosasq; cõpositiones multo sit facillimũ in uersibus deprehendere, fit ut qui carmen condunt, de solutæ orationis numeris rectius iudicẽt. Et haud scio an de literis omnibus actũ sit, ubi poëtice fastidiri cœperit. Fit enim ut ornatus splẽdorq; uerborum nullo in precio sit, minore cura scribatur, oscitantius legantur omnia, rerũ inquirendarũ studiũ frigeat. Quare & Romanis temporibus poëticæ cõtemptum, incredibilis inscitia rerũ omniũ infantiaq; secuta est. Et nuper adeò, cũ nostri homines uersiculos facere cœpissent, cũ literis melioribus in gratiã rediere. Nec uideo ego conseruari posse quicquid illud est elegantiæ quod hoc seculo refloruit, nisi exercendo stylo carmen iuuentus meditetur. Sensit & M. Cicero facundiã uersibus scribendis ali, eamq; ob causam & sæpe scripsisse carmẽ, & poëtarũ perstudiosum fuisse cõstat. Vidit posteritas pleraq; eius epigrãmata, extãtq; hodie loci aliquot illustriũ poëtarũ ab ipso Latinis uersibus luculentißimè expositi. Plinius orator editis etiã poëmatis testatur, hoc studio dicẽdi uim adiuuari. Proinde qui di-

Poetices glectũ quid sequatur.

 scendo

scendo bonas horas bene collocare uolent, ueterũ exemplũ imitentur, styloq́; , ut Quintilianus ait, fideli & facundiam parent, & iudiciũ acuant. Vehementer enim falluntur, si quid sine hac exercitatione promoturos se in literis sperãt. Mare uitẽ citius ferat, quã eruditionẽ aut dicendi facultatẽ consequatur is, qui tanquam Mandragora sopitus, nunq̃ incalescit ut ingeniũ cõmentando expergefaciat. Exposui quæ me rationes ad artium dicendi studiũ inuitent, nempe quòd & certa dicendi ratio obseruanda sit, & harum artiũ usu studiosis nõ nihil iudicij accedat. Quæ si quis ad se nihil pertinere sentit, is haud dubiè ab omni humanitate longißimè abest. Contrà boni, ubi commodorum uim, quæ ad nos á sermone redeũt, contẽplati fuerint, animaduerterintq́; & certa ratione dicẽdi opus esse, & his artibus ingenia cultiora reddi, uelis, ut aiunt, ac remis ad hæc studia properabũt. Verùm sunt nõ parũ multi, præsertim hoc tempore, qui bonorũ cursum morãtur: hi ad Theologicarum literarũ tractationem negant dicendi artiũ scientiam conducere: cœpitq́; hic error, ceu contagione quadam late uagatus, plurimos, qui ne non ualde theologicari uideantur, humaniores disciplinas omnes cõtemnunt. Ego uerò serio illos theologicari optarim, eaq́; præstare quæ Christianam mentem decent. Nunc uideo Theologicũ nomẽ ignauiæ tantum prætexi, cæterum nihil minus esse, quàm quod profitentur. Nam dũ

Epilogus.

Confutatio.

piget

piget elegantiam discere, seq; difficilimis scriptoribus euoluendis exercendoq; stylo macerare (neq; enim ullarum literarum cognitio sine acri studio contingit) si quando domū bene poti rediere, conciunculā aliq legūt: inde ubi decerpserint quæ ad stomachū faciūt, passim in conuiuijs (nam ibi potissimū sapiūt) declamant: & quia uulgus adplaudit, iam uerò sibi tantū nō absolutè Theologi uidentur, cum de grauissimis rebus ob scœni homines, impuro ore, nulla religione disputent. Et cum uetet PAVLVS καπηλεύειν λόγον θεοῦ, nemo impudentius cauponatur uerbum Dei, quàm hi qui cum nec moribus, nec eruditione bonis se probare possint, uulgi fauorem impia sacrarum literarum tractatione emerentur. Quid multa? uideas eos aspernari literas nostras, quibus res bonæ honestæq; omnes, quibus pietas, quibus mores publici, imò quibus CHRISTVS ipse fabula est. In quos, si bene constitutā haberemus rempublicam, nō nos oratione, sed ui magistratus animaduerteret. Quam enim crucē nō merētur hi, qui ut prætera nihil peccēt, exēplo suo iuuentutē à literis auocant? Quæ nisi discautur, posteritatem sumus habituri nihilo saniorem superioribus seculis, cum literarū imperitia res omnes humanas ac diuinas labefactasset. Quin igitur sic cogitamus, Olim cum grauissimè succenseret Ecclesiæ Deus, ereptas esse literas, secuta est sacrarū inscitia. Nam cū nostris uerbis loqui Deus

uoluerit, de sermone diuino ineptè iudicauerint imperiti artiū dicēdi. Porrò quæ illis temporibus cæcitas mētem hominū tenebat? CHRISTVM quotusquisq; norat? Imò chartæ iā obsoluerant, quibus cōtinebantur sacra. Articulos Parisij cōdebant, quos interim mundus, tanquā diuinas leges, adorabat: piū nihil erat, nisi qd' illi somniassent. Et belli homines, cū literas nullas tenerent unde sapere discerēt, fatuā illā sophisticen pepererūt: cœperuntq; rixari de cōmenticijs uerborū cōpositionibus, ne nō rhetoricarentur quid intersit inter hæc, Papā uidi, & uidi Papā. Extatq; hodie articulus Pariensis, Ego currit, malè Latinè dici, hæreticū esse quisquis dissenserit. Satin' uidentur ultæ contumeliā literæ neglectæ? Quis enim credat cerebrū fuisse taliū nugarū autoribus? Hæc uerò calamitas magna ex parte literarū inscitiæ imputanda est: nō enim patebāt sacra, tanq̄ interclusa uirgultis ac frondibus, unde mētis rectè erudiendæ ratio peteretur. negligebātur et diserti scriptores, qui monerent humana. Quanto tolerabilius fuerat pestilitate aut annonæ caritate plecti ecclesiā, q̄ tanta amentia? planeq; mihi persuadeo, certū esse diuinæ iræ exemplū, si quando mūdo literæ eripiūtur. Nā reliquis pœnis pij quoq; nō rarò mulctantur. At literarum inscitiam publica comitatur impietas. Nuper uerò cum respicere afflictos iterū cœpisset optimus Pater, essetq; redditurus nobis Euangeliū, pro sua liberalitate & literas

teras restituit, quibus euangelij tractatio adiuuaretur. Nec magis nouũ uideri debet donũ linguarũ Apostolis collatũ, quã quòd hæ à tãto squalore receptæ, ex tenebris plus q̃ Tartareis in lucẽ reuocatæ sunt. Nec in obscuro est, bonis quibusdam uiris auxilio fuisse literarũ scientiam in Theologia restituenda. Primũ itaq; ingratitudo fuerit, cœleste donũ aspernari: deinde cũ beneficio literarũ restituta sint sacra, impijßimum, si nullam harũ rationem habeamus, sine quibus stare res Theologica nõ potest. Et ut paucis exponam quid iudicẽ ad sacrarũ literarũ tractationem conferre linguarũ scientiam, nõ sum in eo errore, ut humani ingenij industria, sacra penetrari statuam. Sunt in sacris, quæ, nisi monstrante Deo, nemo unquam cernat: nec innotescit nobis CHRISTVS, nisi doceat spiritus sanctus. Sic enim CHRISTVS ipse inquit, à spiritu se δοξασθῆναι. Verũ præter prophetiam uis uerborũ cognoscẽda est, in quibus tanq̃ in sacrario quodam, diuina mysteria recondita sunt. Quid enim si non intellecta uerba magico more pronuncies? nonne surdo fabulam? At de sermone iudicare nemo rectè poterit, nisi qui rectè dicẽdi rationem perdidicerit. Quid enim magis procliue est, quàm uerbo aliquo aut schemate falli? Nuper quidam ex magistris nostris cũ enarraret ea quæ de Melchisedec in Genesi prodita sunt: Rex salem panem ac uinum obtulit, nõ animaduertẽs, Salem loci nomen esse, multa

Lingua rum scientiæ quid ad sacrarũ literarũ cognitionem cõferat.

Gen. 14

de cõdimenti ui ac natura disseruit. Imposuit enim bono uiro uocũ affinitas. Nã oscitãtius omnia legunt, qui ingenium dicendi artibus nõ exercuere. De ceperunt et eruditos figuræ: adeò nulla exercitatio dicendi ac scribendi satis cautos facit. Interrogabat me pridẽ doctus quispiã homo, ecquid sibi uellet PAVLVS, cum inquit
1. Tim. 2 in epistola ad Timotheum: Saluatur mulier per filiorũ generationẽ, si in fide permanserint. Nã Græci plurali numero uerbum extulere. Ego cum non haberem quod aptè respõderi uideretur, cõmentarios cõsulo. Ecce uobis Chrysostomũ, quã bellè nugatur: cũ uerbũ μείνωσι ad sobolem refert. Quod quã nõ cõueniat sẽtẽtiæ Paulinæ, facile est iudicare. Nec uidet senex ille Synthesin esse grãmaticam, cũ uniuersum sexũ plurali uerbo cõplectitur. Similia horũ exempla nõ rara suppeditabit quotidianis scriptorũ usus. Postremo, quã aliã ob causam Sophistæ sacris libris ablegatis, nouũ Theologiæ genus reperere, quàm quòd illorum sermonem, & disserendi rationẽ non adsequebantur? Quorum exemplũ si quem à barbarie nõ deterret, fustuario, non oratione castigãdus est: nã si perrexerit iuuẽtus bonas literas cõtenere, haud dubiè futurũ est, optimis neglectis, ut rursus sacræ bonæq; res omnes pessum eant. Fallitur enim quisquis uerbis tantum, nõ etiam mẽte barbaros fuisse Theologastros istos censet. Iã si quãdo Ecclesiasticũ dogma tuendum fuerit, quid quæso præstabit is, qui quid

sentiat,

sentiat, explicare non potest? An confusaneam aliquã ac Stoicam orationem adferret, in qua de uerbornm interpunctione rixetur? Ab hoc auditor cum expectarit perspicuã sacri dogmatis tractationẽ, perinde ac hians coruus discedet, diu frustra molestis distinctionibus fatigatus. Itaq; quos pietatis tenet studiũ, ij uel CHRISTO, uel publicæ necessitati ecclesiæ, hoc præstent officij, ut rectè loqui discãt. Vocat huc etiã PAVLVS, cũ in Corinthijs linguarum studium probat, cuius autoritas meritò apud uos ualere debet, quibus in ore tã multus est. Indicaui paucis quid ad literarum prophanarũ ac sacrarũ tractationem cõducat rectè dicendi sciẽtia. Nunc uestrum est cũ elegantiore literatura in gratiã redire, eãq; cupidè amplecti. Video plerosq; intempestiuè properare ad grauiores, ut uocãt, disciplinas, quosdam ad iura discẽda, ad medicinam spes quæstus rapit, alij ad Theologiam contendunt, prius q̃ robur aliquod fecerint in studio artium dicendi. Qui si suo quæq; ordine adgrederẽtur, bone Deus, quanto rem felicius gererent? Nunc male tẽtato compẽdio, ipsi sese morãtur.

Fuit apud nos Morio quispiam, qui in heri culinam ex more ligna ferebat. Is solitus est ex infima strue, ea reuellere, quæ moueri sine magno negocio non poterant. Interrogatusq; cur id fieret, respondit, se difficilimam laboris partem primùm confecturũ, summa illa facilius moueri: nec uidit quantum referret singula ordine

dine tollere. Huius mihi per similes uidentur, qui fastiditis his artibus ad sublimia prouolant. Nā et augetur discēdi labor, et incōmodius omnia tractātur, cū nondū sint perpoliti primis rudimētis. Deū immortalē, q̄ infeliciter cessit maioribus nostris hæc præcipitātia? Nullū genus artiū superioribus seculis non fœdè cōspucatum est ab his, qui cū elegantiores literas non attigissent, in optimas quasq; & grauissimas disciplinas tanq̄ in rosas porci irruerūt. Theologia stultis & impijs quæstionibus prorsus obruta est. Qui philosophiā professi sunt, ne nomen quidē artis satis intellexerūt. De Iure, æquo ac bono, fieri non potuit ut quidq̄ sani cōminiscerentur hi qui elegantioris literaturæ rudes erant, qd' et ipsum disciplinæ genus ex medijs humanitatis artibus deriuatū sit, & ueterū Iurisconsultorū literæ plenæ sint priscæ ueræq; eruditionis. Neq; nunc ego sermonis spurcitiem tantū in artiū professoribus accuso, sed imprudentiam, à quo seruitio adserere non possunt, quorum ingenia dicendi artibus non sunt exculta. Quare non cesso uos adhortari ad elegantiæ earumq; artium studium, sine quibus disciplinæ reliquæ non possunt non felicissimè tractari, quod à uobis par est ut uel publica necessitas impetret. Nam ubi disciplinas grauiores uitiarit barbaries, periclitari solent et hominum mores. Est enim multo uerius hoc, cōparari mores ex doctrina, quàm quod Plato scripsit, ex musicorum cantibus.

DIXI.

DE FORMANDO STVDIO, RODOLPHI AGRICOLAE EPISTOLA.

RODOLPHVS AGRICOLA IACOBO BARBIRIANO S.



SCRIBIS *suauißime* IACOBE, *atq; optas dari tibi facultatem degendæ mecum uitæ, quò posses, id quòd maximè cupis, uelut ductu auspicijsq; meis, studia tua instituere atq; formare. Vellem equidem tantæ mihi eruditionis, tam magni in literis doctrinisq; usus cõscius essem, ut istud tã iure meritoq; deberes cupere, q̃ te scio uerè id atq; ex animo optare. Hortarer te, ut rebus omnibus relictis, quæcunque uel utilitatis specie te deuinciunt, uel uoluptatũ illecebris blandiuntur, eruditionẽ studiaq; me duce sequerere: et incisis omnibus, uel abruptis etiam uinculis, quibus alligatus teneris, prona præcipitiq; ad optima tenderes uia. Facerem id non modò tua causa, cuius maximè & deberem, & uellem, sed et mea quoq;, quum sperarem tantũ nominis opinionisq; apud multos consequi posse, tantumq; fuisse me plerisq; persuasum iri, quantum te monitis præceptioneq; mea factum uiderent, quantũq; fieri te posse exploratum habeo, & de te ingenij uis, amor studiorũ, naturæq; tuæ felicitas mihi promittũt.*

Nunc

Nunc cum ad nullā tantam spē mei uocare te possum, quæ ullo incommodo rerum tuarum tibi sit redimēda: rebus ipsis pareamus oportet. Vti que optabile nobis esset, si unum aliquem in locū nos felicior casus cōtulisset: sic hoc desiderium nostrū est hac cōmoda rerum tuarū cōditione leniendū, & iucūdißima putāda, quæ optima sunt. Vt tamē interea præceptoris apud te munere fungar, & per literas (qua datur) ostēdā qua ratione tibi putem studia tractanda, paucis, & quantum epistolæ capit angustia, quod optimum cēseo, explicabo. In studijs formandis duo præcipuè spectanda crediderim. Prius, quod studiorum maximè genus cui lectādum sit. Deinde, *qua ratione quis in eo quod elegerit, plurimū efficiat, de utroq; ordine dicam. Studiorū genus, alteri neceßitas uel rerū, uel naturæ suæ aßignat. Alter uoluntate sua ad id quod optimū censet, sese adiūgit. Vt enim cui angustior res familiaris cōtingit, eas ferè sequitur arteis, unde promptißimū putat posse neceßitatibus suis præsidiū parare: Vt etiā cui segnior natura, obtusior mentis acies est, si modò perdere nolit operā, ea sequi debet non quæ maximè cupit, sed quæ rectißimè potest: Sic is, cui facultatū uberior copia, & felicior ingenij uis tributa est, nimirū errabit, si nō totis uiribus ad optima feretur, quādoq; ad summa pertingere poßit, malit inter secūda potius tertiáue subsistere. Ergo ciuile ius alius, alius Pōtificū sanctiones, alius*

Duo in studēdo pręcipua.
Primū.

Medicinæ

Medicinæ artẽ discendã sumit: pleriq; etiam loquaces has, & inani strepitu crepitãtes, quas uulgò artes iam uocamus, sibi uindicãt, & perplexis disputationũ ambagibus, uel etiã (ut uerius dicam) ænigmatibus diẽ terunt. Quæ tot iam seculis nullũ inuenerũt Oedipodem *qui ea solueret, nec inuentura sunt unq̃.* His *miseras adolescentiũ onerant aures, hæc subinde ingerũt inculcãtq;, et in plerisq; meliorẽ ingenij spem atq; frugẽ, in teneris adhuc annis, uelut in herba enecant.* Laudo *eas omnes, tamen plus certè laudaturus, si rectè ordineq; tractarentur: nec enim tantum desipio, ut solus damnẽ quas tam multi laudant. Quidni laudem uerò, quibus uideam multos summas opes, amplißimos honores, autoritatem, famam, dignitatem consecutos?* Et *quas certe uẽdibiliores (ut* Ciceronis *uerbo utar) sciam & planè fatear, alijs nonnullis, quas steriles & ieiunas uocant, ut quæ magis animum expleant quàm arcam.* Si *lucri rationem itaque ducis, habes ex illustrioribus illis aliquam, quam sequaris, ut diues fias: dum tamen scias hanc laudem, ut contingat, tibi cum fœneratore fore communem.* Sin *rectius credis, quæ honestæ sunt, propter se expetere, & quas habes facultates, suffecturas putas modestiæ tuæ (quandoquidem immodestiæ, & quantumuis paruæ, nimiæ sunt: & quantumuis magnæ, non sufficiunt) censeo, ut ad Philosophiam te conferas, hoc est, enitaris ut rectè* Philoso phię studendũ.

de rebus

de rebus sentias: & quæ sentis, commodè ut poßis eloqui. Sentire autem duplex est, proinde & duplex conditio rerum quas inquirimus. Aliæ nanq; res ad actiones, moresq; nostros pertinent, quibus omnis ratio uitæ rectè riteq; degendæ continetur, quam Philosophiæ pars ea quæ moralis uocatur, tradit. Huius prima nobis, & præcipua habenda est ratio. Hæc autem est petenda tibi non modò à philosophis, qui literis eam tradidere, ut sunt Aristoteles, Cicero, Seneca, et si qui sunt alij uel Latini, uel ita Latinè redditi, ut digni sint qui legantur: sed ab historicis etiã, et poëtis, et oratoribus. Quoniam ij, & beneficia laudando, & quæ contrà facta sunt, uituperando, non docent quidem, sed (quod efficacißimũ est) exẽplis propositis, quæ rectè secus'ue fiant ostendunt. Per hæc gradus ad sacras literas faciendus est, & ad illarum præscriptum dirigendus uitæ nobis ordo, saluberrimisq; illis ducibus, de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorum tradita, plus minus'ue erroris, tamen habent admistum aliquid. Neque enim contingere potuit eis, ut rectum, & nulla aberrantem parte cursum uitæ instituerent, quisquis esset uitæ propositus finis, aut nescirent, aut ueluti per nubem spectantes suspicarentur, dicerentq; constantius quàm crederent. At sacræ literæ, tam longè ab omni errorre emotæ sunt, quàm qui eas tradidit, Deus. Hæ sunt quæ solæ nos certa, solida, rectâq; ducunt uia,

Recte sentire est duplex.

Morale.

quæq;

quæq; omni discussa caligine, sequentem se non falli, nõ excidere, non usquam aberrare patiuntur. Sunt & aliæ res, quarum cognitio magis ad ornamentum animi nostri, honestamq; uoluptatem, quàm ad necessarium utique usum pertineat. Cuiusmodi est omnis disputatio de natura rerum, multiplex certè, uariumq; negotium, & multipliciter quoque à multis summo ingenio uiris tractatum. Quæ ut non necessaria sit ad boni uiri mentem formandam effingendamq;, non parũ tamen contulerit, uel eo, quòd ubi hæc cura perquisitioq; rerũ bona fide sibi cuiusquam uindicauerit animũ, nullũ sordibus uilibusq; curis locũ relinquit: deinde quòd docet contemnere atq; pro nihilo putare ea, ad quorum conspectum uulgus stupet: per quorum possessionem etiam eis, qui felices putantur, misereatur, quãdo ostendat, quàm uanis omnia futilibusq; constent causis, dicatq; nullam rerum naturæ posse perniciem contingere maiorem, quàm si omnes eius uel sordidißimæ partes tales fiant, quales nunc sunt aurum, gemmæq;, quibus publica humani generis insania summum esse precium uoluit. Postremò, *quia quãdo intelligimus hac monstrante, fragilis huius caduciq; corporis nostri habitum, omnibus casibus obnoxium, discimus omnem curam nobis ad animam esse transferendam, hancq; excolendam, in qua nulla nobis opera frustra, aut peritura locatur: quippe in quam quicquid collatum sit,*

Cognitio rerũ naturalium.

Anima excolenda.

G immor-

immortale (sicut ipsa est) æternumq; sit mansurum. Transeo multa: neq; enim epistola esset, sed uoluminis opus, omnia conplecti quæ in hanc possent sententiam dici. Hoc satis est ostendisse, quod tute minimè ignoras, dignam hanc esse studiorum, in qua uiri boni mens elaboret. Nec ego aditum tantum primà que initia harum artium percipere te uelim, quod nunc uulgò in scholis fieri uidemus, quodq; tu pridem cùm magna laude pulchrè prolixeq; præstitisti, sed res ipsas attingendas censuerim: tum terrarum, marium, montium, fluuiorum situs, naturas, gentiumq; in his mores, terminos, conditionem, imperia uel accepta, uel prolata: tum arborum, herbarumq; uires, quas Theophrastus: iam animantium historiam, generationẽ, partes, quas Aristoteles literis mandauit, perquirendũ. Quid dicã, quæ de re rustica tractata sunt? quidq; de Medicina? alius rem militarem, alius architecturã, alius pingendi fingendiq; rationẽ cõscripsit. Quas artes, tametsi non sum nescius non intra partem eam disciplinarum claudi, quæ rerum naturam scrutatur: tamen quia cognitæ sunt illi & ab eisdem ferè prodeunt fontibus, non est quòd nunc in eo magnopere sim solicitus, quando ad eundem ordinem redigẽdas putem. Hæc ergo omnia, quæ dixi & ad mores nostros, & ad rerum naturam pertinere, ex eis discenda tibi sunt autoribus, qui rebus cognitu dignis clarißimum eloquentiæ lumen

Res ipsæ tentãdæ

men addiderunt: ut una opera, & rerum notitia tibi, et quod post eam proximum feci, commodè eloquendi ratio contingat. Qua quidem de re scis multa à summis uiris tradita esse praecepta. Quod tamē ad corruptam institutionem loquendi emendandam pertinet, quam pueri in scholis accipimus, huius mihi admonēdus uideris. Fac suspectum tibi sit, quicquid hactenus didicisti, damnes omnia atq; abijcienda putes, nisi meliorum autorum testimonio, & uelut decreto, rursus in eorum mittaris possessionem. Praeterea quicquid apud emendatos autores leges, utilißimum fuerit, id ipsum quàm maximè proprijs & idem significantibus uerbis reddere uernaculo sermone. Hac enim exercitatione assequeris, ut quoties dicendum tibi aliquid scribendum' ue fuerit, quando cōcipiendis uerbis apud animum tuum sese, quo natura fert, uernaculus sermo protulerit, statim quoq; Latina uerba iampridem illic hoc usu accōmodata sequantur. Ad haec quoq; si quid scribere uoles, optimum erit id ipsum quàm plenißimè rectißimeq; patrio sermone intra animum tuum formare. Deinde Latinis purè proprieq; id significantibus explicare. Sic fiet, ut omnia aperte & quàm maximè plenè dicātur. Omnes enim, si quid in dicendo est uitij, facillimè in eo perspicimus sermone, ad quem sumus nati: & si quid uel dilucidè parum, uel breuius quàm conueniat, uel contortè nimium, nec satis cum re proposi-

Vernaculus sermo.

ta cohærens dictum fuerit, in eo sermone expeditius annotabit quisque, quem notißimum habebit. Postremò, ut hunc locum concludam, quicquid eris scripturus, des operam, ut quàm purißimè id rectè tantum, Latineq; inter initia eloquaris. Ornate dicendi posterior erit cura: quod contingere certè, nisi sana & integra sit oratio, non potest. Euenit enim eloquentiæ, quod corpori: in quo si non omnia membra sint suo quodq; loco disposita, si sint à recto habitu detorta, si magnitudinis suæ modum egressa, frustra illi circundederis ornatum. Pugnabit enim cum ornamentis suis corpus, & illustriorem deformitatem eius decor externus faciet illi cōparatus. Sed de hac parte, quæ tibi studia potißimùm sectanda putem, hactenus. Reliquum est, ut dicam quo pacto plurimum in studijs fructus cōsequuturum te credo. Alius aliter fortaßè, ego ita sentio. Quisquis in percipiendis doctrinis cupiet dignum aliquem laborum fructum adipisci, illi tria esse præcipuè præstanda. ut planè rectéq; percipiat, quod discit: ut fideliter, quod percepit, contineat, ut & ex eo aliquid ipse deinde parere proferréq; ualeat. Primum diligentis lectionis est opus: Secundum, fidæ memoriæ: Tertium, aßiduæ exercitationis. In lectione id conandum in primis est, ut id quod legimus, quàm maximè fieri poterit intelligamus, & penitus habeamus perspectum: nec rem tantùm quæ traditur, sed & uerborū

Eloquētia corpori collata.

Secundū præcipuum in studēdo, triplex est.

Lectio diligens

in disertis autoribus uim, proprietatem, structuram, ornatumq; perspiciamus: quis decor, quod pondus sententiarum, quae uis explicandi, & res proferendi uerbis, & uelut in lucem conspectumq; protrahendi. Nec *tamen istud eò pertinet, ut si uel per se obscurior, uel nobis ignotus occurrerit locus, statim resistendũ illic, nec progrediendum ultra putemus, ut (quod nonnulli) statim proijciamus librum, damnemusq; studia, & ingenium nostrum deploremus. Diligentia enim, non indignatione ad profectum est opus. Transeundum ergo, si quid erit ubi intellectus non possit erui, & in aliud reseruandum tempus, donec uel homo, uel liber nobis contingat, qui id aperiat, uel ad alia lectio, quod crebrum est, doceat.* Dies *enim (quod dicere soleo) diem docet. Quod si Quintilianus inter uirtutes grammaticì numerandum putauit aliqua nescire, quanto magis nobis, ut nõ dicam necessarium, saltem cum uenia erit, nonnulla ignorare? Nolim tamen uideri cuiusquam desidiae patrocinium me his commemorandis parare. Nã contrà uideor mihi nulla re alia cuiusquam studium posse uehementius accendere, quàm si ostendam ipsam sibi lectionem aperire uiam, & omnem legendi laborem legendo superari.* Proximum *est, ut memoria firmiter, quod accepit, asseruet. Constat autem memoria in primis natura: ea tamen adiuuatur arte, quam alij quidem aliter tradidere, sed sic tamen, ut summa*

Locus obscurus notãdus erit.

Diligentia.

Lectio lectionẽ adiuuat.

Memoria fida, quae ad duo potissimũ confert.

rerum eòdem ferè redeat. Eam artem duobus maximè usibus accommodam arbitror. Aut enim subitò dicendum est, & maior aliquis rerum numerus commemorandus, in quo periculum adeundum est ne ut ordine, uel numero destituamur: ut quum legati apud principem, aut Senatum aliquem uel proponimus petita nostra, uel partis aduersæ cogimur respondere postulatis, tunc certè ab hac arte commodissimè præsidium petetur. Aut quando exercere memoriam uolumus, id hac uia facilè & quàm minima molestia facere licebit: quod sanè ad memoriam firmandam utilissimum esse, & Quintilianus autor est, & rei usus, si quis experiri uolet, expeditè docebit. Si quod aliud enim, memoria uel maxima est quam creber usus auget, quamq; incuria negligentiaq; destituit. In ijs uerò quæ perpetuò animo nostro cupimus hærere, optimum contenderim esse, quàm intentissima cura primum complecti ea: deinde, quàm creberrimè ab animo nostro reposcere, & subinde admonendo eum ad fidem præstandam cogere: postremò, ut animo uacuo, & quantum datur ab aliarum curarum turba ocioso, id agamus, quod quidem in actionibus omnibus & negotijs, quicquid id est quod ulla parte nostri fieri debet, exploratum est, ut nemo pluribus æquè sufficere posit. Ingenium certè id est, quod ubi intenderis (ut inquit Sallustius) ualet, quod ei in multas diducto curas contingere minimè potest.

Tertium

Tertium est, & quod proposueram postremum, quo= pacto ex ijs quæ discendo percepimus, ipsi excudere aliquid proferreq; ualeamus: ne' ue studia nostra apud animum segnia, & (ut ita dicam) sterilia reponantur: sed, quod semina solent in terra condita, fructum ali= quem uberiorem cum fœnore profundant. Amplus co= piosusq; est hic locus, & dignus qui pluribus dicere= tur, quemq; ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic præcipuus esse uidetur longi la= boris, solicitudinisq; in studia collatæ fructus. Quod si nihil ipsi ad posteros mandare poterimus, nihil extra ea quæ didicimus, ad præsentes proferre, quid tandem inter librum & nos intererit? nisi qualiter quidem ea, quæ semel in illum congesta sunt, bona fide semper seruat, redditq; nobis: ut quæ accepimus, continere poßimus, iteranda sunt toties, & subinde in animum inculcanda. Complectitur sane locus hic duo, quorum utrunq; per se quando sit magnum, cōiuncta certè plu= rimum in studijs laudis merentur. Horum alterum est, ut quæ didicimus, in usum prompta habeamus, & ubi= cunq; res postulat, parata. Plerosq; enim uideas, qui quando multa didicerint, multorū habeāt memoriam: ubi proferēdum tamen sit aliquid eorum, nihil succur= rat eis, nihil queant meminisse: at sciunt quidem, sed idipsum scire se nesciūt. Alterū est, ut ex eis quæ acce= pimus, ipsi præter hæc inuenire aliqua poßimus &

conficere, quæ nobis asseramus, nostraq́; esse queamus affirmare. Duo sunt autem, quæ præcipuè huic parti profutura crediderim. Horum unum est, ut certa quædam rerum capita habeamus, cuiusmodi sunt, uirtus, uitium, uita, mors, doctrina, ineruditio, beneuolentia, odium, & reliqua id genus, quorum usus ferè communis ad omnia, & tamquam publicus sit. Hæc crebrò iteremus, et omnia quæ didicimus, quantū fieri potest. Certè quæcunq; discimus, ad ea redigamus, ut repetendis capitibus illis ea quoq; quæ ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tandem, ut omnia quæ discimus, certa nobis præsentiaq́;, & propè sub conspectu maneant. Poterit autem persæpe uel exemplum unum, uel una sententia, in multa capita cōferri, ut quod de ui illata Lucretiæ, apud Liuium est: primū de pudicitia, quanti scillicet ea faciēda sit, cuius damnū Lucretia morte putauit pēsandum. Pòst de pulchritudine, quantorum malorum ea sæpe sit causa, quantum etiam pudicitiæ ab ea periculi sit. Iam de morte, ut ea mala nō sit habenda, quā Lucretia impudicæ uitæ prætulerit. Hinc de libidine, quas clades, quæ bella ea mouerit, utq́; etiā ingētia mala magnorum sæpe bonorum præbeant causam, quando ex eo scelere populo Romano sit libertas quæsita. Sententia itidem diuidetur, ut, Est uirtus, placidis abstinuisse bonis. Ad uirtutis caput ducetur, dicit enim: Virtus est, placitis bonis abstinuisse. Ducetur ad ad caput bonorum,

Primo locis cōmunibus.

Lucretiæ excēplum,

norum, non omnia bona expetenda esse: quoniam placitis bonis abstinuisse, est uirtus. Ducetur ad caput abstinentiæ, quia abstinuisse placitis bonis, est uirtus. Secundum quod huic parti adiumento erit, id est, ut in ijs quæ discimus, diligenter pensimq; conferamus uerba inter se, & latiori quodam tractu explicemus. Sumamus, exẽpli gratia, quod apud Verg. est: *Optima quæque dies miseris mortalibus æui, Prima fugit.* Primũ, optima inquit. qualia sunt putanda bona humana, quãdo optima sint, eáq; nedum abeãt, sed fugiant, & semper peiorum expectatione torqueant? quæ etiam duriora uideantur necesse est, ex meliorum quæ præcesserunt, comparatione. Sequitur dies æui, id est uita nostra: ea quàm parui est facienda, si fugax est, & optima protinus initio, uelut in flore consumitur. Quæ potest autem esse felicitas in uita, quando qui fruuntur ea, mortales nedum, sed & miseri sunt? Hinc iam miseris mortalibus. quidni miseri, quorum talia bona sunt talis est uita, quiq; morti obnoxij sunt? Postremum est, prima fugit. Prima ergo nondũ usu cognita, nulla perfunctione possessa, ut semper quæ sequitur, quantũuis forte per se bona, tamen melioris collatione dura uideatur. Fugit etiam, non dimittitur, non abire iubetur. Quàm fallax ergo, quàm incerta, quàm nequaquã nostri iuris aut arbitrij est. Quòd si quis latius ista, & per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusq; natura

Collatione unius ad alterum

Vnumquodq; per locos dialecticos deducẽdum.

natura capax eorum est, ingens itaq; copia & ad dicendum,& ad inueniendum se præbebit. Quod quomodo faciendum sit, maius est quàm ut epistola id capiat,& copiose est à me ea de re in sex libris eis, quos de inuentione dialecticæ scripsi,disputatum: Quisquis ergo prius id rectè & cum cura tractauerit,præsertim si rationem dialecticæ inuentionis illi adiunxerit, ingens illi,paratißimaq; de omni ferè proposita re disserēdi facultas cōtinget, modò ea res illa ex parte ad eas pertineat,quas didicit artes. Hocq; pacto ueteres illos professores artiū,quos Græci sophistas,id est,doctores,uocabāt,exercuisse deprehēdo,quantū ex Aristotele et Platone conijcere licet,atq; ad eam eruditionem promptitudinemq; dicendi peruenerunt, ut de qua re audire quis uellet,proponi iuberent,dicerentq;,quandiu, quantūq; uideretur de eo quod esset propositum. Sic Gorgias Leontinus, primus tam audacis cœpti autor,sic Prodicus Chius,sic Protagoras Abderites,atq; Hippius Eleus,et instituti,et alios docuere. Ad id quod secundū feci, multū iudicij parabit in ijs quæ discūtur, & nouas argumentationes,nouasq; sententias,aut ueteres,sed quibus noua facies sit,inueniet: estq; eiusmodi,ut si stylus ei addatur,statim exercere eloquentiam poßit,& ad bene dicendū aditum parare. Sed hæc hactenus,ut pro rerū cōditione pauca,ut pro modo epistolæ nimis multa. Vt enim Demetrio Phalerio uisum

Sophistæ.

est in libro, quem περὶ ἑρμηνείας, id est, de explicatione, scripsit in epistola, quæ grandior facta est, non tã epistola dici debet, quam liber, cuius initio sit salus adscripta. Verum id utcunq; æstimari poterit, haud ponam equidem in magno discrimine: mihi statutum est, aliquo modo, quocũq; possum, studia tua iuuare. Quod ipsum, si non potero ostendere, tamen ut me uoluisse intelligas: quod uoluisse, ut in multis quæ effectum exigunt, parum est: ita in amicitia, cui pro effectu animus est, tale est, ut nihil plus exigi, nihil magis præstari poßit. Vale. Heydelbergæ, Anno 1484. septimo Idus Iunij.

CHRISTOPHORVS HEGENDORPHINVS CVM PRIMIS ET NOBILI *&* STVDIOSO IVVENI MATHIAE *de* DREVITSH S. D.



VLTIS iam annis Mathia Generosissime, expertus sum, quam laboriosum, quam molestum sit iuuentutis mores recte fingere, iuuentutem ad quãtulamcunq; tandem eruditionis frugem perducere. Cæterum nõ nunquam antehac mihi perinde res ista laboribus iuxta ac molestijs plena uisa est, atq; hoc tem-

tempore,quo præterquam quod iuuenes literas bonas perosi sunt, etiam moribus impurissimis, pariter & intractabilissimis præditi existunt. Etenim quando unquam iuuentus magis lusit in aleam? quando scortationibus, stupris, adulterijs, omnibus libidinum generibus fuit addictior? quando patrimonij profusior? quando famæ, rei omnium preciosissimæ, magis prodiga? quando temporis, rei irrecuperabilis, minus curiosa extitit? Breuiter, quando in præceptores prefractior, contumeliosior, ingratior unquam? quando in Deum magis impia, magis blasphema in Christum unquam fuit? Ac mihi mecum reputanti, & animo uoluenti, quidnam isto seculo iuuentutem nostram corrumpat, perdat: hæc in mentem ueniunt: Primo, omnium parentum indulgentia, qua, ut ille inquit, omnes deteriores reddimur: pudet me dicere, quæ parentes hoc tempore liberis suis impudenter permittant facere. Ludere uolunt filij, sumptum eis parentes suggerunt: si filium cum scortis omnia perdere, profundere, certo resistant parentes, dissimulãt, conniuent, & tantum non ueluti Melitensem caniculam in delitijs habent, studijs iuuene dignis occupari clamitant. Vbi totos dies perpotauit filiolus, domum reuersus, ne uerbulo quidem a parentibus obiurgatur. Execratur horrendis diris tum suum ipsius, tum aliorum caput: adplauditur ei, tam a patre quam matre. Totum diem otio insumit charum illud caput, id parentibus minus curæ est, quam si fulgur, ut in Prouerbio est, ex pelui reddatur. Si in Deum

Optimum

Optimum Maximum patrem probra iecerit charus filius, ad hoc parentes piſcibus magis muti exiſtunt. Si CHRISTI paſſionem conuitijs inceſſat Pamphilus noſter, parentes perinde ac in Iouem illum Ethnicorum Deum blaſphemus fuiſſet, ne uerbulo quidem cum illo cõmutant. Quid hic commemorem de ueſtibus Sybarithicis, quibus parentes filios ſuos (nam de filiabus dicere nihil ad me) non ſecus ac puppas exornant? Et in huius rei luxu filijs ad improbitatem & libidinem, materiam & ignem non par uum ſubdunt. Iam cum uix tandem a bonis uiris perſuaſi parẽtes, filium in Academiam quãdam pręceptoribus ad humanitatem informandum committunt, multis obteſtationibus cum præceptoribus uerbotenus agunt, ne filium omne quod ſibi cunq; libitum eſt, facere concedat. Et ſi minus morigerus futurus ſit, uerberibus eum cedat, inhortantur. At cum præceptor intractabilem illum elephantem cicurandum ad ſe recepit, & aliquando uerberibus in eum animaduertit, atq; id parentes olfecerũt, mox aut ipſi adſunt, aut per ſuos miniſtros cum præceptoribus agi curant, ſe non mancipium eis domandum concredidiſſe, ſed unicum rerum omnium ſuarum hæredem: proinde ſi illum diſcipulum habere uelit, a uerberibus abſtineat. Id quod cum improbus ille Creſiphon audit, hui, quantum animum ad nulla, non audenda ſibi ſumit? Itaq; ergo in dies deterior euadit, dum in totum perditus, deploratior domum redeat, quã abiuerit. Atq;, ut iam dixi, illa parentum indul-
gentia

gentia, unus eſt fons, ex quo hoc ſeculo corruptela & intractabilitas iuuentutis noſtræ manant. Deinde, non parum iuuenes hoc tempore a quibuſdam præceptoribus adeo peruicaces, adeo contumaces, adeo effrenes redduntur. Sunt enim in Academijs plerique, qui dum præceptorem aliquem pro ſuo officio, in diſcipulos nonnihil duros eſſe odorentur, illi diſcipulos adeuntes, Ecquid, clamitant, te tuo præceptori adeo obiurgandum, adeo uerberandum propinas? Ad me demigra, apud me omnia cum dicendi, tum faciendi licentia erit, modo mihi pecuniam numeres: dabitur tibi a me mutuo argentum, ut huc uel illuc comeſſatum eas. Tum non raro ad aures iuuenum occinunt illud Terentij: Liberalitate & pudore liberos retinere ſatius eſt, quam metu. Cur igitur dicunt iſti, in tanto metu uiuere uis? Diſcipuli, ut omnes mala obuijs, quod aiũt, manibus arripimus, oblata ſibi ad nequitiam tanta & tam oſtẽtata occaſione, quo iure quaq; iniuria relicto ſuo uetere præceptore, ad illum nouum morum corruptorem ſe conferunt. Iſtæ ſane peſtes rerum publicarum efficiunt, quod hodie bona pars illorum iuuenum, qui in Academias ad comparandum ingenij & morum cultum mittuntur, adeo præcipites in quoduis flagitiorum genus ruant. Illos ſane impoſtores dicam, an corruptores iuuenum, publicis Academiarum legibus mulctatum oportuit. Leges Imperatoriæ pœnam ſtatuerunt ijs, qui ſeruum alicuius corrumpunt? Merito igitur & pœna adficiendi ij, qui adoleſcentes auocantes

ad ſe,

ad se, pertractos misere deprauant: nam quod homines impudentissimi clamitant, Liberalitate & pudore satius esse pueros retinere quam metu, uerum quidem fateor: uerum nebulones illi non considerant, non eodem ingenio adolescentes quoslibet perditos existere, proinde nec eadem ratione omnes tolli posse. Sunt qui suapte sponte, quæ optima sunt, faciant, in quos si quis uerberibus animaduertere uellet, non minus stulte ageret atque auriga, qui equos citra calcaria ultro præcurrentes, calcaribus ad cursum incitare uelit. Sunt qui suapte quidem sponte cessatores sunt egregij: cæterum si a præceptoribus ueris admoneantur, pudore suffusi, quoquo uolumus statim se inclinant, & hos uerbis magis corrigendos, quam uerberibus ad honestatis studia impellendos existimo. Sunt uero iuuenes adeo frontis perfrictæ, ut nec pudore natiuo, nec a præceptoribus obiurgati, id quod suarum partium est præstent. Sunt adeo duri, ut nullis uerbis molliri queant: quos si quis liberalitate & pudore in officio contineret uelit, nihilo plus agat, quam si agaso asinum ad clitellas ferendas extimulare conetur. In hoc ergo adolescentum genus uirgis animaduertendum est, & faciendum periculum, an metu tandem coacti, officium suum facere uelint: quod si actum esse uidebitur, rus, ut inquit Fabius, ablegandi sunt. Iam satis, opinor, liquet, quam toto, quod aiunt, cœlo isti iuuenum corruptores errent, qui adolescentes quoslibet ex senis illius Terentiani sententia

instituendos

instituendos esse contendunt. Iam satis opinor constat, & istam impostorum turbam non parum in causa esse, quod iuuentus hoc nostro seculo adeo intolerabilis, adeo effrenata existat. Postremo, illud uel multo maxime iuuentutem nostram tam intractabilem, tam immorigeram reddit, quod præceptores eam uel nunquam, uel admodum raro ex literis sacris, quæ unæ mores cum omnium hominum, tum maxime iuuenum fingunt, quæ aut Deo cordi, aut odio sint, quæ Deus a nobis postulet, quæ in proximum collocanda charitatis sint officia, admonent. Proinde iuuentus nostra cæca, omnia sibi licere putans, in omne uitiorum genus transuorsum agitur. At uero, cum hoc ultimum uel multo maximum sit, ob quod iuuenes hoc nostro seculo tam efferi sint, ego cum discipulos non parum multos instituendos & habuerim, & habeam, officij mei esse duxi, meis in primis, deinde uero & alijs bonæ mentis iuuenibus, ut paruas, ita utiles & uiuendi & mores corrigendi, parænescs perscribere: an uel aliquos tandem in officio continere possim, & an quosdam, qui ab officio suo discesserint, in uiam reducere queam. Tradidi uero, ut & id indicem, præcepta & pietatis, & ciuilitatis. Pietatis quidem, dum quid iuuentus Deo debeat, quæ Deo arrideant, quæ Deo displiceant, ostendo. Pietatis in quam præcepta trado, dum quæ iuuenis uitia fugere, & pietati aduersa sint scelera, quę in proximum impendenda sint charitatis studia, & pietati cum primis amica sint officia, commonstro. Ciuilitatis uero Parænescs

obiter

obiter aspersi: in quibus, quæ cura sit corporis suscipienda, quid inter prandendum, quid inter cœnandum iuuenem deceat, doceo, dum quid in alijs rerum functionibus dextre obeündis iuueni conueniat, præscribo. Etenim vero, cum tu mi Mathia, is iuuenis sis, qui & uitæ integritate, & morum candore facile alijs ad recte uiuendum, et mores formandos, uiuum exemplum esse possis, & cum adeo luculenter, quæ in hoc libello præcipiuntur amplexeris, quæ uetantur fugias, non male congruiturum ratus sum, si hoc quicquid est libelli de moribus iuuentutis corrigendis conscripti, sub tui nominis auspicio in publicum emitterem. Quod si forsitan libellus ille humilior uidebitur, quam qui tibi iuueni adeo & stemmatis & uirtutibus claro dedicetur, cogitabis, amantes non tam munera, quam animum illius qui largitur, spectare solere. At cum tu nõ minus amore mei flagres atque ego tui flagro, hoc munusculum, re ipsa quidem paruum, at si animum consideres, maximum, boni æqui'que haud dubie feceris. Vale, Lipsiæ.

Anno M. D. XXIX.



DE INSTITVENDA VITA, ET CORRIGENDIS MORIBVS IVVENTVTIS, Paræneses.



IVVENIS in Academiam præceptori alicui creditus, omnes neruos intendat, ut duo illa assequatur: Vnum, ut in Eloquentiæ studio promoueat. At cum eloquentiam dico, non inanem illum uerborum strepitum, non ambitiosum orationis fastum intelligo, sed totam Encyclopædiam, id est, orbem illum artium optimarum, comprehendo. Ita sane, ut iuuenis illa quæ in quauis arte columnæ, & præcipua sunt, imbibat. Qua de re in præsentia à me nihil dicetur, tum quòd Fabius Quint. ERASMVS ille ROTEROD. hæc iustis uoluminibus tractarunt, à quibus aliquid de comparandis studijs iuuentutis scribere, est Iliada post Homerum contexere. Tum quòd nostri instituti est ostendere, quibusnam moribus iuuentus perpolita esse debeat, & mores iuuenum admodum hoc præsertim seculo prauos & corruptos in melius instituere. Et illud alterum est quòd discipulus apud præceptorem discat, nimirum ut moribus probatior quàm aduolauit, domum ad suos reuolet. Quæ duo Achillem

Eloquẽtia.

Encyclopædia.

à Phœ-

à Phœnice optimi præceptoris optimo exemplo, non parum feliciter edoctum fuisse, Homerus libro Iliados nono testatur, dum Phœnicem ita ad Achillem uerba facere introducit:

Τούνεκα μὲ προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων:

Quos uersus ego sic utcunq; uerto:

Huic me præmisit te cuncta ut illa docerem,
Cum bene dicendi, uitæ quoq; noscere normam.

Et illa sanè morum cura uel præcipua esse debet. Morum cura. Quid enim, obsecro, refert, iuuenẽ, quãuis omni disciplinarum genere excultum existere, si parum Christianus, parum ciuilibus moribus sit præditus? Cum enim iuuenis uel hoc uno nomine præceptori ad bonas literas informandus detur, ut aut aliquãdo Rempub. optimis moribus constituere, cõsilijs regere, prudentia cõseruare poßit: aut si hoc non contingat, ut non est cuiuis homini datũ adire Corinthum, alia quadam ratione proximi commodis consulere queat. Meræ pestes Reipubl. erunt iuuenes, qui, ut ut in omni doctrinarum genere excellant, uita omnibus flagitijs inquinatißima existunt: qua non dici potest, quàm illis, quibus præsunt, officiant: cum, ut Plato inquit, tales ferè sunt subditi, quales ij qui Reipubl. clauo admoti existãt. Neq; uerò hic necesse est referre Antonios, Syllas, Marios,

Catilinas, qui literis quidem omnibus sese exornarant: sed quia moribus non perinde probatis erant præditi, remp. Rom. non parum uulnerarunt, ciuium moribus non parum obfuerunt. Quòd si non ciuiles magistratus gerere contingat, non potest tamen non nocere is, qui literas nõ cũ morũ integritate coniunxerit. Quid enim magni Ludimagister, quamuis literis ornatißimus, apud suos effecerit, si uita sit spurcißima præditus? Quid præceptor in publicis Academijs dignum laude in suæ fidei creditis discipulis egerit, nisi uitæ quoq; sanctimoniã suos docuerit? Pater ut ut literatus sit, Leonis (ut in prouerbio est) catulũ educauerit, nisi moribus quoq; suis ab omni parte integris, filio ad optimum uiuendi iter præluxerit. Corrumpet pupillum tutor, si præter literas nihil Christiano homine dignũ in se ostenderit. Est enim ut corporum, ita uitiorũ animi contagio: nam ut conuictor scabiem cõuictori facilè adfricat, ita quoq; morũ lues non difficulter in animũ aliorum serpit. Et id omnium maximè accidit, si is qui animi uitijs laborat, nobis & amicis præcedat, & plus quàm nos sapere & intelligere uideatur. Cuiusmodi parentes nostri sunt, è quibus huius lucis usurã accepimus: cuiusmodi præceptores animi parentes existunt, quibus ad humanitatem informandi credũtur iuuenes, utriq; tales ferè formant, illi liberos, hi discipulos, quales ipsi euaserũt. Hinc et illa parœmia uulgò iactatur,

Vitiorũ cõtagio.

Mali

Mali corui malum ouum. Nec huc male quadrare uidetur ilud Horatianum:

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed uim promouet insita,
Rectiq; cultus pectora roborant.

Sub hæc morum cognitio adeò necessaria est iuuenibus, ut sine illis eloquentia, Plinio iuniore teste, ægrè dicatur. Cum Eloquentia Sapientiæ soror esse & uelit, et debeat, prauos hominum animos, cùm uelis tum remis refugit. Proinde, usu ipso cōperimus, quàm rarò aliquid precium operæ in eloquentiæ, germanæ τῆς σοφίας, studio faciant ij, qui morū, ueluti Megarensiū (ut in prouerbio est) nullam rationem habent. Et ut aliquãdo usu ueniat, ut malis moribus imbutus aliquo tenus in illa copiose loquente sapientia progrediatur: id sanè tam eum ornat, quàm si quis optimum unguētum pixidi cœnosæ infundat, aut preciosißimos uniones uasculo limoso inserat. Nam quòd Deus Opt. Max. iam olim Ethnicos quosdam sceleratißimos etiam, sapientiæ artibus perpoliuit, id ex singulari quadam Dei bonitate factum est, qui ut de omnibus, ita et de Ethnicis, quamuis impuris, bene mereri uoluit. Cum uerò morū optimorū cognitio, et honestæ dicã, an potius Christia-

Eloquētia Sapientiæ soror.

næ uitæ ratio, iuuẽtuti adeò utilis, adeò necessaria quoque sit, putaui officij mei esse, uitæ Christianæ iuxtà morũ corrigendorũ præcepta meis, qui mihi ad humanitatem informandi crediti sunt, præscribere. Faciã uerò id quàm possum paucißimis, ueluti digito cõmonstraturus, ad quænam iuuentus uitam & mores componere debeat. Enimuero, ut iuuentus rectè & honestè uiuat, sic futurum est, si quid pensi Deo, si quid pensi proximo suo persoluere debeat, si quomodo corpus curãdum, animus excolendus sit, perspecta habuerit. Porrò quid & Deo & proximo iuuentus debeat, nõ aliunde rectius quàm ex decem Dei Optimi Maximi præceptis cognoscet, quæ subijciemus, ut in illis, ceu in speculo, quæ optima uiuendi ratio sit perspiciat.

PRAECEPTVM I.

Vni crede Deo.

Hoc est, ut Salomon in Gnomis suis interpretatur, Fide Deo toto corde, & prudentiæ tuæ ne innitare. Ne fide tua sapientia. Time Deum, & recede à malo. Hic præcipitur iuuentuti, ut Deo fidat, Deum timeat, nec uelut ἄθεοι, quosuis Ethnicos turpiter uiuendo superet. Docetur hic, ut à Deo prosperum studiorũ cursum petat: docetur iuuentus, ut se Deo totum, quanta quanta est, in manum, quod aiunt, det. Ita sanè nihil aduersi unquam ei oboriri poterit. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? inquit PAVLVS. Exigit ergo Deus

go Deus hoc præcepto à iuuene fiduciam, metum, amorem, spem.

II.

Non usurpabis nomen Domini tui temere.

Hoc est, laudibus uehe & nomen, & gloriam Dei. *Implora nomen* Dei, *confuge ad illud, uelut ad sacram, ut dicunt, anchoram*. Et *ut Psalmographus Psalm.* 49. *præceptum hoc exponit*: Immola Deo *sacrificium laudis, & redde altißimo uota tua*. Et *inuoca me in die tribulationis, et eruā te, et honorificabis me*. Huc *facit illud* Iobelis *tredecimo*: Reddemus *uitulos labiorū nostrorum*, Porrò *quid hic commemorem, quàm iuuentus nomē* Dei *temerè usurpet?* Et *ut alias nominis* τ̃ θεοῦ *καταχρήσεις omittam, quid uerò referam de hoc, quòd pleriq; nullum uerbum ferè faciunt, quin* Dei *nomen admisceant?* Sunt *qui adeò per nomen* Dei *iurare assueuerunt, ut illis desuescere sit difficilimum*. Verùm, *quàm utrisq; uanus ille & temerarius nominis* Domini *usus fraudi futurus sit*, Moses *ille nomotheta* Exodi 20. *indicat, dum inquit*: Non *usurpabis nomen* Dei *tui frustra*: *nec enim insontem habebit* Dominus *eum, qui assumpserit nomen* Domini Dei *sui frustra*. Tu *audis, quod exemplum in illum futurū sit, qui nomine* Dei *frustra utatur*. Audis Dominum, *eum non insontem habiturum*; *hoc est, non impune illi futurū, qui*

 nomen

Id est, nomen illud τριςμέγιςον ore impuro temerè prophanet. Quòd si, ut autor Epistolæ ad Hebræos ait, horrendum est incidere in manus Dei uiuentis: saxeus es, quisquis nõminis Dei deterritus, à temeraria nominis diuini usurpatione uelis (qđ aiunt) equisq; refugis. Et quid hic cõmemorẽ de illis nominis CHRISTI Seruatoris nostri blasphemi nebulonibus, qui ob rem nec τριχὸς ἀξίαν, ut Græci dicunt, CHRISTI paßionẽ, ut alicui exitio sit, imprecãtur. In illos sanè publicis legibus meritò animaduertendũ esset. Ecquid enim capitalius cõmitti poßit, quàm paßionẽ CHRISTI, quæ nobis omnibus saluti fuit, quæ ut Græcis in Prouerbio est, Mare omniũ bonorũ existit, adeò scelestis imprecationibus conspurcari, detestari? Capitale est, si quis Imperatorẽ terrenum maledictis adficiat. Ecquanto capitalius esse deberet, si quis τὸν χριςὸν, cui pater omnia dedit in manus, Ioan. 13. & cui data est potestas in cœlo et terra. Matth. ult. tantis probris adfecerit? Et ut maximè Magistratus ciuiles in istos paßionis CHRISTI blasphemos nõ animaduertant. Deus tamẽ ipse id nunq̃ inultum dimittet. Sic enim in primo Regũ libro, cap. secũdo proditũ est: Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum. Qui autẽ contemnet me, erunt ignobiles.

Id est, ter maximum.

Ne pilo dignam

III.

Sabbata sanctifica.

Hoc est, diebus festis ferias age. Et quãuis hoc præceptum

ceptũ de Sabbatis, quæ Iudæis sacra & fuerũt & sunt, loquatur: tamẽ nos de omnib. diebus festis accipere possumus, siue dies Sabbati, siue dies Dominicus, siue alius quispiã dies festus in hebdomade receptus sit. Est ergo caput huius præcepti, ut dies festos sanctificemus: hoc est, sanctis studijs cõsecremus. Sancta uerò studia sunt, precibus incũbere, cõcionibus uerbi diuini interesse, beneficia quibus nos Deus immerentes per CHRISTVM ornauit, ornatq́;, in animũ reuocare, illi beneficiorũ acceptorũ ergò nos gratos præbere. Et quid obstat quo minus hic recensceã nobile illud dictũ Gregorij Nazian. in sermone de ferijs Pẽtecostes? Ἑορτάζομεν καὶ ἡμεῖς, ἀλλῶς δοκεῖ τῷ πνεύματι. Δοκεῖ δὲ ἢ λέγοντές τι τῶν λεόντων, ἢ πράττοντες. καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἑορτάζειν ἡμῶν, ψυχῇ τι θησαυρίσαι τῶν ἑστώτων καὶ κρατουμένων, ἀλλὰ μὴ τῶν ὑποχωρούντων, καὶ λυομένων, καὶ μικρὰ σαινόντων τὴν αἴσθησιν. Quæ sic trãspono: Et nos feriamur, sed ita, ut spiritui uidetur: uidetur uerò, ut aliquid honesti et dicamus, & faciamus. Et hoc est nostro, et sic Christianorũ more ferias agere: Animæ aliqd carũ rerũ, quæ cõsistunt, quæ durãt, cõgerere: sed nõ occupari rebus tẽpori cedentibus, & fluxis, et parua quadã uoluptate sensui blandiẽtibus. An nõ uerò Theologus ille paucis uerbis, quibusnã studijs dies festi traducẽdi sint, docet? Vult, et id autore spiritu, ut ijs diebus quibus iu

Sanctificare Sabbata quid.

ſtitium indictum eſt, honeſta dicamus: quod quid aliud eſt, quã de rebus honeſtis ſermones conſerere? de pietate, fide, ſpe, charitate? Nolo uerò, ut his de rebus iuuẽtus acriter digladietur: ſed alter alteri cedat, ſed præceptorũ, & aliorũ quibus ſacræ literæ perſpectæ ſunt, interpretationi, modò nõ ἀλαοσκοπία ſit, palmam deferat. Vult Gregorius, ut diebus feſtis, honeſtarũ rerũ functionibus diſtringamur. Ecquid uerò honeſtius facere poteſt iuuẽtus, quã ſi oret, ſacris interſit, cõcionibus adſit? In quibus hoc non parum cõmodi iuuentuti attulerit. Nouum teſtamentũ uel ab ERASMO *traductũ, uel in ſua natiua lingua in manibus habere: & locos à cordatis concionatoribus citatos, requiſitos, in memoriæ theſaurũ recondere: in memoriæ theſaurũ recõditos, crebra uſurpatione in medium proferre: & quod τὸ κεφάλαιον eſt, uitã ad locos illos inſtituere. Sunt quidẽ hoc noſtro ſeculo iuuenes pleriq; de ſacris literis mirè loquaces, ſed εἴθε μὲν ὥσπερ τὴν γλῶσσαν εὔστροφον ἔχουσι, καὶ δεινὴν ἐπιθέσθαι λόγοις εὐγενεστέροις τε καὶ δοκιμωτέροις, οὕτω ἔτι καὶ περὶ τὰς πράξεις ἠσχολοῦντο.* Hoc eſt, *Sed utinã ut linguã quidem ualde uolubilẽ habent, & ad de ſermonibus honeſtis & probatis differendũ promptã, ſic & operibus uacarent. Sub hæc uult Gregorius ille, ut feſtis diebus bona, quæ non uetuſtatis iniuria corrumpuntur, paremus. Ecquæ illa ſunt? illa haud dubiè, de*

Id eſt, irrita, uana ſpeculatio.

Nouum teſtamẽtum.

Id eſt, caput, præcipuum.

quibus

quibus CHRISTVS *Matth.5. Primū quærite regnū Dei & iustitiam eius, & omnia adijcientur uobis. Hæc prolixius tracto, quòd sciā iuuentutē nulla omnino cura orationis, sacrarum concionū, & aliorū studiorum quæ diebus festis congruunt, distorqueri. Imò putant iuuenes, illos dies ocio & ignauiæ datos: proinde nullo tempore magis prodeambulant, perpotant, quàm quo ab* Ecclesia *ferijs indictis à laboribus externis supersedetur. Sed ex illis quæ retuli, iuuentus, opinor, quibus rebus dies festi dedicari debeant, liquidò intelliget.*

IIII.

Honora patrem & matrem, ut bene sit tibi, & longæuus sis super terram.

Id est, parentibus obtempera, illos cole, metue, illis pro re succurre, coram illis caput aperi, adsurge, sine illos priores partes habere, obedi illis in omnibus. Sic enim PAVLVS *ad Colos.3. inquit: Filij, obedite parētibus in omnibus, hoc enim placet* Deo. *Porrò, quod in præcepto additur, Si uis longæuus esse super terram, θελκτήριον ueluti est, quo iuuentus ad honorē parētibus habendum allicitur. Cum enim iuuentus ferè uitæ amore flagret,* Deus *hoc præcepto uitam longæuam pollicetur, si erga parentes pro eo ac decet, adfecti fuerint. Vnde et* Homerus Ethnicus *lib. Iliados δ΄. scribit:*

Id est, blandimentū.

Οὐδὲ τοκεῦσι
θρέπτα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

Hoc

Pro. 30. *Hoc est, neq; parentibus præmia nutricationis repẽdit, breue ei æuum erat.* Hinc Salomõ, *ut sacra prophanis misceam, inquit:* Oculum *qui patrem fastidit, et matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & uorabunt aquilæ.* Huc *refer illas nobiles ueterum sapientum* Gnomas, *quibus iuuentutem ad parentibus obtemperandum adeò diligenter cohortati sunt.* Cuiusmodi *est illud* Pythagoræ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα. *id est, parentes honora.* Cuiusmodi *est & illud, nescio quo autore profectum:*

Βούλου γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν.
Γονεῖς δὲ τίμα, καὶ φίλους εὐεργέτει.
Ἐλπιζε τιμῶν τοὺς γονεῖς πράξειν καλῶς.
Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς.
Ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.
Νόμιζε αὐτῷ τοὺς γονεῖς εἶναι θεούς.

Id est, *Velis parẽtes ante omnia in honore habere.*
Parentes *quidem honora, & de amicis bene merere.*
Spera *si honore adficis parẽtes, te facturũ esse honestè.*
Dij *maximi sunt, ijs qui sapiunt, parentes.*
Commodè *uiues, si parentes senio confectos nutrias.*
Existima *tibi ipsi parentes* Deũm *loco existere.*

Huc *facit illud* Ciceronis *lib.* Offic. 1. In *ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuiq; præstet, intelligi poßit.* Et *prima* Dijs *immortalibus secunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim*

datim reliqua cæteris debeantur. Ad hæc, ut iuuentus parentibus obtemperet, illos uicißim si usus poposcerit, alat, & bruta animantia eam extimulent. Nã Plinius *ita de ciconijs scribit:* Ciconiæ *nidos eosdem repetunt, genitorum senectam inuicem educãt.* Et *de gliribus quoq; ita ait: Glires genitores suos fessos senecta alunt, insigni pietate. Cæterùm hoc præceptum non tantùm à iuuentute exigit, ut parentibus, ex quibus lucis huius primordia sumpsit, honorẽ habeat: sed etiam* Magistratibus *obediat, illos colat, metuat.* Nam *& illi parentum numero sunt, ut qui non secus atq; parentes, ut res & publicæ, & priuatæ singulorum in tuto collocentur, sedulò prospiciunt.* Huc *refert illud* PAVLI *ad* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus excellentibus subdita sit, &c.* Huc *facit illud ex* Epistola PETRI *priore, capite secundo:* Proinde *subditi estote* πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. Exigit *hoc præceptum, ut iuuentus uiros maiores natu honoret, ueneretur, amet, obseruet.* Vnde PAVLVS *in* Epistola *ad* Timoth. *priore, capite quinto:* Seniorẽ *ne sæuius obiurges, sed adhortare ut patrẽ.* Et Cicero Ethnicus *lib.* Offic. 1. *inquit:* Est *igitur adolescentis maiores natu uereri: ineuntis enim ætatis inscitia senum constituenda & regenda, prudentia est.* Huc *facit & illud* Iuuenalis *Satyra.* 13.

Lib. 10. cap. 23.

Magistratib. obediendum.

Id est, omni creaturæ humanæ.

Maiores natu

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.
Credebant hoc grande nephas, & morte piandum,

Si iu-

Si iuuenis uetulo non assurrexerit, & si
Barbato cuicunq; puer licet ipse uideret
Plura domi farra & maiores glandis aceruos.
Tam uenerabile erat præcedere quatuor annis.

Præce-ptores. *Sub hæc iuuentus in hoc præcepto quarto docetur, ut præceptoribus, animorum (ut Fabius inquit) parentibus, quibus ad bonas literas informanda credita est, honorẽ tribuat, illos colat, metuat. Nã si carnales parentes, qui liberis de uictu prospiciunt, honorãdi sunt: meritò et præceptores honorantur, qui de animi discipulorum pabulo interdiu noctuq; distorquentur. Si parẽtibus corporis honor debetur, quòd in lucem liberos ediderint: meritò & honor præceptoribus debetur, ut qui id quod parentes progenuerunt, honestis & moribus, & literis formant, ne bestiæ magis quàm hominis simile existat. Celebres enim sunt illi uersiculi Poëtæ:*

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.
Adde quòd ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Honorandi sunt parẽtes, quòd infantiæ nostræ molestiam pertulerint: honorantur & meritò præceptores, qui in animo rudi discipulorum erudiendo, IESV bone, quantum molestiæ, quantum laboris deuorant. Honore adficiendi sunt parentes, quòd uitæ nostræ autores sunt: honore adficientur et præceptores, qui uitam

tam à parentibus acceptam, ita instituunt, ut & nobis ornamẽto, & alijs usui esse possit. Ideo uerò nos Deus uita potiri patitur, ut uita nostra aliorum cõparemus cõmoda. Iam uerò cum non aliter sit atq; dixi, iuuentus certò animum suum inducat credere, quòd ut Dominus ὁ παντοκράτωρ ut puto, eũ, qui, ut Salomon inquit, patrẽ adfligit, id est, nõ honorat, persecuturus sit (exẽplum habes in Absolone) ita quoq; non parsurus sit ei, qui parentem animi, hoc est, præceptorem, adfligit, id est, nullo honore dignetur. Quid ego hic exempla uetera commemorem, cum nusquam nõ exempla uel hodie obuia sint? Videmus enim istos præceptorum uituperones, & famæ, & rei familiaris naufragium incidere: uidemus plerosq; mala morte citius opinione occumbere: uidemus istos ita ab alijs uituperari, contemni, ignominia adfici, ut præceptores uituperarunt, contempserunt, ignominia adfecerunt, Cum si qui istorum contemptorum animi parentum, liberos sustollãt, eos erga se experiuntur, quales olim ipsi erga præceptores fuerint. Et sunt quidem hæc mala, quæ retuli, πρόσκαιρα, sed nulli dubiũ sit, Deũ quoq; in futuro seculo, illam τὴν ἀπειθίαν, illã rebellionẽ discipulorũ aduersus præceptores, impunitam nõ dimissurum. Et ut iuuentus propensioribus animis parentes tam corporis quàm animi, obseruet, moueat eam exemplum CHRISTI: *qui, ut Lucas scribit, descẽdit cũ parentibus,*

Id est, omnipotens.

Id est, ad tempus durãtia.

Id est, inobedientiam.

bus, et erat subditus illis. Moueant ea exempla Ethnicorum, qui adeò pij, adeò religiosi in suos præceptores extiterunt. Et ut ex omnibus unũ adferam, non obscurũ est ex Homero, quã Achilles ἕρκος ἀχαιῶν, Phœnicem preceptorem, & antehac, & legatum ad se ab Agamemnone missum, præcæteris honorificè tractarit. Nec clàm esse arbitror, quàm Phylliridem, cui ut citharæ pulsandæ artem disceret, commissus erat, Achilles obseruarit, coluerit, metuerit. Sic enim de illo inquit poëta Elegiographus:

Id est, munimentũ Græcorum.

Phyllirides puerum citharæ præfecit Achillem,
  Atq; animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
  Dicitur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
  Verberibus iussas præbuit ille manus.

De illo & Iuuen. Saty. 7. scribit:

Qui Præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco: metuens uirgæ cum grandis Achilles
Cantabat patrijs in montibus, & c.

Iam si Achilles rex tantus, Phœnicem præceptorẽ suum adeò honorauit, adeò coluit: quantum obsecro dedecus est iuueni, cum Achille ne tantulũ quidem cõparando, se aduersus præceptorem suum tam honorificũ, tã irreligiosum præbere? Si fecit rex ille Ethnicus, quanto magis faciet iuuenis plebeius? Et ut maximè

quis

quis paritius sit, communibus tamen baptismi sacris inauguratus est, quæ ei aurem, ut in Prouerbio est, uellent, ut præceptori honorem habeat. Achilles Ethnicus etiam Citharœdum metuit, obseruauit. Et iuuenis Christianus præceptorem suum, qui docet eum
Μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Hoc est,

Et bene dicendi & uiuendi noscere normam:
non metuet? non obseruabit?
Sed nos immensum spacijs confecimus æquor, Verg. 2.
Et iam tempus equum spumantia soluere colla. Georg.

V.

Ne occidas.

Hoc est, neminem manu occide, nemine inuide, neminē uerbis probrosis incesse, nemini succense. Nam sic hoc præceptum ipse CHRISTVS *Matth. 5. exponit, Audistis quòd dictum sit ueteribus, Non occides: quisquis autē occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio. Quicunq; uerò dixerit fratri suo Racha, obnoxius erit concilio. Quisquis uerò dixerit Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Exigit ergo hic à iuuentute Deus, ne homicidium perpetret, ut quod Deus non unquam inultum patietur. Exemplum habes in Chain, Gen. 4. Exigit, ut iram frenet. Vnde ad Eph. 4. inquit* PAVLVS: *Irascimini, & ne peccetis, Sol nō oc-*

 cidat

cidat super irã uestrã. Et ut prophana sacris admisceã, Poëta quoq; inquit:

Vince animos iramq; tuam, qui cætera uincis.

Et rursus:

Pertinet ad faciem rabidos compescere mores:
Candida pax homines, trux decet ira feras.

VI.

Non sis adulter.

Id est, Tu quantus quantus es, & corpore & animo, ne adulterio te conspurca: ne corpus libidinibus æstuet, ne mens cupiditatibus uenereis ardeat: oculos, manus cõprime. Nam sic CHRISTVS Matth. 5. præceptum hoc exponit, Audistis, quòd dictum fuerit antiquis, Non committes adulteriũ: at ego dico uobis, quòd quicunq; aspexerit uxorem alterius ad concupiscendũ eam, iam adulterium cum ea cõmisit in corde suo. Atq; hic audit iuuẽtus, Deum summam castimoniã exigere. Audit, libidinem omnem, siue illa adulterio, siue scortatione fiat, prohiberi. Et ut de scortatione pauca dicã, hac sanè nulla maior, nulla turpior pestis homini accidere potest, ut quæ totũ hominem adeò cõmutat, ut nõ cognoscas eundem esse. Testis est Dauid, quo nemo magis masculus, nemo cordatior erat: at is, ubi turpißimæ libidinis æstu exardet, adeò sui dißimilis euadit, ut uerè de illo, uerbis pauculis cõmutatis dicere posses, O quantum mutatus ab illo es Dauide: usque adeo uerum

De scortatione.

illud

illud Ozeæ 4. Fornicatio, & uinum, & ebrietas, auferunt cor. Accedit huc quòd cum Deus Opt. Max. præcipiat, ut corpori nostro suum honorem, qui est ὁ ἁγιασμὸς, ut Paulus inquit, & puritas, indelibatū seruemus. Is qui scortatur, in corpus suum peccat. 1. ad Corinth. 6, hoc est, corpus illo suo honore fraudat. Quid uerò commemorem, quātum τὸν Δάθον (ut in Græcorū prouerbio est) malorū scortatio, cum omnis generis tum liberalibus artibus addictæ iuuentuti adportet: nimirū patrimonij profusionem, famæ dispendium, uiriū corporis eneruationem, innumera morborum agmina, morbum regium quem plerique Gallicū adpellant, morbū testicularem, φθίσιν: nō raro enim compertum est iuuenes non parum multos, qui se scortationi dederant, acceptis ab amicis, imò inimicis potius, philtris, contabuisse. Taceo, quòd nil scortationi cum literis commercij sit: id quod etiam poëtæ miri rerum omnium adumbratores in hoc designarūt, dum & Palladem è cerebro Iouis natā, & Musas uirgines esse, confinxerūt. Quòd si hæc quæ cōmemoraui, iuuenem à scortationis studio non absterreant, absterreat illud quòd Deus non ullum ferè peccatum grauius puniat, quàm scortationem. Quid obsecro Sodomam & Gomorram, urbes florētissimas, adeò in cinerem redegit, ut ne ruina quidem superfit? quid illarum urbium incolas æternis cruciatibus destinauit? scortatio & stu-

Id est sanctificatio.

τὸν Δάθον.

Vide Eras. prouer. Dathus bonorū.

Scortationi nihil cum literis.

Scortationis punitio.

Gen. 19.

prum. Sic enim inquit Iudas in Epistola sua: Sicut Sodoma & Gomorra, & ijs finitimæ ciuitates, quæ ad consimilem modum cum illis stupris inquinatæ fuerãt, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes. Cur uerò Dominus uigintitria millia hominum ex populo Israëlitico, uno die occidit? scortationis, stupri ergò. Sic certè PAVLVS in Epistola ad Corinth. priore, cap. 14. inquit: Neque stupris inquinemur, sicut quidam illorum stupris polluti sunt, & ciciderunt uno die uiginti tria millia. Absterreant iuuentutẽ à scortatione scripturæ sacræ, quæ tam crebrò & prohibent, et pœnam huic libidini propositã certò adfirmãt. PAVLVS 1. ad Corinth. 6. Fugite scortationẽ, inquit. Et ad Thessal. 4. Hæc est uoluntas Dei (arrigat aures iuuentus) sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uestrũ, suum uas poßidere cum sanctificatione & honore, non cum adfectu concupiscentiæ, quemadmodũ & gentes quæ non nouerant Deũ. Salomon cap. 5. Stillans fauus est scorti os: & mollius est q̃ oleum, collum eius: uerùm postrema amara sunt uelut absynthiũ, & acuta ceu gladius. Proinde fili ausculta mihi, nec à sermone meo discede, uiã eius procul fugito, nec accede ad fores ædiũ eius. Porrò, pœnã propositam ostendit PAVLVS ad Corinth. 6. Neq; scortatores, neq; adulteri, regni hæreditatem accipiẽt. O scelus abominandũ, ò scelus iuueni cũ remis tũ uelis fugiendum.

endū. Audis scortatores regni æterni hæreditate priuari: hoc est, perpetuis inferni tenebris addici. I nunc, & scortare. At inquiet aliquis, quinā hoc malū tā detestabile fugere possum? Audi, ut fugias, hoc primū remediū erit, si à CHRISTO Opt. Max. quotidie intimis precibus cōtenderis, ut pudicitiæ tuæ florē illibatū conseruet: si CHRISTUM ex toto pectore rogaueris, ut te à turpißimo libidinis incendio liberet, tum sanè CHRISTUS, ut est erga pudicos animo propensißimo, in te efficiet, ut nullo prorsus scortationis ardore inflāmeris. Audi obsecro, quid dicat Salomon cap. 2. Eripiet item sapientia (id est, CHRISTUS qui est sapientia à Deo, prima Corinth. 1.) à muliere aliena, quæ te blāditijs uēdicat, & relicto pristino marito, pacti diuini obliuiscitur. Vt scortationē effugias, & illud effecerit, si otiū, ut omniū malorū, ita unicū scortationis seminarium fugeris. Noti sunt isti uersiculi Poëtæ:

Quo pacto scortationē effugere poterimus? Precib. ad Deū.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent & sine luce faces.
Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter.
In promptu causa est, desidiosus erat.
Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus unda,
Et quàm limosa canna pallustris humo:
Tam Venus ocia amat: finem qui quæris amori,
(Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

Fuga otij.

Est & celebris uox senis illius Terentiani conque-

rentis de amoribus filij: Ex nulla alia re istud, nisi ex *nimio ocio uenit. Tum si ab hoc malo immunis esse uis,*
Fuga impudicorum. *illorũ cõtubernia cane peius & angue odi, q in scortis male audiũt: ut enim corporis, ita & animi uitia cõtagio serpunt in uicinum.* Vnde illud Senecæ in lib. de ira tertio, *quod utinã iuuenes nõ legerent solũ, uerũ etiam mentibus insculperent*: Sumuntur, inquit, à cõseruantibus mores. Et ut quædam in cõtactis corpore uitia trã siliunt, ita animus sua mala proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem uini traxit. Impudicorũ cœtus fortéq;, & si liceat, uirũ emollit. Porrò nec illud parũ ad uitandũ hoc scelus fecerit, si prospexeris, ne te illis adiũgas, qui nil nisi de scortatione, de stupris blaterãt.
1 Cor. 15 φθείρουσι τὸ ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί. Id est, Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Quem uersum & apostolus PAVLVS priori ad Corinth. epistolæ inserere dignatus est. Deniq; si scortari noles, occasionẽ scortandi fugito. Proinde PAVLVS dicit, φεύγετε τὴν πορνείαν, id est, Fugite scortationem. Ecce fugam, et hoc malũ à nobis propulsare, admonere uult. Exemplum est nobis Ioseph, qui ne turpi amore uxoris Putipharis accẽderetur, eã quoad eius fieri poterat, fugiebat. Flãma, inquit Comicus quidã, fumo proxima est. Si libidinis flamma inflammari non uis, & loca & homines fuge, à quibus ad hoc uitij incitari potes. Nã ut Salomon inquit, fieri nequis quin

Occasio scortãdi fugiẽda.

Proue. 6

adurat

adurat uestem, quisquis ignem in sinu fouerit: & pedes haud dubiè læserit, quisquis supra carbones incesserit: Ita, quisquis ad alterius uxorem accesserit, quisquis attigerit, feret infortunium. Et quod penè præterieram: *à scortatione alienus esse uis? cura ut immodestam & uini, & ceruisiæ ingurgitationem, id est, ebrietatem, uites.* Notum est illud Valerij: Ebrietas uitanda.

Venter uino æstuans facilè in libidinem despumat.

Notum est illud Poëtæ:

Vina parant animos Veneri.

Et hæc quidem, quæ hactenus dixi, ad scortationē pertinent. Quid uerò de adulterio dicā? quod ut à scortatione nonnihil diuersum est, ita nō minus malorū inuehit, non minus Deo aduersum existit, non minus pœnæ homini creat. Dicit enim PAVLVS: Neq; scortatores, neq; adulteri, regni hæreditatem accipiēt. sed de hoc aliâs. In præsentia satis sit iuuentuti cōmonstrasse, quàm turpis, quàm omnibus malis referta, quàm Deo odiosa res sit scortatio, satis est me ostendisse, malum hoc diuina gratia & alijs honestis functionibus expugnari posse. Faxit CHRISTVS, ut hoc scelus, quā est detestabile, tam iuuentuti exosum reddatur. Amen. De adulterio.

VII.

Non furtum facias.

Hoc est, benè merere de proximo tuo, illius bona ne compila, ab usuris illicitis tibi tempera. Huc facit illud

Ad Ephes. 4. PAVLI: *Qui furatur, non amplius furetur, magis autem operetur, laborando manibus quod bonum est, ut poßit impartire ei qui opus habuerit.*

VIII.

Non loquaris cõtra proximũ tuum falſum teſtimonium.

Hoc est, neminem falso testimonio opprime: ne in testem uocatus, contra proximum circumueni, claram proximi tui famam ne obscura, ne obtrectationibus, ne calumnijs indulgeto. Hic exigit à iuuentute Deus, *ut*
Ephe. 4. *ueritatis amore teneatur, mendacij odio capiatur. Sic enim* PAVLVS: *Quapropter, deposito mendacio, loquamini ueritatem quisq; proximo suo, quoniã sumus*
Obtrectatio. *inuicem membra. Hic exigit* Deus, *ut iuuentus uitium illud proximo obtrectandi, uel clàm, uel apertè, hoc seculo proh dolor adeò uulgatũ in omnibus circulis, conuiuijs, prãdijs, cœnis, fugiat. Id quod ut iuuẽtus faciat, præter edictũ* Dei, *etiã illud ab ea impetrauerit, quòd in proximo nihil damnare, nihil maledica lingua percerpere potest, quin illum, qui proximũ ita labi, ita errare patitur, dãnet, lingua petulanti incessat. Damnas illum, quòd non insigniter doctus est: sed heus tu an nõ damnando proximum, damnas* Deum, *qui pro suo consilio unicuique impartit id quod uult? Obtrectas huic quòd iam hic, iam alibi lapsus sit: at illa obtrectatione insultas*

insultas Deo, cui stat quilibet & cadit, ut PAVLVS *ad Romanos scribit. Obtrectas huic, quòd non opibus* Rom. 14
abundet: obtrectas igitur & Deo, *à quo paupertas pro ficiscitur.* Ecclesiastici *undecimo:* Bona *& mala, uita & mors, paupertas & honestas, à* Deo *sunt.* Breuiter *quid de ullo homine malè prædicare potes, quin malè prædicando de homine, & de* Deo *omnium rerum autore prædices? Quid quòd cũ nemo, ut* Poëta *ille* Ethnicus *inquit, sine uitijs nascatur: quanam fronte proximo obtrectare audes, qui in te tam multa obtrectationi, si ea licita esset, exposita ostendas?* Insanum *putas, si claudus loripedem derideat, de illo male prædicet.* Cur *non etiã insanũ putes, si tu eiusdẽ quod aiunt, cum proximo monetæ, in proximo tuo insectando, tam ridiculè, tam uirulentè declamas?* Accedit *huc, quod iuuentutem uel cum primis ab obtrectandi studio abstrahat, nempe quòd sacræ literæ hoc uitium adeò execrãtur, adeò detestantur, adeò interdicunt.* Leuitici *nono inquit* Dominus: Non *eris criminator, nec susurro in populis.* Prouerbiorũ *uigesimoquarto:* Cogitatio *stulti, peccatum est: & abominatio hominum, detractor.* PAVLVS *ad* Ro. *primo, inter τοὺς ἀσεβεῖς, καταλάλους, id est, obtrectatores quoq; numerat.* Denique *ab hoc uitio iuuẽtutem absterreat, quòd* Deus *obtrectandi studium grauißimè puniat.* Cuius *exemplũ in historia* Susannæ, Danielis 13, *memoriæ proditum est.*

Impios, detractores.

IX. ET X.

Non concupiſces uxorem proximi, non deſiderabis uxorem proximi, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, non omnia quæ illius ſunt.

Hoc eſt, ne bonorū proximi tui cupiditate flagres, ne opta tibi bene eſſe, etiamſi proximo ſit male: ne inuide proximo & honeſtam & pudicam uxorem, bene educatos liberos, fidelem & ſedulam familiam, & ut
Id eſt, *ἀποτόμως dicam, præceptum hoc exigit, ne quis cu-*
breuiter *piat omnia ſibi ad nutum fluere, etiamſi proximus extrema paupertate diſtorqueatur. Neq; uerò Chriſtianū eſt, quod impius ille apud Terent. gannit: Omnes ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri: imò omnes alteri melius eſſe maluerunt, quàm ſibi. Charitas enim Chriſtiana non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum, prima ad Corinth. 13.*

PERORATIO.

Ex his decem præceptis, opinor, iuuentus didicit, quidnam Deo, quidnam proximo debeat. Debet uerò Deo fidem, ſpem, charitatem, religioſam nominis eius uſurpationem, Sabbatorum eius ſanctificationem.
Id eſt, re *Proximo debet charitatem, quæ eſt totius legis ἀνα-*
capitu- *κεφαλαίωσις. Iam ut mea refert ſententia, iuuen-*
latio. *tus tenet, quæ uita Deo cordi, quæ odio ſit: qui mores*

Chri-

Christianum redoleant, qui paganum resipiant. Caeterum cum Deus Opt: Max. hominem ex corpore & animo constituerit, me precium operae facturum reor, si id quod etiam in principio recepi, paucula quaedam praecepta de cura tam corporis quam animi praescripsero. Tum nec abs re erit, si & in plerisq; alijs rebus, quid dignum sit, iuuenibus ostendero. Enimuero cum corpus certis partibus constet, quam potest fieri breuissime, curam τῶν πρεπουσῶν partium corporis, Id est, decentem. non omnium quidem, sed praecipuarum, commonstrabo. Et primum omnium, qualis cura totius corporis iuuenem deceat, Ouidius his uersiculis, ut eruditissime, ita breuissime complexus est:

Mundiciae placeant, fuscentur corpora campo.
 Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaq; nec rigeat, careant rubigine dentes,
 Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
 Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
 Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
 Nec laedat nares uirq; paterq; gregis.
Quam saepe admonui ne trux caper iret in alas,
Quid si praecipiam ne fuscet inertia dentes?
 Oraq; suscepta mane lauentur aqua.

VT

VT OCVLIS VTI IVVENIS debeat.

Ne paßim, ut Salomon inquit, uagentur oculi, sed rectè te præcurrant.

QVALIS CVRA MANVVM iuueni habenda.

Manus sordibus careant. Et, ut Poëta dixit:

Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues.

Dum iuuenis cum uiro aliquo graui colloquitur, manus compositas habeat, nec ut rusticis ferè in more est, inter colloquia aut manibus gesticuletur, aut è mitra plumas, si quæ insederint, carpat.

QVAE PEDVM CVRA IVVENEM deceat.

Inter colloquendum iuuenis pedes coniunctos habeat, nec more ebriorũ huc illuc uacillet: id quod moniturus non eram, nisi & id iuueni ornamẽto esse, satis
Id est, decentiã. *certò scirem. Aliorũ membrorũ τὸ πρέπον, & curã in præsentia nõ referã, tũ quòd infiniti laboris futurũ est, tũ quòd membrorũ primariorum curã τῆς νεανικῆς*
Id est, adolescẽte dignã *ἀξίαν ostẽdisse, satis duco, Cũ uerò & non parũ referat quonam incessu utatur, & de illo pauca subijciam.*

INCESSVS IVVENE dignus quis.

Rectà incede, & uiæ tuæ rectæ sint, nec declina ad dextram nec sinistram, deflecte à malo: hæc Salomon. Cur enim non ex illo potius quàm alio scriptore, iuuentutis

tutis mores formem? ut qui spiritu Dei adflatus, Gnomas Christianae iuuentuti semper in sinu gestandas, imò ediscendas potius edidit. Huc refer & illud Ciceronis ex lib. Officiorũ primo: Cauendum est autẽ, ne aut tarditatibus utamur ingressu mollioribus, ut similes põparum ferculis esse uideamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus mouentur, uultus mutantur, ora torquentur. Ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam.

QVALIS CVLTVS IVXTA VESTITUS corporis iuuenem ornet.

Cũ nõ parũ referat quo cultu, pariter et uestitu corporis iuuenis utatur, libet et de utroq; pauca subijcere: Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti: Fine coli modico, forma uirilis amat. Forma uiros neglecta decet.

De uestitu iuuentutis nõ est quòd multa praecipiam, cum tot ferè genera uestitus sint, quot rationes existãt. Proinde hoc admonuisse satis sit, ut iuuenis uestitu se digno ornet. Et hoc unum cũ primis curet, ut membra uirilia obtecta, & ab hominum obtutibus remota sint. Quae enim, inquit Cicero in lib. Officiorum primo, natura occultauit, eadem omnes qui sana mente sunt, remouent ab oculis, ipsiq; necessitati dant operã, ut quã occultissimè pateant. Haec ille. Sed quid hodie, proh pudor, fit? Ecce iuuenes perfricta fronte, coram honestissimis

simis puellis, coram integerrimis matronis, coram ipsis etiam præceptoribus, membra illa uirilia impudentissimè ostentant. Et ubi à præceptore admonentur, ut illa obtegant: nescio quot paralyses ei imprecantur. In hos sanè cinædos, Academiarum moderatores uel grauissimè animaduertere deberent. Indignum enim est iuuentutem in tanta inuerecundia adolescere, indignum est illam inuerecundiam inultam existere.

QVALES MORES IN MENSA iuuenes deceant.

Cum plerique iuuenes adeò ineptè, adeò rusticè se inter prandendum iuxtà cœnandum gerant, proinde & de mensæ moribus pauca præcipere duxi. At qui mores inter cibum capiendum iuuenes ornent, Ouidius paucis uersiculis scitissimè complexus est:

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Neue diu præsume dapes, sed desine citrà
Quàm cupias, paulo quàm potes esse minus.

Ebrietas fugiēda. *Et ut obiter quoq; hoc admoneam, iuueni inter prandendum, cœnandum, commessandum, ebrietatē fugiendam esse, tum quòd literæ sacræ eam Christianis interdicant. Sic enim Lucæ 21. CHRISTVS inquit: Cauete, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate. Et PAVLVS ad Romanos 13. inquit Tanquam in die cōpositè ambulemus, nō in cōmessationibus & ebrietatibus.*

tatibus. Tum quòd nulla res sit, quæ plus malorum iuuenibus adportet. Hinc enim, ut Plinius scribit, pallor & genæ pendulæ, oculorū ulcera, tremulæ manus effundentes plena uasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna. Salomon in Gnomis suis: Vinum, inquit, subsannatores facit, & tumultus ebrietas. Verùm quod omnium malorum ultimum est, ebriosos PAVLVS regni Dei hæreditatem non consecuturos, in epistola ad Corinthios priore, cap. 6. scribit. Et hæc quidem de ebrietate fugienda παρέργως iuuentutem admonitā uolo. Quod si bibere uolet, ita bibat, ut officium præstēt mensq; pedesq; suū: sic enim Ouidius in primo artis. Sed cur non alios quoque illius Poëtæ uersiculos refero?

Mala ebrietatē sequētia

Id est, obiter.

Iurgia (inquit) præcipuè uino stimulata caueto,
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stultè data uina bibendo.
Aptior est dulci mēnsa merumq; ioco.

Atq; utinam iuuentus studiosa Romuli regis illius Romanorum exemplum inter bibendum æmularetur, qui ad cœnam à quodam inuitatus, cum non ita multū bibisset, quia postridie negotium haberet, ei dicūt: Romule, si istuc omnes homines faciant, uinum uilius sit. Tum ille: Imò uerò carum, si quantùm quisq; uolet, bibat: nam ego bibi quantum uolui. Quòd si iuuentus sobrias, ut æquum est, compotatiunculas adornauerit, &

inter

inter præbibendum aliquid ſerij agat, ne & hoc tempus fruſtra adfluat. Nimirũ iuuenis præbibiturus ſuo compotori, uerſiculo aliquo ex tempore cõfićto præfetur. Et ut docendi gratia exempla pauca ſubijciam:

FORMVLAE PRAEBIBEND.

Hoc tibi τῆς χάριτος poclum do chare ſodalis.

Vel ſic,

Præbibo quicquid id eſt pocli ſtudioſe Iacobe.

Vel ſic,

Iam bibo, deinde ſtatim me Petre ſe quare bibendo:

Vbi is cui præbibitur, reſpondere poterit uerſiculo quoq;, eiuſdem farinæ, hoc eſt, extẽporario. Et hoc quidem uel pentametro, uel ſi poteſt, hexametro:

Sit felix, fauſtum, Petre diſerte tibi.

Vel ſic,

Sit felix, charus potus utriq; tuus.

Vel ſic,

Accipio oblatum pergrato pectore poclum.

QVIBVS DE REBVS IVVENTVS INTER cibum capiendum confabulari debeat.

In menſa iuuenes nec omnino muti ſint, nec nimium loquaculi. ſiquidem illud triſtis, hoc ſtolidæ mentis indicium eſt. Quòd ſi uerò loqui uolent, de rebus honeſtis, & illis è quibus tam ipſi quàm alij cõuictores meliores abeant, loquantur. Et ut ſyluam quandã ſermonum, qui iuuenes inter edẽdum deceant, cõmonſtrem:

aliquando

aliquando de nomenclaturis ferculorum, quæ in mensam apponuntur, inter se sermones conserant. Aliquãdo de uarijs potus generibus confabulentur. Neq; uerò ἄτοπον fuerit, illa, quæ interdiu uel à præceptoribus audiuerũt, uel priuatim suo Marte legerunt, ueluti cõtentionis malum in mediũ conijcere, & aliorum quoq; de illis sententiam inquirere. Non ineptũ fuerit & de carnium uarietate, salubritate, facili digestione disserere. Nimirũ aues imbecillius alimentũ sufficere quàm quadrupedes, præsertim quàm sues, sed concoctu facilius. Aues iuniores ueteribus humidiores existere, iuxtà coctu faciliores, tũ alimenti ualidioris. Anseris carnem plurimũ superfluitatis in humano corpore relinquere, ægrè concoqui. Præterea carnem suillam ualidã quidem esse, sed ex illius esu alimentũ contrahi & glutinosum, & haud facile dißipatu. Ouillam carnem superfluitatibus redundare, maliq; succi esse. Bubulam carnem, atram bilem parere. Leporinam carnẽ crassi succi existere. Cerui carnem duram, coctuq; difficilẽ præbere alimoniam. Hæc & huiusmodi (quæ cũ aliâs, tum in Paulo Aegineta traduntur) inter comedendum producere admodum & decorum, & utile erit: tum si quis quid de hac uel illa aue, de hac uel alia fera, de hoc uel illo piscium genere, quod memorabile sit, uel legerit, uel audiuerit, exponat. Cuiusmodi est illud Martialis (Exempla enim pauca, ut iuuentus ad similia

Id est, absurdũ

Carniũ uarietas

Aues.

Anserina.

Suilla.

Cilla.

Bubula.

Leporina.

Ceruina

& obseruanda, & promenda acuatur, adferam.)

Inter aues Turdus, si quis me iudice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Sic eiusdem est illud de Ansere:

Hæc seruauit auis Tarpeia templa tonantis:
Miraris, nondum fecerat illa Deus.

Vulpes. Sic Plin. de uulpe scribit, animal esse solerti auditu, ut quod aure ad glaciem adposita, coiectet craßitudinem gelu. Sic de ceruis scribit, quòd cum erexerint aures, acerrimi auditus: cum remiserint, surdi existant. Cerui.

Lac. Huc refer & sermones de lacte. Nimirum lac coctum alere quidem corpus, sed gingiuis dẽtibusq; officere. Lac caprinum mediocris esse substantiæ, ouillum craßioris. Huc accerse & colloquia de ouis: Gallinarum Phasianorumq; oua prima existere. Sorbilia melius descẽdere, & gutturis asperitatem lenire, reliqua omnia coctu difficilia existere. Porrò, fricta in sartagine, omniũ peßima esse. Adhæc et de uini generibus pariter, quod uinũ alio præstantius, quod magis nutriat, iuuentus confabulabitur. Sic nullum non uinũ nutrire, sed rubicundũ magis, Cæterũ, rubicundum uinum non boni succi esse: dulce nutrire quidẽ, sed stomacho inimicum existere. Acerbum, ut stomacho gratum sit, ita non facilè transmitti, ac minus alere: & id multo minus, si album existat. Sub hæc inter comedendum & illud non absurdum erit, si iuuentus inter se colloquatur, ubi Vir-

Oua.

Vini genera.

gilius

gilius uel Theocritum, uel Homerum uersibus suis expresserit. Cuiusmodi est illud (ut & huius rei gustum quendam præbeam) apud Virgilium in Eclogis:

Vt uidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

Quem uersiculum ex Theocriti Idyllio appositissimè traduxit.

Ὥς ἴδον, ὣς ἐμάνην, ὣς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη.

Cuiusmodi est & ille uersiculus Ecloga 3.

Nec dum illis (de poculis uerba faciens)

Labra admoui, sed condita seruo:

Quem ex Theocriti illo in Idyllio primo bellissimè deriuauit: (κεῖται.

Οὐδέτι πω ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγεν, ἀλλ᾽ ἔτι

Est apud Virgilium in 2. Aeneidos periphrasis uenientis noctis:

Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,
Inuoluens umbra magna terramq; polumq;.

Hanc Periphrasin ex libro Iliad. Homeri θ. transtulit, uersus Homeri sunt:

Ἐν δ᾽ ἔπεσ᾽ ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο
Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν

Et quod penè oblitus eram, inter comedendum de sacris quoq; literis iuuenes conferēt, & in memoriam reuocabunt ea quæ ab eruditis cōcionatoribus audiuerunt. Conferent inter se locos quosdam PAULI, qui prima fronte pugnare uidentur. Pluribus moneo, qua-

libus sermonibus iuuentus inter edendum utatur, idq́; hoc nomine, quòd exploratum habeam, quàm friuolis, quàm obscuris sermonibus omnia prandia, omnes cœnæ, omnes commessationes iuuenum perstrepant. Quotus enim quisq; uel Latinè loquitur? quotus quisq; inter prandium, inter cœnam, uel uerbulo rerum quarum modò mentionem inieci, meminit? Optimus ferè conuictor est, qui quàm spurcißima euomat. Bellus conuiua est, qui non nisi Bacchũ, Venerem, & nescio quæ alia μὴ καθήκοντα, ut PAVLI uerbis utar, effutit.

Id est, non conuenientia.

Cæterum cum Dominus de quolibet uerbo otioso à nobis rationem exacturus sit, Matth. 12. curabit iuuenis, ut sermonis rationem habeat, & nihil dicat, nisi quod, ut PAVLVS inquit πρὸς τὴν οἰκοδομὴν, proximi redundet.

Id est, ad ædificationẽ.

Neq; uerò inter comedendum tantùm, ne os sermonibus lapsabundis & uanis scateat, cauendum est, sed ubiubi erit iuuenis, ne quid pestilens, ne quid spurcũ euomat, prospexerit. Sic enim PAVLVS ad Colos. inquit: Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Porrò, ut hoc obiter indicem, sermonem sale conditum, PAVLVS uocat sermonem non insulsum, ineptum, spurcum, sermonem qui erudiat rudem, consoletur pusillanimem, erigat lapsum. Et hactenus quidem de sermone iuuenibus digno, ultra modum, uel potius intra modum diximus.

Sermo sale conditus, quis Paulo.

DE

DE ANIMI CURA

ἐπιτροπή.

CVm, quæ cura corporis iuuentuti suscipienda sit, quàm fieri potuit paucißimis à nobis dictum sit, paucula quoq; de animi cultu, ut & paulo antè recepimus, iuuenes admonebimus. Primò omniũ curet iuuenis, ut animũ diuinæ particulam auræ, ut Horatius inquit, clarum uirtutibus politicis reddat: cuiusmodi sunt, sapientia, prudentia, pietate, iustitia, liberalitate, temperantia, modestia, & si quæ aliæ uirtutes politicæ existant. Deinde, si ad bonas literas discendas traditus est, à Deo Opt. Max. prosperũ in literis successum petat. Siquidẽ ut literæ bonæ Dei dona sunt (1. ad Corinth. 12.) ita quoq; illo fortunante in illis progressum facimus. Sic enim inquit Salomõ: Deus ex ore suo sapientiam, scientiam, & intelligentiã largitur, rectis dat successum. Tũ ubi iuuenis literis operã nauare ceperit, urgeat institutũ: nõ secus uocationi (ut PAULI uerbo utar) atq; Poëta scenæ seruiat: animum inducens, credere tã Deo exosum esse, si præceptori ad humanitatem informandus creditus, non officium suum faciat, quàm in re alia quapiam, non quod & se dignũ sit, & Deus uelit, præstet. Vult enim Deus, ut quisque uocationi suæ pro sua uirili faciat satis. Iam si ad animi cultum capiendum Dei Opt. Max. benignitate uocatus es, tuum erit officium, uocationi tuæ, quantum in te est,

respondere. Id quod utinam pleriq; iuuenes hoc nostro seculo & scirent, & secum reputarent: haud dubiè non tam segnem operam in literas collocarent. At uerò cū Deum in illorum segnitiem non animaduersurum credant, mirum est quàm frigidè literarum studia excolant. Præterea hic omnem, quod aiunt, rudentem moueat iuuenis, ut literarū sacrarum panoplia, animum suum aduersus diaboli, mundi, carnis, capitales iuuentutis hostes, aduersus omnia uitiorum genera propulsanda munitum et infractū habeat. Nulla enim est tam ualida tentatio, quin eā sacræ literæ retūdant ac frangant. Et ut paucula exempla docendi gratia proferā:

DIABOLO RESISTENDUM esse.

Docet Petrus in *Epist. priore, ca. 1. Sobrij estote, uigilate, quoniam aduersarius uester diabolus tanquā leo rugiens obambulat, quærens quē deuoret. Cui resistite, solidi fide. Iacob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à uobis.*

NON ANIMVM DESPONDENDUM in aduersis.

Docet CHRISTVS *Ioannis decimoquarto: Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Et Ioannis decimosexto: Vos autem mœrore adficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. &c.*

NON CARNIS LIBIDINIBVS obtemperandum.

Ad

Ad Romanos 13. Carnis curam ne agatis ad concupiscentiam, &c.

NON MVNDI ILLECEbris indulgendum.

Prima Ioannis secundo: Ne diligatis mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.

VITANDAM ESSE scortationem.

Prima ad Corinth. sexto: Fugite scortationem. Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

FVGIENDAM ESSE EBRIEtatem & crapulam.

Lucæ uigesimoprimo: Cauete autē uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate.

NON INSOLESCENdum esse.

Prima ad Corinthios tertio: Quid autem habes quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? Prima Petri quinto: Humilitatem animi uobis infixam habete: propterea quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

INANEM GLORIAM fugiendam.

Quinto ad Galatas: Ne efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem uos prouocantes, inuicem inuidentes.

A CALVMNIA LINGVAM frenandam.

Leuitici nono: Non eris criminator & susurro in populis.

BENE MERENDVM DE male merentibus.

Ad Romanos duodecimo: Si esurit inimicus, pasce illum: si sitit, da illi potum.

IRAM DOMANDAM ESSE.

Ad Ephesios quarto: Irascimini, & non peccetis: Sol ne occidat super iram uestram. &c.

SERMONES SPVRCOS VITANDOS

Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, &c. ad Ephes. 4.

Hæc paucula exẽpla docendi gratia subiecisse suffecerit: aduersus alia uitia, alios scripturæ sanctæ locos iuuenis conquirat. Et in primis illos locos in promptu habeat, qui conscientiam consolentur. Cuiusmodi est ille Ioan. 2. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suũ unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et ille apud Matth. 1. cap. Et uocabis nomen eius IESVM, *is enim saluũ faciet populum suum à peccatis suis. Teneat & iuuenis locos, qui ad charitatem proximi nos uocãt, ut est ille Ioannis 11. Præceptum nouũ do uobis, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem.*

Sed

Sed quid multa? hæc de instituendis iuxtà corrigendis moribus iuuentutis, in præsentiarum dicta à me sint: qui plura scribere hac de re uolet, scribat per me licet, excipiat lampada cursu: nobis sat est, utcunq; uiam quandam & componendi & corrigendi mores iuuenibus aperuisse.

FINIS.

DE DISCIPLINA ET PVERORVM INSTITVTIONE OTTHONIS BRVNFELSII Parænesis.

QVOMODO MANE SVRGENDVM.



TTENVANT, ut inquit Ouidius, uigilatæ corpora noctes.

Quare in primis habẽda cura somni, ne aut plus quã oportet tenuior sit somnus, aut quã expedit lethæus. Septem horis dormisse, etiam puero satis est.

Surgens itaq; mane, primùm ab ipso lectu in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, diei auspicaberis initium: & dominica oratione cõmendabis te CHRISTO,

Gratias ages, quòd eam noctem uoluit esse prosperam tibi.

Deinde precaberis, ut diem itidem illum totum tibi fortunet bene, ne impingas in peccatum.

Mox ueniens in conspectum, felicem diem precaberis parentibus.

Inde capillitium comabis, manus & uultum lauabis, ut quàm primùm recipias ad ludum te:

Ante ingressum, spiritum suum ut tibi largiatur CHRISTVS, *orabis: quia citra illius opem, frustraneum est quod tentatur.*

Interim tamen sic stude, quasi nihil sit ille auxilij laturus, nisi gnauiter laboranti.

Diuis deferre salutem, aut inuocare ut scientiam dent, Christiano puero piaculum est.

Vnus est enim Deus, *qui uult adorari & coli solus, qui solus ministrat omnibus omnia.*

DE DILIGENTIA ADHIBENDA IN LUDO.

Libenter ausculta.

Et quod agis, toto pectore agito.

Responde uerecundè.

Praua non mordicus confuta, sed uerecundè.

Ante omnia caue, ne meritò uapules.

Ne quid dicto factóue uel praeceptorem offendas, uel sodales tuos.

Dispu-

Disputantem contra te, magis doce, quàm uince.

Lectione aßidua, pectus tuum bibliothecam fac CHRISTI.

Ab infantia disce sacras literas.

Pro lectione quotidiana, pensum fixum habeto.

Neq; antè somno indulgeas, quàm præclaris aliquot sententijs pectoris calathum oppleueris.

Interdum si quid de penso lectionis omissum, multam tibi iniungito.

Disce certis quibusdam ingenijs assuescere & initi, quæ exprimas.

Probatiores autem legito semper.

Non abscedat dies, in quo non aliquid adijcias, ut melior fias.

Nam eloquentiæ tantùm studere, ut eruditione doctior fias, non melior, diabolicum est.

Prodest eloquentia, si VIRTVS fuerit magistra.

Et mores dicentis sunt, qui persuadent, non oratio.

Autores quibus paratur eloquentia, sunt, Cicero, Terentius, Gellius, Quintilianus, Sallustius, ERASMVS. His præcipuè uelut principibus eloquentiæ, nitendum est.

Terentium quosdam audio contemnere, & uetare ne pueris prælegatur; sed eos qui nunquam assequuti sunt Terentium.

Neq;

Necq; nos unquam paßim, & absq; delectu omnes poëtas probauimus.

In disciplinis quoq; liberalibus, itē in Geographia, historijs, & in studijs linguarum, conuenit saltem prima elementa attingere in pueritia. Sed de hoc aliâs.

DE REDITV EX LVDO.

Dimissus à ludo, domum propera rursus, nec in platea moram feceris.

Domi si quid est obsequij præstandum parentibus, diligenter obi.

Quòd si uacat tecum repetere quod prælectum est in schola, repete.

Nihil enim in uita preciosius tempore.

Cogita enim quòd irrecuperabile est, & perit, & quòd transigitur.

Vbi hora ingruerit prandij, mensam adornato.

DE APPARATV MENSAE.

Mensam in tempore adornato. Sed ante apparatum, pocula diligenter mundato.

Mensæ primùm supponitur mappa.

Inde circulus æreus.

Proximè salina.

Post hæc orbes.

Ad postremum panis.

De poculorum appositione, patriam imitare. Nam hic uariant regiones.

CONSE-

CONSECRATIO MENSAE, ex Chrysostomo.

BEnedictus Deus, qui me pascis à iuuentute mea, qui cibum præbes omni carni: reple lætitia & gaudio corda nostra, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum in CHRISTO IESV domino nostro: cum quo tibi gloria, honor, & imperium, cum sancto spiritu, in æuum. Amen.

ALIA CONSECRATIO breuis.

QVicquid appositum est, & quicquid apponetur, fœlix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen.

DE REMOTIONE MENSAE.

EOdem autem modo quo apparatur, ita & remouetur mensa.

Orbes colligentur primùm:

Post hæc salsamenta & sal.

Inde caseus, uel quicquid aliud est τραγημάτων, id est, secundarum mensarum.

Ad ultimum unà cum pane remouetur & mappa.

HYMNVS ET GRATIARVM ACTIO post sumptum cibum.

GLoria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex, quoniam dedisti nobis escas: imple nos gaudio & lætitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu

spectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua. Amen. Pater noster, &c.

ALIA GRATIARVM ACTIO.

Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas. Largire filijs tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti uerè diligentibus te, per IESVM CHRISTVM, *Amen. Pater noster.*

DE GESTIBVS IN MINISTERIO mensæ.

Rectus & compositis pedibus sta, sollicitè animaduertens ne desit quid. Et cum infundendum, siue quid porrigendum, apponendum, aut tollendum, ciuiliter id feceris.

Amandatus aliquò, reditum matura.

Ante & post epulas Deo benedicas, & consecrationem recitabis.

Astans non turbabis, seu interturbabis aliorum sermonem: sed interrogatus, breuiter respondeto.

Cantharos & uasa ne per obliuionem confundas, ut alterum fundas pro altero, si uaria sunt uina.

Salis ne obliuiscitor.

Scissum uel confractum, mensæ ne apponito.

Inter noctu sub cœnã aduigilato attentè pro emungendis lucernis, & ne quid fœdi odoris in nares redoleat conuiuantium.

Emungens ne extinguito.

Sed nec assuesces etiam quicquid de mensa remotum est, uel reconditum domi habetur, abligurire.

Actis gratijs, & sublatis omnibus, si quid uacat, lusu quopiam honesto animum laxa cum sodalibus, donec hora reuocet in ludum à lusu.

DE MORIBVS OBSERVANdis in conuiuio.

SI autem contingat, ut ipse quoq; mensæ accumbas, hæc obseruabis:

In primis ungues præcisos habeto.

Manus lauato.

Erectus accumbito.

Hospiti collocanti acquieueris.

Ebrietatem fuge.

Sobrius esto.

Sic præbebis hilarem te, ut semper memineris quid deceat ætatem tuam.

Postremus omnium admoueto manum patinæ.

Si quid datur lautius, recusato modestè.

Si instabitur, accipe, & gratias age.

Mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti.

Alterius tamen uxori, marito aßidente, nihil reddideris.

Similiter principi aut magnati nihil reddideris.

Parenti, amico, cognatis licet frangere & distribuere quæ optima uidentur.

Si quid lautius ministratur, ut hepar pisciũ, & alia quædam, parcius gustaueris, & reliquum distribuas.

Si quis præbibet tibi, hilariter illi bene precator.

Sed ipse bibito modicè.

Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs.

Arride loquentibus.

Ipse ne quid loquare, nisi rogatus:

Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone uultum quasi non intelligas.

Ne cui in mensa obtrectato.

Ne cui temet anteponito.

Ne tua iactato.

Ne aliena despicito.

Esto comis erga tenuis fortunæ sodales.

Deserto neminem.

Ne sis lingua futili.

Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Si uideris conuiuium esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis conuiuis subducito te à mensa.

Panem pectore ne proscideris.

Digi-

Digitulos proſcindens cultro ne appoſueris.

Quæ ante & iuxta te poſita ſunt, edito.

Decerpturus ex catino quippiam, ſummo cultro comprehendito.

Ne ut ſus effundas te ſupra cibum.

Ne confundas uel turbaueris, præſertim digitis, quæ poſita ſunt in catino.

Oua manducaturus, panem conſcindito fruſtillatim prius.

Verùm ne quid præterfluat curabis.

Maturè edes ouum.

Teſtas non confractas in catinum reijcito.

Inter edendum ouum non potabis.

Comeſturus, thoracem præſeruabis, ne cõmacules.

Piper quoq; edens, digitos non prælinges.

Suprema labia aut naſum manica non emunges inter epulandum.

Naſum non abſterges, niſi ſtrophiolo, idq; ciuiliter & modeſtè.

Mucum digito non excalpes.

Salino digitos ne indas, ne'ue ſalſamentis & piperatis omnibus.

Bucellas ne nimis denſas ſumito, uel amplas, ſed ſingulas conſcindito.

Ex ore nihil extraxeris in orbem.

Caput inter epulas ne ſcalpito.

L Omnis

Omnis cachinnus effusus in conuiuio turpis est.

Potaturus, duobus digitulis labia suprema abster=gito.

Non appareat supernatans in poculo tuo sagimen, aut pinguedo.

Sed neq; cibum habens in ore, & needum uorato potabis.

Simul & mandere & loqui rusticum est.

Screare similiter, aut oscitare, aut expuere cre=brius, similiter inciuile habetur.

Agreste et ethnicũ est, in supremo cubito recũbere.

Panem tinctum uino edere ex poculo in cœtu ho=minum, ridiculum est.

Non recumbas in dorso supinus.

Cochleari quantum satis est haurito, & sorbeto.

Inter sorbendum nihil distilles, neq; bis uno haustu sorpseris.

Donec manderis & glutiueris, ne sorbeas iterum.

Caninũ est, immẽsos bolos uorare, & ossa rodere.

In oßibus si quid pulpamenti hæret, modestè cultro proscindito.

Alij uerò conuiuæ quid præcerpant uel appositum habeant, ne temerè circumspectaueris.

Quod semel dentibus demorsum ac rosum, paro=psidi ne inferas.

Italica, et Galliẽsis ciuilitas est, sed apud Germanos turpis,

turpis, oßium & eduliorum quisquilias sub mensam deijcere.

Indecens quoq;, unguibus, lingua, aut cultro repurgare dentes, sed agendum id est extra conuiuium.

DE HIS QVAE POST prandium.

Compositis & remotis omnibus, atq; gratijs actis, si quid uacat, lusu quopiam honesto laxa cum sodalibus animum, donec hora reuocet à lusu in ludum.

Ad lectionem adsis rursum in tempore, totis uiribus hoc agens quod postulat locus.

DE REFECTIONE PRIVATA.

Cibus sit temperatus, ac tempestiuus.

Prande liberalius.

Cœna parcius.

Cibi uel potus non quantum libidini, sed quantum naturæ satis est, sume.

Pransus hilariter quædam facito.

Sub cœnam paulisper ambula.

Cœnatus idem facito.

Ieiunus studebis ac scribes.

DE PRAECEPTORE ELIGENDO, & obedientia illi exhibenda.

PRæceptorem tibi deligas quàm eruditißimum. Neq; enim fieri potest, ut is rectè quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus.

Quem simul atq; nactus fueris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filij uicißim in illum induas affectum.

Neq; minorem enim honorem debemus ijs, à quibus rectè uiuendi rationem, quàm à quibus uiuendi initia sumpsimus.

Alioqui credito te frustra literatum praeceptorem habiturum, nisi habueris & amicum.

Deinde ut te illi attentum & aßiduum praebeas.

Optima quaeq; statim ac primùm disce.

Extremae est dementiae, discere dediscenda.

Praeceptorem interpretantem, non attentius modò, sed & auidius auscultato.

Non contentus impigrè sequi differentem, aliquoties praeuolare contende.

Omnia illius dicta memoriae, praecipua etiam literis mandabis, fidelißimis uocum custodibus.

Noli committere, ut codices eruditos habeas ipse ineruditus.

Audita ne effluant: aut apud te, aut apud alios retracta.

Diem in horas partire, quibus certa habeas quae legas.

Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitae cogitationi tribuere memento.

Conflictatio, & tanquam palaestra ingeniorũ neruos

uos animi præcipuè tum ostendit, tum excitat, tum adauget.

Nocturnas lucubrationes atq; intempestiua studia fugito.

Nam & ingenium extinguunt, & ualetudinem uehementer offendunt.

Aurora Musis amica est, apta studijs.

DE RATIONE STVDII
ex Rodolpho Agricola.

IN studijs formandis duo præcipuè spectanda sunt. Primum, quod studiorũ genus maximè sectari uelis.

Secundum, qua ratione in eo quod elegeris plurimum efficias.

De primo, si facultatum uberior copia, & felicior ingenij uis tributa est, quantum in te est, totis uiribus ad optima te conferto.

Optima autem sunt, studia linguarum, Poësis, Oratoria, Geographia, Medicina, Historiæ, & cognitio sacrarum literarum.

Steriles & ieiunæ scientiæ sunt, quas uocamus artes, Ius canonicum, Barbaries grammatistarum, & Sophistica philosophorum: quæ miseras adolescentium onerant aures, & meliorem ingenij spem in plerisq; tenerioribus adhuc annis, uelut in herba enecant.

Meliores artes sic rectè ab infantia disces, si quod apud probatos autores legeris, idipsum quàm maximè

proprijs & idem significantibus uerbis reddere uernaculo sermone coneris: ut quoties dicendum tibi aliquid est, aut scribendum, quando concipiendis uerbis apud animum tuum, sese quo natura fert uernaculus sermo protulerit, statim quoq; Latina uerba iampridem illi hoc usu accommodata sequantur.

Ad hæc, si scribere uoles, optimum erit idipsum quàm plenissimè rectissimeq; patrio sermone intra animum tuum formare: deinde Latinis purè proprieq; id significantibus explicare. Sic fiet, ut omnia apertè, & quàm maximè planè dicantur. Et alia multa in epistola, quam de formando studio autor is scripsit elegantissimam.

QVAE SIGNA OPTIMAE INDOLIS, ex ERASMO atq; Politiano.

MAgistris dare operam non assiduam modò, sed alacrem.

Doctioribus condiscipulis se adiungere.

Et quos moribus uel famæ obfore credat, ab eorum consuetudine penitus abstinere.

Nullum cum alijs certamen habere, nisi de literis, ac de ijs perpetuum.

Facilè percipere quæ traduntur, retinere fideliter, imitari feliciter, pronuntiare eleganter.

Vt caueat ne loquendo præcipitet sermonem, aut hæsitet lingua, aut palato immurmuret. Sed distinctè,

clarè,

clarè, articulatéq; singula uerba proferre consuescat, ut pudeat ab alijs superari, imò magis præuolare contendat. Emendatus non irascatur, laudatus gaudeat. Vt studeat nequid ineptum, immodestum, improbum siue durum in se appareat: ne inuerecunda frons, elatum supercilium, licentes oculi, proteruior lingua siue inconstans uultus notari poßit. Et non aliquid postremo uel in facie tota, uel in gestu, uel in statu uel in incessu quod offendat, quod molestum aut odiosum esse poßit.

DE GESTIBVS IN LVDIS, ET RECREATIONE ANIMI.

INterdum animus laxandus à studio remittendusq; est. Id efficitur honestis ludis, & laxamentis. Laxamenta honesta sunt, quæ pueros decent, trochus, pila, globi, agitatio corporis, cursus, ludus sphæræ, saltus. Saltus genera sunt, saltus locustarum, utraq; tibia, iunctis pedibus, unica tibia. Probatur & palæstra & gladiatoria, si in præsentia præceptoris & absq; inuidia fiat. Natandi artis præstat spectatorem esse potius quàm actorem. Præstat & in cantionibus, & instrumentis musicalibus ingenium exercere, quo delectamento nihil ciuilius, nihil Musis magis accommodum. Ludi prohibiti sunt, alea, tesseræ, carthæ, natare in aquis: & si qui sunt alij huius generis, ganeonum exercitamenta. Decorant ludum, grauitas,

honesta lætitia, uiuacitas, uigor animi, ordo, charitas mutua, ingenuè & legitimè ludere, uirtute, non fraude uincere. Dehonestant ludum, *nimia insolentia, clamor, insania, immoderatæ & stultæ gesticulationes, nimia turba, dolus malus.* In honestis ludis pulchrum est arte *uincere etsi quilibet locum suum gnauiter tuetur.* Hanc gratiam conciliat *quibusdam lætioris gestus spes.* Leges ludorum hæ sunto, *ne quis inter ludendum natiua aut uernacula lingua loquatur, sed uel ea que familiaris minus est: inde fiet ut & ludendo discatur.* Longe utilißimum fuerit, *statuta mercede, certatim ex autoribus aliquid recitare.* Id fieri curabit diligens *præceptor.*

MONITORIA IN COMMVNI-
bus congressibus.

QVoties *alloquitur te quispiam cui debes honorē, compone te in rectum corporis statum.* Aperi caput. *Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus: oculi uerecundi, semper intenti in eum cui loqueris: iuncti pedes, quietæ manus.* Nec uacilles alternis *tibijs, nec sint gesticulosæ manus.* Nec mordeto labra, *nec scabito caput, nec fodito aures.* Vestis item ad decorum componatur. *Totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis, ingenuam modestiam, & uerecundam indolem præ se ferat.* Ne sis ineptè loquax, aut

præceps.

præceps. Nec *uagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, & pudenter, subinde præfatus honorem: nonnunquam & addito cognomento, honoris gratia.* Atq; *identidem modicè flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolueris.* Nec *abeas, nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus.*

DE VITANDO PRAVORVM consortio.

A*Diuuat & profectum bonæ educationis, prauorum consortia uitare.*

De his sic admonet & Salomon: Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Ne delecteris in semitis impiorum;

Nec tibi placeat malorum uia.

Et PAVLVS:

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

ET:

Modicum fermentum totam massam corrumpit.

DE BONORVM SOCIETATE ambienda.

N*Vllibi libentius uerseris, quàm in conspectu magistrorum.*

Doctiores & modestiores condiscipulos humanitate tibi & obsequio deuincito.

Nam hoc omnium maximè conducit ad eruditionē,

 si quis

ſi quis cum ſtudioſis & eruditis aßiduam & domeſticam conſuetudinem agere poßit.

DE VERECVNDIA ADHIBENda in inceſſu.

SVnt qui ſenſim ambulando greſſus imitantur hiſtrionum, & quaſi fercula pomparum portantiũ: et quotieſcũq; gradum transferunt, modulos quoſdam ſeruare uidentur: horum greſſum ut peſtem fugito.

Nec curſim nimis ambules, niſi cũ cauſa exigit alicuius periculi, uel iuſtæ neceßitatis: ſed nec lẽtè nimis. Eſt greſſus probabilis, in quo eſt ſpecies autoritatis, grauitatisq; põdus, trãquillitatis ueſtigiũ: hũc imitare.

In ſumma, Motus ſit purus & ſimplex.
Nihil fucatum & affectatum placet.
Motum natura informet,
Si quid autem in natura uitij eſt, induſtria ẽmẽdet.
Vt ars deſit, non etiam deſit correctio.

DE PVDICITIA ET caſtitate.

VErecundiæ pudicitia proxima eſt, quæ nunquam tutius retinetur, quàm per uerecundiam & oculorum induſtriã: ut intueri impudicè mulieres paruipendas, non ut execreris ſexũ, ſed ut effugias flagitiũ.

DE VESTITV.

IN ueſtitu mediocritas & decentia plurimum commendatur.

Sint

Sint igitur uestes nec preciosæ nimis, nec nimis sordidæ, sed quæ publicam honestatem deceant.

Semper hæreat hoc Ouidianum:

Procul sint à te iuuenes ut fœmina compti.

DE NVTRITIONE COMAE.

DE hoc audi statutum Apostoli: Vir si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier uerò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli ei pro uelamine dati sunt.

Vir autem non debet uelare caput suum, quoniam est imago & gloria Dei.

MONITORIA AD CIVILITATEM ET conuictum humanum.

PRincipio eum animum obtine, qui nihil acerbum, nihil durum existimet quod sit honestum.

Qui nullo uel metu deterritus, uel spe captus, ab officio deflectatur.

Quàm optimos tibi adiungito.

Malos ne lacessito.

Tua ne iactes.

Aliena ne carpas, aut despicias.

Fac cũ omnib. sis anteferendus, ipse te præferas nemini.

Cum bonis, officijs certa.

Nemini aduerseris.

Neminem deserto.

Esto comis, etiam erga tenuis fortunæ sodales.

Omnibus

Omnibus te affabilem præbeto.

Domi hilaris:

Foris compositus.

Nemini tua arcana committas, memor quàm fallax sit multorum amicitia.

Beneficium confer libenter.

Inuitus accipe.

Gloriam si contemnes, ultrò te sequetur: sin sequeris, fugiet sequentem.

Ne capta laudari, sed fac laudanda.

Cùm potentibus aut nulla sit consuetudo, aut comis.

Nullus sumptus tibi sit preciosior tempore.

DE DISCRETIONE IN STVDIIS.

Contentione immodica obruuntur ingenia discentium.

Aßiduitas uerò & mediocritate perdurat, et quotidianis exercitationibus, maiorem opinione aceruum accumulat.

Satietate cùm omnibus in rebus, tum præcipuè in literis nihil est perniciosius.

DE REDITV POST HORAS POMEridianas ad domum.

Domum reuersus idem ages quod ante prandium.

DE HIS QVAE POST COENAM.

A Cœna suauibus fabulis temet oblecta.

Mox

Mox prosperam noctem parentibus precatus & familiae, maturè te confer to ad nidum.

Illic flexis ante lectum genubus, tecum reputa, quibus studijs dies tibi peractus sit.

Si quid est grauioris admißi, CHRISTI clementiam implora, ut ignoscat, pollicereq; meliora.

Si nihil est, age gratias illius beneficentiae, quòd te seruarit ab omni uitio.

Deinde toto pectore te illi commendato, ut protegat te ab insidijs mali genij, & ab obscoenis somnijs.

His factis lectum ingressus, modestè te componito in somnum.

Neq; pronus cubueris, neq; supinus, sed primùm lateri dextro innitens, brachijs ita transuersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, laeua dextro.

DE MEDITATIONE IN LECTO sub requiem nocturnam.

Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria legito: de eo cogitantem sopor opprimat.

Id experrectus à te ipso reposcas.

In summa, Plinianum illud semper animo insideat tuo: Omne tempus perire, quod studio non impertias.

FINIS.

INSTI-

INSTITVTIO PVELLARVM, EX EPISTOLA DIVI HIERONYMI AD Lætam.



IC erudienda est anima, quæ futura est templum Dei.

Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet.

Turpia uerba nõ intelligat, cantica mundi ignoret.

Adhuc tenera lingua dulcibus Psalmis imbuatur.

Procul sit ætas lasciua puerorum.

Ipsæ puellæ, & pedissequæ à secularibus consortijs arceantur, ne quod malè didicerint, peius doceant.

Fiant ei literæ uel buxeæ, uel eburneæ, & suis nominibus appellentur.

Ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit.

Et non solùm ordinem teneat literarũ, ut memoria nominum in notitiam transeat, sed & ipse inter se crebrò ordo turbetur, & medijs ultima, primis media misceantur, ut eas non sono tantùm, sed & uisu nouerit.

Quum uerò cœperit tremente manu stylum ducere in cera, uel alterius superposita manu teneri regantur articuli, uel in tabella sculpantur elementa, ut per eos-

dem

dem sulcos inclusa, marginibus trahantur uestigia, ut foras non queant euagari.

Syllabas iungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri potest, munusculis inuitetur.

Habeat & in discendo quæ secum exerceantur, quibus inuideat, quorum laudibus excitetur.

Non obiurganda est, si tardior, sed laudibus excitandum est ingenium, ut & uicisse gaudeat, & uicta doleat.

Cauendum in primis, ne oderit studia, ne amaritudo eorum percepta in infantia, ultra rudes annos transeat.

Ipsa nomina per quæ consuescit paulatim uerba contexere, non sint fortuito, sed certa & coaceruata de industria, Prophetarum uidelicet, & Apostolorum, & omnis ab Adam Patriarcharum series, de Matthæo in Lucam descendat, ut dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur.

Magister probæ ætatis & uitæ atq; eruditionis est eligendus.

Nec puto erubescere uirum doctũ id facere in anima Christiana, quod Aristoteles fecit in Philippi filio.

Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt.

Ipse elementorũ sonus, & ipsa institutio præceptoris, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur.

Vnde

Vnde summopere prouidendum est, ne aliorum uitio corrumpatur: difficulter enim eraditur, quod rudes animi perbiberunt.

Lanarum conchilia quis in pristinum candorem reuocet?

Græca narrat historia, Alexandrum potentissimũ regem, orbisq; domitorem, & in moribus & in incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere uitijs, quibus adhuc paruulus fuit infectus.

Procliuis est enim malorum æmulatio, & quorum uirtutes assequi nequeas, citò imitaris uitia.

Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciua, non garrula.

Habeat modestam gerulam, nutricium grauem.

Caue ne aures uirgunculæ perfores, ne cerussa, & purpurisso consociata CHRISTO ora depingas.

Nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum crispes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.

Non uescatur in publico, id est, in parentum conuiuio, ne uideat cibos quos desideret.

Discat iam nunc uinum non bibere, in quo est luxuria.

Ante annos robustæ ætatis, periculosa est teneris grauis abstinentia.

Vsque ad id tempus, si necessitas postulauerit, & balneas

balneas adeat, & uino utatur modico, si libet, propter stomachum, & carnium edulio sustentetur: ne prius deficiant pedes, quàm currere incipiant. Et hoc dico *iuxta indulgentiam, non iuxta imperium, timens debilitatem, non docens luxuriam.*

Surda sit ad organa. Tibia, lyra, cythara, cur facta sint, nesciat.

Reddat sibi pensum quotidie de scripturarum floribus carptim.

Discat Græcorum uersuum numerum.

Sequatur statim & Latina eruditio, quæ si non ab initio os tenerum composuerit, in peregrinum hominum lingua corrumpitur, & externis uitijs sermo patrius sordidatur.

Discat & lanam facere, tenere colũ, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere.

Spernat bombicum telas, serum uellera, & aurum in fila lentescens.

Talia uestimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus uestita corpora nudentur.

Sic comedat, ut semper esuriat; ut statim post cibum poßit psallere & legere.

Si quando ad suburbana pergis, domi filiam non relinquas. Nesciat sine te, nec poßit uiuere: & cum sola fuerit, pertimescat. (contubernia.

Non habeat colloquia secularĩu, nõ malarũ uirginũ

Non interſit nuptijs ſeruulorum, neq; familiæ per-ſtrepentis luſibus miſceatur.

Scio præcepiſſe quoſdam, ne uirgo CHRISTI *cũ Eunuchis ſe lauet, nec cum maritatis fœminis: quia alij non deponunt animos uirorum, aliæ tumentibus uteris proferunt fœditatem.*

Mihi omnino in adulta uirgine lauacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere, et nudã uidere nõ poſſe.

Si enim flammam libidinis, & incentiua feruentis ætatis extinguere cupit continentiæ frigore, ſi appe-titis ſordibus turpare feſtinat naturalem pulchritudi-nem, cur è contrario balnearum fomentis ſopitos ignes ſuſcitat?

Pro gemmis & ſerico diuinos codices amet, in qui-bus non auri, & pellis Babylonicæ uermiculata pictu-ra, ſed ad fidẽ placeat emendata & erudita diſtinctio.

Diſcat primò Pſalteriũ, hic ſe canticis auocet. Et in prouerbijs Salomonis erudiatur ad uitam.

In Eccleſiaſte, conſueſcat quæ mundi ſunt conculca-re: in Iob, uirtutis & patientiæ.

Huc uſq; Hieronymi uerba percenſuimus, quibus Lætæ filiam inſtituit CHRISTO *dicatam, ſed quæ in quemuis puerum, quamuis uirginem Chriſtianam applicari non ineptè poßint.*

FINIS.

GENE-

GENERALIA EX SOCRATE, STOBOEO, SEPTEM SAPIENTIBVS, ET cæteris.



QVANTVM in te est, pacem cum omnibus habeto.
Temerè nihil feceris.
Amicis aduersa fortuna utẽtibus idem esto.
Infortunium tuum celato, ne uoluptate afficias inimicos.
Veritati adhæreto.
Pietatem sectare.
Misericors esto.
Sapientum utere consuetudine.
Bonos in precio habeto.
Age quæ iusta sunt.
Principibus cede.
A' iureiurando abstine.
Laudato honesta.
Beneficium repende.
Litem oderis.
Audi quæ ad te pertinent.
Probrum fugito.
Ea facito, quorum non posit aliquando pœnitere.

Ne cui inuideas.
Benemeritos honora.
Calumniam oderis.
Cum erraueris, muta consilium.
Affabilis esto.
Concordiam sectare.
Sperato tanquam mortalis, Parce tanquam immortalis.
Ne efferaris gloria.
Cede magnis:
Mortuum ne rideto.
Arcanum cela.
Faxis ut libeat quod est necesse.
Multis terribilis, caueto multos.
Ne extollaris fortunæ prosperitate.
In rebus aduersis ne frangaris.
Audito multa.
Loquere pauca.
Prius intellige, & deinde ad opus accede.
Ne ob diuitias laudaueris hominem indignum.
Compara in adolescentia quidem modestiam, in senectute uerò sapientiam.
Diues est, qui nihil cupit.
Pauper est, omnis auarus.
Opus prudentis, cum poßit, nolle nocere.
Stulti proprium est, non posse, & uelle nocere.

Quæ facturus es, ne dixeris: frustratus enim rideberis.
A familiaribus in minutis rebus læsus, feras.
Ne contende cum parentibus, etiam si dixeris iusta.
Ne lingua præcurrat mentem.
Nosce teipsum.
Ne quid nimis.
Inimicitias solue.
Suspiciones abijcito.
Aliena ne concupiscas.
Ne teipsum pracipites in discrimen;
Quæ oderis, alteri ne feceris.
Ne cui miniteris, est enim muliebre.
Quanto plus licet, tanto libeat minus.
Susurronem fuge.
Qualis fueris in alios, tales alij futuri sunt in te.
Bis est gratum, quod opus est, ultrò si offeras.
Ne sis procliuis in risum.
Quæ facere turpe arbitraris, ea ne dictu quidem putes honesta.
Assuesce non esse tristis, nec cogitabundus.
Exerce teipsum ad pietatem.
Adulantium ne capiaris amore.
Delibera diu, confice uerò statim quod decreuisti.
Duo tempora tibi deputa ad dicendum, uel dum quid noris apertè, uel ubi necesse est loqui.
Vince dolorem patientia.

 Tristitiam,

Tristitiam, si potes, non admiseris: si non potes, ne ostendas tamen.

Neminem citò accusaueris, ut licentiosa mancipia:

Coërce linguam, uentrem, & libidinem.

FINIS.

EX SENTENTIIS NILI EPISCOPI ET MARTYRIS GNOMAE QVAEdam selectiores.



IMOREM *pariter, & desiderium erga Deum habere necesse est, erga homines uerò cunctos puro conscientiæ testimonio uti decet.*

Deum ipsum in singulis quæ agis, semper præsentem esse existima.

Cum uirtuose quid agis, gaude. Ideo tamen te extollere noli, ne in portu naufragium accidat.

Quanto magis in lege proficies, tanto plus ad perfectionem tibi deesse intelliges.

Vniuscuiusq; rei, ante principium, finem exquire.

Die ac nocte, ultima tibi coram oculis uersetur hora, & nullum uitæ desiderium ad terrena te detrahet.

Cum

Cum eo homine, à quo bonos abhorrere cernis, nullum tibi sit commercium.

Nemini siue dictis, aut factis, uel studijs tuis nocere uelis.

Ob ea quæ in præsenti uita florida esse uidentur, ne læteris. Nam graminis flos, etsi leuiter attrectetur tabescit.

Rectè agere potius, quàm alios reprehendere conemur: nam & multa in nobis existunt, quæ ab alijs taxari queant:

Oratio cum sobrietate fiat, ne Deum in his quæ respuit placare conemur.

Semper mens Deo inhæreat, cœlestisq; tua fiat cogitatio.

Oculos refrena, nã cũ haud aduertis, circũflectũtur:

Linguam coërce, sæpius enim profert quæ satius est celare.

Legis meditatione intellectus agrum colito. id si frequentabis, cogitationes peruersas extirpabis.

Carnis uoluptates odio prosequere, nam corporis sordes animam quoq; inficere solent.

Ventri quantũ indiget, non quantũ cupit, impende.

Delitias ne amplectere, amorem enim præsentis uitæ conciliant, uerùm Dei odium generant.

Vitæ gaudia fuge: nam labilia cum sint, in eis exultantes deserunt.

Ieiunia armaturam, orationem muros, lachrymas uerò balneum existima.

Exitus nouißimi cum gemitu recorderis: hinc enim animæ compunctio oritur aßidua.

Pauperes foueto, illi enim iudicem nobis placatum reddunt.

In Ecclesia non secus ac cœlo uersare: ideo in ea nil loquere uel cogita terrenum.

Carnem tuam sanctis afflige laboribus, uerũtamen penitus eam domari posse haud existimes.

Vino utere moderatè: quemadmodum enim ingurgitatum haud modiocriter offendit, ita temperatè haustum bibentem corroborat.

Iram compesce, nam cum modum excesserit, insaniæ flamma existit.

In ualetudine aduersa, oratione primò, inde uerò medicis ac pharmacis utere.

Sacerdotes omnes honora, cum bonis uerò tantùm conuersare.

Dei domum uenerare, at Dei domum construere ex te ipso adnitere.

Ecclesiam frequentato, à motibus enim ac perturbationibus exterioribus nos liberare solet.

Cum omnia terrena sint fluxa, ne te perturbent euanida.

Quotiescũq; te uoluptatis inuadit affectus, turpitudinem

tudinem humanam, offensamq́; oppone diuinam.

Præcipuè auditum ac uisum munire memento, potißimum enim illac malitiæ tela penetrant.

Cum oras, ad Deum mentem attolle: quòd si inde exorbitet, iterum colligere stude.

Sensus haud unquam desinit cogitationes generare, at tu prauas expellere, bonas uerò fouere assuesce.

Humilitate gaude, nam ex ipsa decidere haud poteris altè.

Cum Deum humiles exalare, potentes uerò deprimere cernis, non tantum Deo, quantum hominibus id acceptum refer, quibus haud tutum est mediocritatem supergrediendo attolli.

A` risu immoderato abstine, nam animam eneruat. legis quoq; frenum laxare conatur, ni tempestiuè remedium adhibeatur.

Verè sanctos ab operibus dignosce, à fructu enim omnis discernitur arbor.

Cum conuitio afficieris, considera num rem aliquam conuitio dignam perpetraueris, quòd si insontem te esse cognoueris, conuitium, fumum existima.

Nullã rem uirtute preciosiorẽ existima: nã cũ imago Dei sit, quemadmodũ & ipse, immutabilis existit.

Matrem uitiorum segnitiem putato. quæ enim poßides, auferre solet: quæ uerò non poßides, ne ea consequaris prohibet.

Philosophia præcipua est hominib. possessio: at cum sit unigenita, sola à solo possessore intelligi dignatur.

Cum uirtutis te labor affligit, cogita quòd labor est temporaneus, merces uerò æuiterna.

Cuncta corruptioni subiacere existima, uirtutem uerò solam corruptionis expertem.

Fortiter tribulationes perfer, eis enim qui in illis decertant, coronæ plicantur.

Mortem semper expecta, nõ tamen timeas: utrũq; etenim ueræ philosophiæ est character.

Si cœlum desideras, nil tibi cum terra: haud enim illa ad illum tendere permittit.

Si potus aquæ frigidæ iustificat misericordem, quam retributionem pauperibus denegantem manere existimas?

Ne compaßionem neglige, illa enim ex cœlo nobis salutem nostram detraxit.

Ne dicas, ex inimicis ultionem sumam: iustum enim iudicem in cœlis habebimus.

Mortuum ne fuge: communis etenim est uia, & beatus qui præceßit.

Deo loquere multa, hominibus uerò pauca: at legis meditatione utraq; rectè dispones.

Balneum animæ bonum, oratio est lachrymosa: at cum oratione memor sis, cuius rei gratia lachrymas effundis.

Seculi

Seculi principes ne beatos existima: potentes enim cum potenter præsint, ipsi quoq; iudicem austeriorem habebunt.

In rebus gerendis conscientia pro lucerna utere, hæc enim quidnam in uita bonum, pariter & quid sit malum, ostendit.

Timor pariter ac pudor à peccato te absterreant, quamuis facile sit his utrisq; rectè uti.

Malis patrocinium ne præstes. quod si secus feceris, non solùm scelerum adiutor eris, sed & peccati communione inquinaberis.

Peccantem admonere, priusquam accusare uelis: contumelia enim posterior, compaßio uerò prior.

Si errantem redarguis, compaßionis benignæq; commisce uerba, & aures emollientur, cor uerò illuminabitur.

Quemadmodum neq; uirtutes, ita neq; uitia abscon sa remanere ualent.

Ita curras ut uincas, hoc est, indesinenter: per uirtutis enim semitam currere oportet, donec uitæ stadium exuperemus.

Patientiã ad neceßitatem exerce, ut in ea neceßitatis tempore omnem armaturã præparatam inuenias.

Diligentia multa à rebus terrenis oculos contine, ex illis enim fumus oritur, qui animam fuligine denigrare solet.

Si con-

Si consuetudine aliqua praua detineris, eam paulatim rescinde, et sine labore ab anima spinas extirpabis.

Nil philosophia gloriosius puta : nam cum mater legis sit, regni quoq; Dei consors existit.

Cum à Deo corriperis, ne murmura : nam ut pater castigat, ideo tanquam beneficiens gratiarum actione dignus existit.

Quæ tristia & hilaria in uita accidunt humana, umbræ, fumo, & rotæ æquipara : tanquam enim umbra haud permanent, & ueluti fumus euanescunt, instarq; rotæ uertuntur.

Alieno infortunio ne arrideas, ne & tu cum haud uelis, ab alijs irridearis.

Semper in operibus bonis ulterius procedere cura: nam si minutum minuto accumulaueris quotidie, breui diuitias ab omnibus expetendas congregabis.

Si uitam expetis sempiternam, humanam mortem semper expecta.

Odio præsentem uitam prosequere : quàm inordinatè enim ipsius uersetur rota, cernis.

Fortunatè agentes ride, infortunatis uerò condole: illud enim philosophiæ est documentum, hoc uerò misericordiæ indicium.

Omnia terrena sunt corruptibilia, anima uerò est immortalis : quapropter immortalia corruptibilibus anteferre decet.

Fortiter

Fortiter perfer aduersa, & consequeris æterna.

Paupertatem incusare noli, immobilem enim legis athletam constituit.

Diuitijs ne exultes, illarum etenim curæ ut plurimum hominem à Deo separant.

Humilitatem, etsi magnus existas, dilige, ut in die iudicij exaltari queas.

Ne temerè quempiam increpa, ne ab hominibus arrogantiæ inculperis.

Bonorũ futurorũ multitudo, pulchritudo, et magnitudo est inexperta: at præsentia, umbra, fumus, bulla.

Ve impio, quia cum illuminabuntur omnia, tum ipse solus obscurabitur.

Ve blasphemo, nam lingua eius ligabitur, & quo pacto iudici loqui poterit?

Ve iniusto, ad iudicem enim austerum, & iustum legislatorem perget.

Ve auaro, quia diuitiæ ipsum fugient, & ignis suscipiet.

Ve secordi, quæret enim tempus quod malè consumpsit, & quærens non inueniet.

Ve superbo, nam cum sepulchrum ingredietur, quisnam sit intelliget.

Ve scortatori, quoniam stola eius nuptialis sordebit, ex regijsq; nuptijs turpiter eijcietur.

Ve conuiciatori, & cum ipso, ebrio: cum mœchis enim

enim constituentur, & cum homicidis punientur.

Ve delicatis, nam tempore exiguo, tanquam uitulus iugulandus saginantur.

Ve hypocritæ, quia pastor suum esse negabit, & iudex eum lupum esse demonstrabit.

Beatus qui per angustam incedit semitam, coronatus etenim cœlorum regnum ingredietur.

Beatus qui uoluptates calcat, nam coram illo dæmones trement.

Beatus puro corde, & anima simplici: iudicare enim dignus est mundum, & non ipsum mundus.

Beatus uita sublimis, humilis uerò prudentia: CHRISTVM *enim imitatur, cui & aßidebit.*

Beatus à cuius lingua lex non recedit, ab huius enim tabernaculo Deus non separatur.

Beatus qui multis benefacit, iudicandus enim multos inueniet aduocatos.

Beatus qui uirtutem non corrumpit, in iudicis enim uentilabrum haud incidet.

Beatus qui uirtutes exornat proprias, antequam accendatur ignis.

Beatus qui ad uitam sempiternam festinat, præsentia enim corruptiones esse, ad mortemq; trahentia intelligit.

Beatus qui mala abigit, purusq; cum puro conglutinatur.

Beatus qui audit, & custodit admonitiones istas.

Beatum enim est timere Dominum, & solicitè cogitare diem illam, cum occulta cuncta manifestabuntur. Et quid facient negligentes, cum nullam amplius utilitatem pœnitentia afferet?

Hortor igitur omnes, ut his dictis mentem adhibeant, gnauiterq́; perpendant, quanam lance eorum facta paulo pòst expendi debeant.

FINIS.

QVO PACTO IN GENVI ADOLESCENTES FORMANDI SINT.

GEROLDO MEYGER ADOLESCENTI OPTIMO, CHRISTIAnus *Theodidactus gratiam & pacem à Deo, & domino nostro* IESV CHRISTO.



VVM te nuper a thermis redeuntem læti omnes excipiunt, aliiq; aliis te muneribus honorare certant, uisus sum ipse mihi prorsus inciuilis futurus, si te non qualicunq;

cunq; dono afficerem, Gerolde adolescens suauissime: præsertim cum mos iste lauantes honorandi sit uulgo inter amicos receptus: inter quos te duplici nomine censemus, & quod literis operam feliciter nauas, & quod sub Ioannis nostri signis meres. Cumq; diutius apud me quærerem, quidnam tibi possit esse gratissimum, inuenio tandem aut sanctum, aut doctum, aut utrunq; esse oportere, quod tibi placere cupiat. Nam ut natura uideris ad pietatem uirtutemq; natus esse, ita urbanitatis ac elegantiæ fructus, præcoces quidem illos, sed eo gratiores, sponte iam nunc præbes. Docta autem, perlustrata, quamuis diligenter, omni suppellectile, cum præstare nulla uia possemus, reliquum erat, ut pijs quibusdam ac ad salutem tum animi, tum corporis, uirtutemq; conducibilibus te demereremur. Olim itaq; cum consilium, quemadmodum ingenuos instituere adolescentes oporteat, condendi libellum cœpimus, propositumq;, ut est præsentium rerum status, uarij tumultus morati sint, subueniebat tamen anxie munus diligenti, in animum, capti olim consilij mentio. Et quamuis plerosq; uideam sollicitos esse, ut absolutum laborem digno alicui patrono nuncupent, nobis tamen contra euenit: nã cui nuncupari oportet, præsto est, sed deest ocium, nouemq; illi anni, quibus premi oportet opus. Quapropter inter ista duo incommoda, quod ad te aliquid omnino missitandum est, & quod occupationes, istuc ut digne fiat, haud permittunt: inueni, quo in præsentia utriq; nostrum satisfieret.

Furatus

Furatus sum ipse mihi tantum tempusculi, ut tumultuarie præceptiones pauculas congesserim: & certe in uniuersum paucas esse oportet, sed probe expensas, ne copia fastidium pariat: ita enim fere comparatum est, ut quæ parcius propinentur, auidius hauriantur. Quas tu non ab ornatu æstimabis, sed a sensu, & ab animo a quo profectę sunt. Pia enim sancte polliceri possumus, si sumus ipsi nõ impij. Docta promittere, etiamsi sis ipse doctissimus, pudor est. Habent primę præceptiones, quemadmodum sit tener ingenui hominis animus in his quæ ad Déum attinent, imbuendus. Secundæ, quemadmodum in his quæ ad se. Tertiæ, quemadmodum in his quæ alios spectant. Neq; hic propositum est a cunis ordiri, sed neq; a rudimentis: uerum ab ea ætate quę iam sapere, ac sine cortice natare incipit: in qua etiamnum ipse degis. Has tu diligenter, ut spero, leges, teq; in ipsas transfigurabis, ut alijs quoque uiuum specimen exhibeas. Id faxit CHRISTVS Opt. Max. Amen.



N PRI-

PRIMARVM PRAECEPTIONVM APHORISMI.



NTE omnia, cum non sit humanarum uirium cuiusquam pectus ad fidem unius Dei pertrahere, etiamsi quis Periclem suadendo superet, sed cœlestis tantummodo Patris, qui nos ad se trahit, adhuc tamen iuxta uerbum Apostoli: Fides ex auditione est, modò auditio sit uerbum CHRISTI: non hercle, quòd ipsa uerbi prædicatio tantum polleat, ni spiritus intus canens moueat. Ideo uerbis purißimis instillanda est, oreq; dei usitatißimis, fides: iungendæ simul preces ad eum, qui solus fideles facit, ut quem nos docemus uerbo, ipse afflatu suo illuminet.

Ioan. 6. Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum.

Ro. 10.

Nec fortaſſe alienum fuerit ab instituto CHRISTI, si in agnitionem Dei etiam per uisibilia adducamus: puta, si uniuersam mundi molem ante oculos aduocemus, singula digito monstrantes esse mutationi obnoxia, sed immutatum immotumq; esse oportere eum, qui omnia, cum tam uaria sint, tam firma mirabiliq; concordia conciliauit.

Rursus eum qui tanta solertia cuncta disposuit, ne suspicandum quidem esse, negligentem operis sui futurum, cum inter mortales uitio uertatur, si quis rei domesticæ parum diligens fuerit.

Hinc

Hinc discet ille noster, Dei prouidẽtiam res omneis curantem, omnia disponentem, omnia seruantem. Nam duorum passerum, qui asse parati sunt, alter ne in terram modò nobis decidit citra eius consilium: quæ pilos quoq; capitis nostri numerauit, nihil prorsus hac cura uilescens. Quo manifestum fit, eam non modò quibus anima, sed ea quoq; quibus corpus eget, destinare: cum coruos uideamus tam liberaliter ab ea excipi, lilia uerò tam splendidè uestiri. Hactenus de diuina prouidentia rectè imbuta mens, fieri non potest ut unquam anxia fiat, aut sordidè cupida. Quem adfectum, si in ipsa herba reciderimus, iam nocentißima peste mentem liberauimus.

Mat. 10

Psa. 145

Math. 6

Sciet enim Deum non solummodo Dominum, sed & patrem esse omnium in se credentiũ, hoc est, fidentiũ: cupereq́;, ut ad se pro implorãda ope haud segnius adcurramus, quàm ad parentem qui genuit, proprijsq; uerbis opem pollicitum, quòd orari nimirum amet.

Proinde, si ægritudo uel animi uel corporis adfligit, me delam ab illo impetrandã: si urget hostis, si degrauat inuidia, ad eum confugiendũ: si sapientiam, si eruditionem adfectamus, apud hunc ambiendas, imò coniugem quoq; & liberos hinc petendos esse. Res & honores si paulo uberius adfluant, ab eo petendũ, ne animũ his emolliri patiatur, inq; transuersum abduci. Quid multa? in uniuersum omnia sciet hinc esse

petenda, nefasq; putabit, quicquam ab illo petere, quod ei præstare indecorum esset: pudebitq; tandem quicquam uel cupere uel habere, quod per Deum non licet, & eas res unicè comparabit ac reponet, quæ uerè beatos reddunt. Euangelij mysterium hac uia capiet statũ primi hominis ante omnia resciet, nempe ut is sit morte mortuus, postaquam præceptum Dei præuaricatus esset, ut suo facinore posteritatem omnem uitiarit: mortui enim uiuos generare nequeunt, nec æthiopem uidimus unquam apud Britannos natum: unde hic noster suum quoq; morbum agnoscet.

Agnoscet hinc quoq;, si sciat, ut omnia ex adfectibus, ἐκ τῶν παθῶν geramus nos: Deus autem, ut sit ab eis alienißimus. Ex quo indubiè sequitur, nos quoq; alienißimos esse oportere, si cum Deo habitare cupiemus. Vt enim innocentißimus quisq; nihil commercij cum flagitiosißimis habet, atq; è diuerso iustum ferre nequit iniquißimus (Nerones enim ut Senecas duci iubent, ita è diuerso Ennios cum Scipionibus idem tu-
Psal. 14. mulus tegit) sic cum Deo quoq; non alius habitabit, quã qui incedit sine macula, & sanctus est quemadmodum
Matt. 5. ipse sanctus est, cordisq; mundicia præditus. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

Tantam autem innocentiam qua ratione parabimus, qui adfectibus impurißimis undique septi sumus? Hic inter malleum & incudem positi, cum Deus tantam

tam innocentiam exigat, nos aliud uitiati præstare nõ possumus quàm uitium: uelimus, nolimus, Deo manus dare cogimur, & eius gratiæ permittere. Hic Euangelij lux oritur. *His angustijs inclusos* CHRISTVS *eximit, qui nos longè melius quàm ullus Iuppiter seruator liberauit, conscientiam desperationi proximam ante omnia erigens, ac mox certißima spe sibi iunctã, felicem reddens. Ipse enim ab omni labe quorumcunq; uitiosorum adfectuum cum sit alienißimus (de spiritu enim sancto conceptus, exq; uirgine illibata genitus est) primùm, ut liberaret, hanc innocentiam suam pro nobis exposuit: nam labores & dolores nostros ipse uerè tulit. pòst, eos qui hoc inconcußè credunt, beatos efficit.*

Rom. 8. Nã uelle adiacet mihi perficere aũt bonum nõ inuenio. Non enim quod uolo bonũ, hoc facio, sed quod nolo malũ, hoc ago.

Qui enim hanc liberalem condonationem crediderit, à Deo per CHRISTVM *misero mortalium generi præstitam, saluus erit, & cohæres* CHRISTI *factus, apud Patrem in æternum lætabitur. Vult enim ille, ut ubi ipse sit, illic sit & minister suus.*

CHRISTI *innocentia pro reis, imò damnatis, exposita nos absoluit, ac Deo dignos hac potißimum causa reddit, quòd ipse modum & mensuram diuinæ iustitiæ adimplere potuit: alienißimus enim erat à corruptis adfectibus. Cumq; talis, tantusq; sit, nempe Deus, noster tamen factus est. Ex quo sequitur, qua una caremus, iustitiam quoq; suam nostram esse factam.*

1.Cor.1. *Ipse enim factus est nobis à* Deo, *sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.*

Rom.5. *Iam per ipsum accessum habemus ad* Deum: *noster enim est, pignus gratiæ* Dei *est, aduocatus, uas, præses, intercessor, mediator, prora & puppis est, α & ω.*

Qui hactenus Euangelij *mysterium tenent, eoq; fidunt, ex* Deo *nati sunt: nam humanæ imbecillitatis captus tam profundum gratia* Dei *consilium non adsequitur.*

Hinc fluit, ut qui per Euangelium *renati sunt, non peccent: omnis enim qui natus est ex* Deo, *non peccat: at qui credit* Euãgelio, *ex* Deo *natus est. Nõ ergo peccant qui per* Euangelium *renati sunt, id est, peccata eis ad damnationem ac mortem non imputantur, quòd ea* CHRISTVS *precio mortis suæ redemit.*

Nam etsi ipsi, dum in hoc corpore peregrinamur à Domino, *sine adfectibus esse non possumus, & hinc etiam non sine peccato:* CHRISTVS *tamen, quoniam noster est, omnem hanc impotentiam sarcit. Aeternus enim* Deus, *ac spiritus cum sit, preciosior est ad omnium hominum flagitia redimenda, quàm ipsa cõmereri poßint.*

Quæ quidem fiducia non segnes reddit, sed accingit et urget ad rectè gerendum rem. Non enim ab homine nata est: qui enim fieri posset ut humana mens, quæ à sensibus ferè pendet, tota in id incumberet, quod

sensu

ſenſu nullo pacto percipitur: ſed à Deo. Nunc ubi Deus operatur, caue anxius ſis quomodo res rectè geratur.

Deus enim, ut eſt Endelechia, quæ immota cuncta uerſat & mouet, eum etiam cuius pectus ad ſe traxerit, deſidere nō patietur. Quæ quidem ſententia probationibus non conſtat, ſed uſu: ſoli enim fideles experiuntur quàm nihil ocij det ſuis CHRISTVS, *quāq; hilariter in negocio eius iucundeq; uerſentur.*

Quiſquis igitur Euangelij myſterium capit, rectè uiuere conatur: quamobrem tradi oportet, quoad fieri poteſt, mundiſsimè ac diligentiſsimè.

Iam hoc quoq; tempeſtiuè tradendum eſt, quibuſnam officijs Deum maximè demereamur, eis nimirū, quibus ipſe nunquam non erga nos utitur, iuſtitia, fide, miſericordia. Deus enim cum ſit ſpiritus, non alia quàm ſpiritali deditæ mentis hoſtia coli rectè poteſt. Huc igitur aciem dirigat adoleſcens, ut maturè bonum uirum meditetur, qui ſit innocentiſsimus, ac Deo quàm ſimilimus. Is prodeſt omnibus, nocet nemini, ni quis ſibi ipſi prius nocuerit: ſic, qui omnibus prodeſſe, omnibus omnia fieri ſtudet, ac omni prorſus iniuria manum abſtinet, Deo ſimilimus eſt. Ardua ſunt hæc, ſi uires noſtras ſpectes: ſed credenti omnia ſunt poſsibilia.

SECVNDARVM PRAECEPTIONVM APHORISMI.



OSTEAQVAM *animus solidæ uirtuti destinandus, per fidem rectè formatus fuerit, proximum est, ut se totum intus bellè adornet & componat: nam si apud se rectè comparata sunt omnia, facilè alijs rectè consulet.*

Rectius autem animum componere non poterit, quàm si uerbum Dei *nocturna manu diurnáq; uerset. Id autem commodè faciet, si linguas, Hebraicam &*

Linguę. *Græcam, probè calleat: quòd sine altera uetus instrumentum, sine altera nouum purè capi difficulter poßit.*

Quoniam uerò istos docere suscepimus, qui iam

Latina. *prima rudimenta exantlarunt, latináq; paßim apud omnes obtinuit, deserendam omnino non censemus: nam & si ad sacrarum literarum intellectionem minus faciat, quàm uel* Græca *uel* Hebraica, *ad reliquum tamen uitæ usum haud mediocriter proderit. Vsu uenit etiam aliquando, ut apud* Latinos *quoq;* CHRISTI *negocium agere cogamur. At linguis ad quæstum abuti, id uerò à* Christiano *homine debet alienißimum esse. Sunt enim linguæ diuini spiritus donum.*

Græca. *Proxima ab ista, cui operam demus, erit* Græca,

propter

propter nouum instrumentum, ut dictum est: nam ut pace omnium dicam quod sentio, doctrinam CHRISTI *iam inde ab exordio uideo minus dignè tractatam à Latinis hominibus, quàm à Grecis. Ad fontes igitur hic noster mittendus est.*

Quanquam in utraq; istud obseruandum est, ut fide innocentiáq; pectus præmunitum habeat: sunt enim haud parum multa, quæ perniciose discerentur, petulantia, imperandi belligerandíq; libido, uafricies, inanis philosophia, & similia, quæ tamen omnia præmonita mens instar Vlyßis intacta præterire poterit, cum scilicet ad primam uocem sic se admonuerit, hæc audis ut caueas, non ut capias. Hebraicæ ultimum hac potißimùm causa damus, quòd, ut paulo antè dictum est, Latina apud omnes inoleuit, & eam opportunißimè Græca sequitur: alioqui Hebraicæ meritò primas tribuissemus, quòd sine huius schematis, apud Græcos etiam, multis in locis sudet, quisquis germanum scripturæ sensum eruere uelit. De linguarum utilitate ad saturitatem dicere non est huius propositi. Hebraica.

. His armis ad sapientiam istam cœlestem, cui humana nulla comparari, nedum æquiparari iure debet, irrumpere poterit, quisquis humili sitibundáq; mente accedit.

Quò cum irruperit, omnigenas rectè uiuendi formas inueniet, nempe CHRISTVM *absolutißimum*

omnis uirtutis exemplar: quem ubi ex dictis factisq; planè cognouerit, ita amplectetur, ut in omni uel actione, uel consilio, partem aliquam uirtutum ipsius exprimere, quoad humanæ tenuitati fas est, conetur.

Tempestiuè ab eo & loqui, & tacere discet: pudebit immaturè de his loqui, quæ maturrimos requirunt, Luc. 2. *quòd* CHRISTVM *uideat anno uix tandem tricesimo reposuisse: quamuis duodecimo quoq; anno periculum sui legisperitis dederit. Quo nos exemplo non tam docemur citò prodire, quàm à teneris res magnas, sed Deo dignas, moliri.*

Silentiũ pueros & mulieres decere. *Nam ut fœminæ summũ per omnẽ uitam ornamẽtum est silentiũ, ita adolescentẽ nihil cõmendabiliorem facit, quàm ad certum tempus silentij studium, donec et mens & lingua, tam seorsim quàm inter se probè consistent. Neq; hic Pythagoricum silentium exigimus, sed loquendi cupiditatem premimus. Ac nisi tempestiuè loquuturus sit adolescens, loqui omnino uetamus.*

Eloquentia, dum apud præceptores meditatur, non deformabit ad horum exemplum, si quid uitij habeat: Neq; id præcepti leuis momenti quis putet, nam ueterum quoque memoriâ proditum est, auditores quosdam non modò linguæ præceptorum uitia, sed corporis quoque imitatos esse.

Linguæ uitia. *Vitia linguæ cuiq; obuiũ est cognoscere. Orationis autem habitus, tum præter artificiũ, de quo hic dicendi locus*

di locus non est, uitiosus est, si nimis celeriter aut tardè nimis incedat oratio, si accentus sit nimis humilis & languens, aut uehemēs nimis, si in quauis causa & genere quolibet idem sit oris habitus, eademq; hypocrysis, ut uocant, uel gesticulatio insolens.

Elephantos obseruatum est anxiè solos, pro quibus uapulassent, meditatos esse: sic adolescens crebro secum meditabitur, ut sit os compositurus, ut manus prolaturus, ut eis uerecundè quod oportet indicaturus, non remigaturus. Atq; hæc omnia ita moderabitur, ut ueritati seruiant, non ut alijs lenocinentur. Nam meretricij quorundam mores, ut fieri à Christiano pectore possent? Vnde isto exercitio, quod hic requirimus, non aliud intendimus, quàm ut quisque apud se exterioribus uitijs imperare discat, quæ uitiosæ mentis haud incertißima signa sunt. Hanc igitur primùm integram esse oportet, quæ ubi fuerit, facilè tempestatem exteriorum membrorum moderabitur, ne aut immodicè frontem contrahamus, aut os transformemus, aut caput concutiamus, aut manus dißipemus, sed inadfectata, rustica, & simplici quadam modestia hæc omnia temperemus. Hæc de oratione & silentio.

Gestus moderandi.

Vini saturitatem æquè ac cicutam fugiet: nam secundū hoc, quod iuuenile corpus, quod suapte spōte ad uehementiam procliuum est, ad insaniam adigit, senectam etiā adhuc dubiè nos expectantē, in herba uitiat:

Ebrietas fugienda.

quo

quo fit, ut cum fors ad eam uentum sit, morbum, non requiem reperiamus. Fieri enim non potest, ut qui se impensius uino proluere consueuerit, ut non in aliquem sonticum morbum tandem, incidat, ut est epilepticus, paralyticus, hydropicus, elephanticus, & consimiles. Quapropter maturè fias senex, si uis diu esse senex.

Victus ratio. *Reliquus uictus parabilis esto: nam quid adolescenti, cuius stomachus natura expeditus est ad perfectionem, cum perdicibus, turdis, ficedulis, capis, capreis, ac id genus lauticijs? quin eos dentibus tandem obtusis, palato detrito, gulæ diuturno usu callosæ, stomacho iam segni, corpori semimortuo utendos reponit. Nam fouendi senij quæ spes erit, si, quorum cupidum est, lasciua iuuentus per intemperantiam fastidiosa fecerit?*

Fames interim uincenda modo est, non profliganda: nam Galenum perhibent annos centum uiginti uixisse, quòd à tabula nunquam satur abierit. Neq; hic exigo, ut fame teipsum conficias, sed ne supra quam usus uitæ postulat, implacabili uoracitati seruias: non enim ignoro, facilè peccari posse in utranq; partem, si uel in lupos uoracitate abeamus, uel fame inutiles nos reddiderimus.

Vestiū luxus. *Nihil esse stolidius autumo, quàm uestium precio claritatem ambire, cùm hoc pacto pontificiæ quoq; mulæ claræ fieri possent ac celebres: ut enim robustæ sunt, plus auri, argenti, gemmarumq; ferre possent,*

quàm

quàm ullus Milo. *Quem uerò ambitiosi uestitus non pudeat, qui filium* Dei *ac uirginis audiat in præsepi uagitus suos edere, tot solummodo fascijs inuolutum, quot uirguncula ad partum imparata secum gestabat?*

Peregrinas aut nouas uestium figuras qui quotidie producunt, inconstantissimæ, uel si id nimis est, effœminatæ mentis aut teneræ certissimum signum dant, CHRISTI *non sunt. Nam egenos interea frigore perire sinunt & fame. Vnde à uestium luxu tam est temperandum, quàm à quauis mali specie.*

Amare dum incipit adolescens, animi sui tyrocinium exhibere debet: ac dum alij uiribus & armis per tumultum lacertos suos explorant, hic noster omne robur huc uertet, ut se ab amoris insania tueatur: cumq; amandum prorsus esse uiderit, caueat ne depereat, sed talem eligat ad amorem, cuius se ferre mores in perpetuo matrimonio posse confidat: eiq; cõgressum suum usq; ad connubium tam illibatè custodiat, ut præter hanc ex omni mulierum uirginumq; corona nullam nouerit.

Pecuniæ gloriæq; cupiditatem quid hic uetare attinet, cum apud Gentiles quoq; malum istud malè audiat? & hic noster non sit Christianus futurus, si ei seruiat, quæ non unum & alterum pessundedit, sed florentissima regna euertit, urbes potentissimas excidit, rem quamcunq; publicam inuasit, funditus perdidit. Auaritia.

Hæc

Hæc ubi arcem mentis occupauerit, nihil recti geri permitit: nocentißima pestis est, sed heu potens: quam per solum CHRISTVM *iugulabimus, si aßidui æmulatores eius fuerimus: is enim quid aliud hic egit, quam huic malo mederi?*

Disciplinæ mathematicæ. *Mathematicas disciplinas, quibus Musicen quoque connumerant, non leuiter, tametsi perfunctoriè, attingendas esse putamus: ut enim cognitæ magno sunt usui, neglectæ uerò impedimento haud mediocri: ita si quis in eis consenescat, nihil aliud emolumenti reportabit, quàm ij, qui ne ocio pereant, deambulando subinde locum mutant.*

Palæstram non usqueadeò damnamus, aliter tamen pronuntiaturi, si non uideremus quosdam prædiuites constanter abhorrere ab eo labore, qui communem uitam iuuat. Christiani tamen hominis fuerit, ab armis prorsus abstinere, quoad per reipublicæ statum & tranquillitatem licet. Nam Deus qui Dauid armorum 1, Re. 17. *rudem contra Goliath funda proficiscentem, uictorem reduxit, & inermes Israëlitas ab imminente hoste seruauit, nos etiam indubiè seruabit: aut si aliter ei uisum erit, dexteras armabit: ipse enim docet manus nostras* Psa. 17. *ad prælium. At si omnino statutum est palæstram quoq; experiri, hic unicus sit scopus, ut patriam uelimus, ac eos quos Deus iubet, tueri.*

Velim itaq; cunctos, præcipuè tamen eos qui offi-

cio

cio uerbi Dei destinandi sunt, non aliter putare, quàm quòd una solaq; priscorum Maßiliensium ciuitate potiri queant, qui neminem in ciuium numerum censebant, qui nihil artificij nosset, quo uictum pararet: hoc enim pacto fieret, ut ocium omnis lasciuiæ seminarium exularet, & corpora nostra longè salubriora, diuturniora, robustioraq; euaderent.

PRAECEPTIONVM VLTIMARVM APHORISMI.



RINCIPIO *ita secum reputabit ingenua mens:* CHRISTVS *sese pro nobis exposuit, nostrq; factus est, ita & te oportet omnibus expositum esse, nõ tuũ putare, sed aliorũ: non enim ut nobis uiuamus nati sumus, sed ut omnibus omnia fiamus.*

Solas igitur, iustitiam, fidem, constantiam, à teneris meditabitur, quibus Reipub. *Christianæ, quibus patriæ, quibus sigillatim omnibus sit profuturus. Languidæ mẽtes sunt, quæ hoc solummodo spectant, ut sibi tranquilla uita cõtingat: nec* Deo *tam similes, atq; eæ, quæ omnibus suo etiam cũ periculo prodesse student.*

Hic tamen prouidè custodiendum erit, ne quod ad gloriam Dei, *patriæ, omnium utilitatem suscipitur propositum, à diabolo aut philautia uitietur, ut quod*

aliorum

aliorum gratia suscepisse uideri uolumus, ad nos tandem trahamus. Multos enim uidere licet, qui ab initio recta feliciter incedunt, post pauca uerò à uana gloria, omnium bonorum consiliorum peste, in transuersum aguntur.

In secundis & aduersis aliorum, non aliter se geret, quàm si sibijpsi accidissent: si alij secunda euenerint, sibi euenisse putabit, æquè si aduersa. Rem etenim publicam unam, ueluti domum ac familiam existimabit, imò unum corpus, in quo membra ita simul gaudent, mœrent, ac se mutuò iuuant, ut quicquid uni acciderit, omnibus acciderit.

Ad hunc modum gaudebit cum gaudentibus, flebit cum flentibus: omnium enim euentus suos putabit. Adde quòd iuxta Senecæ uerbum, cuiuis potest contingere quod cuiquam.

Gaudiū ac mœror quo modo moderanda. *Neq; hos adfectus, gaudium & mœrorem, ita præstandos esse docemus, ut uulgò mos est: non enim uolumus, ut secundis rebus exultemus, & aduersis desperemus: sed postaquam sine his alijsq... nunquam sumus, ita, si sapiamus, t... coro nusquam recedamu... rum felicitate æquè... bimur, hoc est...*

A congressib. publi- *Ab his c... uenitur...*

tum ludi, tum feriæ, non solicitè arceo: quòd CHRI- STVM uideam nuptiarum aliquando partem non ingratißimam fuiße. Magis enim nobis probatur, si quòd omnino fieri oportet, in publico fiat, quàm si in angulis aut ganeis: testium enim multitudo quosdam uehementius terret, quàm propria mens: et omnino deploratus erit, quem publicè indecorè se gerere non puduerit. cis non abhorrendū. Ioan. 2.

Ex publicis congreßibus semper aliquid boni auferre contendet, ne quemadmodum Socrates querebatur, semper deterior domum redeat. Obseruabit, si quis in publico uerecundè se gerat, & imitabitur: si contrà, impudenter despuet.

Hoc autem cum ægrè qui maturimi sunt, præstare poßint, suadeo quàm rarißimè fieri potest in publicos cœtus coire: & si omnino insaniam sociare oportet, mox nos ipsos repetamus. Desertioni facilè prætexitur causa, cui adquiescant ij, qui nos bonis studijs semper intentos esse norunt.

[illegible] bus a[illegible] xis frenis adcurrere decet: [illegible] [illegible] e, præclarum est: hic [illegible] [illegible] malum, tractari, [illegible]

[illegible] immortalem Deum [illegible] [illegible] apud infideles [illegible] [illegible] dendus est [illegible] [illegible] r i, [illegible]

aliorum gratia suscepisse uideri uolumus, ad nos tandem trahamus. Multos enim uidere licet, qui ab initio recta fœliciter incedunt, post pauca uerò à uana gloria, omnium bonorum consiliorum peste, in transuersum aguntur.

In secundis & aduersis aliorum, non aliter se geret, quàm si sibijpsi accidissent: si alij secunda euenerint, sibi euenisse putabit, æquè si aduersa. Rem etenim *publicam unam, ueluti domum ac familiam existimabit, imò unum corpus, in quo membra ita simul gaudent, mœrent, ac se mutuò iuuant, ut quicquid uni acciderit, omnibus acciderit.*

Ad hunc modum gaudebit cum gaudentibus, flebit cum flentibus: omnium enim euentus suos putabit. Adde quòd iuxta Senecæ uerbum, cuiuis potest contingere quod cuiquam.

Gaudiũ ac mœror quo modo moderanda. *Neq; hos adfectus, gaudium & mœrorem, ita præstandos esse docemus, ut uulgò mos est: non enim uolumus, ut secundis rebus exultemus, & aduersis desperemus: sed posteaquam sine his alijsq; adfectibus nunquam sumus, ita, si sapiamus, temperemus, ut à decoro nusquam recedamus. Gaudebimus ergo de aliorum fœlicitate æquè ac de nostra, nec aliter contristabimur, hoc est, moderatè omnia feremus.*

A congressib. publi- *Ab his cœtibus quò uel promiscuè uel publicè conuenitur, quales sunt propinquorum nuptiæ, & annuitum*

tum ludi, tum feriæ, non solicitè arceo: quòd CHRI- *cis non*
STVM *uideam nuptiarum aliquando partem non in- al hor-*
gratißimam fuisse. Magis enim nobis probatur, si quòd rendū.
omnino fieri oportet, in publico fiat, quàm si in angulis Ioan. 2.
aut ganeis: testium enim multitudo quosdam uehemē-
tius terret, quàm propria mens: et omnino deploratus
erit, quem publicè indecorè se gerere non puduerit.

Ex publicis congreßibus semper aliquid boni au-
ferre contendet, ne quemadmodum Socrates querebá-
tur, semper deterior domum redeat. Obseruabit, si
quis in publico uerecundè se gerat, & imitabitur: si
contrà, impudenter despuet.

Hoc autem cum ægrè qui maturimi sunt, præstare
poßint, suadeo quàm rarißimè fieri potest in publicos
cœtus coire: & si omnino insaniam sociare oportet,
mox nos ipsos repetamus. Desertioni facilè prætexi-
tur causa, cui adquiescant ij, qui nos bonis studijs sem-
per intentos esse norunt.

In rebus asperis, laxis frenis adcurrere decet: his
primum postremumq́; esse, præclarum est: hic tendi
nerui debent, considerari malum, tractari, amoueri,
consilium dari.

Parentes secundum immortalem Deum summo in- Parentū
precio habendos esse, apud infideles quoq; receptum reueren
est. His igitur ubiq; cedendum est. Et si quando se non tia.
ex sententia CHRISTI, *quæ & nostra est, gerunt,*

non est importunè illis obluctandum, sed quod dictum factum'ue oportet, cum mansuetudine summa proponendum. Quod si recipere nolunt, potius deferendi sunt, quàm contumelia adficiendi.

Iram ex calida causa nasci perhibent Physici: cũq; hæc ætas sit calidißima, diligenter ab illa cauendum est, ne quicquam ex eius impulsu uel dicamus, uel agamus. Suspectum esse debet quicquid in mentem uenit, hoc adfectu feruente.

Calumnia non regerenda.

Calumniam, si deuorare præ amaritudine prorsus non possumus, ad iudicem aut magistratum referre oportet: nam conuitium pro conuitio reddere, & contumeliam regerere in eum qui dedit, aliud non est, quàm talem fieri, qualis is est quem damnas.

Lusus cum æqualibus suo tempore permittimus, sed doctos tantùm, & ad corporis exercitium utiles.

Lusus docti.

Docti sunt, certare numeris, quod Arithmetice docet: aut locationibus, quod laterunculorum excursiones & cunctamina, stationes quoq; & insidiæ. Is enim ludus præ omnibus docet, ne quid temerè suscipiatur: modus tamen interim in eo seruandus est: fuerunt enim, qui posthabitis serijs huic uni hærerent. Subcisiuis tantum horis hæc obiter tractanda permittimus. Talorũ tabularũq;, quas chartas uocant, ludos, ὡς κόρακας relegamus.

Exercitatio corporis.

Corpus exercebunt, cursus, saltus, discus, palæstra, lucta

luctа (qua uerò parcius utendum est, nam sæpe in seriũ abijt) lusus apud omnes ferè gentes usitati, sed apud maiores nostros, Heluetios dico, usitatissimi, & in uarios euentus utilissimi. Natationes paucis uideo esse proficuas, tametsi nonnunquam iuuet membra in flumen suspendere, piscemq; fieri: utiles tamen ad quosdam aliquando casus fuere: natauit ex Capitolio qui Camillo nunciaret miserabilem auaræ Romæ statum. Clœlia membrorum remigio ad suos remeauit.

Conuersatio uniuersa simul & oratio talis sit, ut eos quibus cum uiuimus, iuuent.

Alium si obiurgare oportet, tam cordatè, tam salse, tamq; festiuiter id fiat & consultè, ut uitium propellamus: hominem autem lucrifaciamus, arctiusq; nobis iungamus.

Veritatis studiũ tam constans & unicũ esse oportet, ut semper tum nostrum, tum aliorũ sermonem ita expendamus, ne quid doli commenti'ue admixtum habeat: debetq; bona mens non alia sibi causa magis displicere, quàm si uel inuitæ solummodo quiddam mendacij excidisse deprehenderit. Taceo quanto illam deceat pudore confundi, si se tam leuem ac uanam inuenerit, ut uel ipsa cudat, uel ab alijs cusa reddat. Veritatem enim quisq; cum proximo loqui iubetur. CHRISTVS ueritas est. Christianum igitur oportet ueritatis esse tenacissimum. Vir duplici animo incõstans est Studiũ ueritatis

in omnibus uijs suis. Nihil tutò ei committi potest, qui lingua uariat. Oratio cordis est nuncius: proinde si hæc fuerit uana, mendax, inconstans, certißimum signum est pectus longè peius habere. Adde quod mendacium aliquandiu, sed perpetuo latère non potest. Vnde stultum fuerit malitiam domesticam, latendi spe, uel alere, uel solari.

Quod de ueritatis studio diximus, in actionibus cunctis obseruandum est, ne scilicet fictè quicquam agamus, ne frons, ne oculi alios se esse mentiãtur, quàm cor ipsum, quod actionum omnium fons est.

Incessus quoq; ascitus, argumēti satis præbet, qualis uir sit qui aliter incedit atq; ingenium flagitat: nempe uanus, & mente prostibulari.

Quid multa? huc omne studium accelerandum est, ut CHRISTVM *adolescens quàm purißimè hauriat: quo hausto, ipse sibi regula erit. Rectè faciendo nunquam concidet, nunquam extolletur, augescet quotidie, sed sibi decrescere semper uidebitur: promouebit, at postremum se esse ducet omnium: bonum erga omnes operabitur, sed nō imputabit quicquam: sic enim* CHRISTVS *fecit. Absolutus igitur erit,* CHRISTVM *unicè statuerit æmulari.*

Hæc sunt elegantißime Gerolde, quæ ad educandos ingenuos adolescentes profutura duximus, quamuis ita sint confuse tradita, ut ne indicari quidem opus fuerit:

fuerit: oculis enim omnium facilè patet. Tu uerò ista tecum sæpe uoluta, & quod hic calamo rudi delineatum uides, moribus exprime: ita enim fiet, ut quæ hic ordine fermè nullo effusa sunt, tute factis in ordinem pulcherrimum cogas, & huius formulæ spirans ac uiuum exemplar fias. Quin constantius dicam, fieri nequit, ut non aliquando absolutior euadas, quàm nos uerbis adsequi potuimus, si modò neruos omneis instanter intendas: id quod supra modum proderit ad propellendum ocium, quo quidam ex recepta, sed pessima, consuetudine usqueadeò impudenter in ipso uitæ limine torpent, ut uideantur non aliud fieri cupere, quàm fuci & uitiorum omnium lernæ. Tibi autem utendum est (ut ille inquit) ætate: cito pede labitur ætas, Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit. Christiani hominis est, non de dogmatis magnificè loqui, sed cum Deo ardua semper ac magna facere. Perge igitur optime adolescens, genus, formam, patrimonium, quæ tibi omnia magnifica contigerunt, hisce ueris ornamentis clariora reddere: minus dixi, sola ista ornamenta putare, illa uerò fortunæ esse cognoscere, Deo Opt. Max. duce, qui te incolumem seruet, Amen.

FINIS.

PHILIPPI MELANCHTONIS DE LOCIS COMMVNIBVS RATIO.



HILOSOPHI *digeſſerunt res humanas omnes ceu in formas quaſdam uiuendi, ut alia ſunt naturæ, ut uita, mors, forma. Alia fortunæ, ut opes, natalium ſplendor, honores. Alia ſunt in noſtra poteſtate, ut uitia, ac uirtutes. Sic in ſingulis ſtudiorum generibus ſunt quædam capita, in quæ referri ſolét, quæ tractantur illic: ut in Theologia, fides, ceremonia, peccatum. In iure, æquitas, ſeruitus, pœna, maleficium, iudex, aduocatus, & his ſimilia. Qui uolet igitur de rebus humanis rectè iudicare, illum oportet, quicquid inciderit fortè fortuna, ad has ceu formas rerum exigere. Pariter, cui cordi eſt rectè de ſtudijs iudicare, illum oportet tales locos in numerato habere. Nam præter id quòd ſunt formæ rerum & regulæ, mirè etiam memoriam adiuuant. Voco igitur locos communes, omnes omnium rerum agendarum, uirtutum, uitiorum, aliorumq́; communium thematum cõmunes formas, quæ ferè in uſum, uariasq́; rerum humanarum ac literarum cauſas incidere poſſunt: poſſuntq́; comprehendi locis argumentorum generis deliberatiui,*

liberatiui, ut fortunam, opes, honores, uitam, mortem, uirtutem, prudentiam, iustitiam, liberalitatem, temperantiam. Et *his contraria, paupertatem, ignominiam, exilium, temeritatem, iniustitiam, sordes, intemperantiam seu luxum.* De *usu locorum communium optime scripserunt,* Rodolphus *Agricola in epistola* De *ratione studij, & Erasmus in Copia, in hanc fere sententiam. Qui destinauit per omne genus autorum lectione grassari, prius sibi quamplurimos paret locos.* Eos *sumat partim à generibus ac partibus uitiorũ uirtutumq́;, partim ab alijs, quæ, ut ante dixi, sunt in rebus mortalium præcipua, ut natura, fortuna, fatum: digeratq́; iuxta rationem affinitatis & repugnantiæ.* Nam *& quæ inter se cognata sunt, ultro admonent quid consequatur.* Et, *Contrariorum est eadem memoria. Puta, sit exempli causa primus locus,* Pietas *&* Impietas. *Huic subijcientur species inter se cognatæ:* Prima *est, pietas in* Deum: *secunda, in patriam: tertia, in parentes aut in liberos, aut etiam in eos, quos oportet parentum loco colere, ueluti præceptores, & quorũ beneficio seruati sumus.* Accedit *ad hæc superstitio, adijciẽda est igitur.* Atq́; *hic aperit se latissimus campus de prodigiosis deorum cultibus, ac de diuersarum gentiũ diuersis ceremonijs.* Est *ad hæc accersenda etiam fides in amicos, in hostes: totidemq́; de perfidia.* Item, *sit titulus* Beneficẽtia. *Huic cũ suas species subijceris,*

Rodolphus Agricola.

D. Eras. Rotero.

Pietas. Impietas.

Superstitio.

Beneficentia.

ceris, restat gratitudo, non illa quidem huic subiecta, neq; rursum contraria, sed adhærens, eq; ea ueluti cō-sequens. Virtutum ac uitiorum ordinem sibi quisque suo fingat arbitrio, aut ex Philosophis petat. Vtile cō-silium est, quod suprà dedi, exercendos in locis com-munibus genere didactico iuuenes, ut singulorum na-turam uimq; propriè perspiciant. Plurimum ex eo stu-dio iudicij comparari, si quando in sublimibus agendū sit, ut in Theologia, quid affectus, quid uirtus, quid ui-tiū. In iure Ciuili, quid iustitia, quid ἀκριβοδίκαιον, quid ἐπιεικές. In singulos autem locos pertinent fruitiones, descriptiones, sententiæ, & exempla fabu-losa, seu historica. Vt si Iustitia titulus sit, erit eius fini-tio: Iustitia est, qua cuiq; quod suum est redditur. De-scriptio, qualis est apud Gellium ex Chrysippo, aut apud Hesiodum: Virginem esse, apparere ad Iouis tri-bunal. Subijcienda interim & ratio fabulosorum, seu mythologia: non illa quidem imperitè aut temerè con-ficta, sed ex illustri aliquo autore petita: ut si iustitiæ Hesiodianæ descriptionē ex Platone de legibus, enar-res: Iustitiæ est comes Nemesis, temeritatis & arrogā-tiæ mortalium uindex. Eius item descriptio addenda. Gerit enim frena & amussim. Notandū adhæc, si quid uspiam de iustitia insigne dixerunt Poëtæ, sicubi epi-theto illustri notauerūt, ut quomodo eā dixit Orpheus ἄτρεπτον τὸ συμφέρον. Iam sententiæ diligenter

coacer-

coacervandæ sunt, nonnunquam ad describēdum quomodo usus sit autor sententiæ, è qua petitur. Neq; enim procliue est cuiuis, sententias prouerbiáq; sic usurpare, ut suam referant faciem. Qualis est illa Theognidis poëtæ: Iustitia in sese uirtutem complectitur omnem. qua sic uti liceat, ut est usus in Moralibus Aristotel. Exempla, ut est Camilli de Faliscorum proditore: Bruti, de Aquilijs: Manlij, de filio, quòd contra imperium pugnasset. His qui instruxerit sese, habebit quod suppeditet ad copiā semper in promptu: si qualecunq; inciderit argumentum, in aliquem locorum communium plurésue referat, ut Cicero restitutionem Marcelli, in clementiam: in qua prædicanda, dici non potest quàm eleganter uersetur. Causam Archiæ, fecit laudem humanitatis. Hæc de locis communibus satis. Neq; uerò eos temerè confingi: ex intimis naturæ sedibus eruti formæ sunt, seu regulæ omnium rerum.

SEquitur nunc locorum quorundam index semper a studioso locupletandus. Quem olim M. Petrus Fladrunus, ex Brisgaudia Vualkilch oriundus, ædium Sapientię Friburgi alumnus, linguis tribus pręcipue insignis, & pręceptor non tam doctissimus, quam etiam fidelissimus, discipulis suis conscripsit. Qui pręmatura morte, magnum ætatis suę & tenerum

ipſe ingenium, maximo diſcipulorum mœrore, ut maiori literarum iactura, uelut in herba enectus, in Alſatiæ Rubeaco obijt, Anno M. D. XXVI. XV. Cal. Nouemb.

1 *Deus*
Summum bonum
Felicitas.

2 *Fatum*
Prouidentia
Fortuna.

3 *Natura*
Ingenium
Indoles

4 *Homo*
Vita
Valetudo { *Bona* / *Mala* }
Mors

5 *Aetas*
Pueritia
Adoleſcentia
Iuuentus
Senectus.

6 *Mens*
Intellectus Idem
Animus
Voluntas
Appetitus.

7 *Philoſophia, id eſt,*
Sapientia rerum
Sapientia
Cyclopædia
Eloquentia
Doctrina
Eruditio
Inſtitutio.

8 *Diſciplinæ*
Diuinæ
Humanæ

9 *Bonum*
Vtile
Delectabile
Honeſtum.

10 *Virtus*

Aurum
Argentum.
19 Pauperies
Inopia
Penuria rerum.
20 Prodigalitas.
21 Illiberalitas dando
Tenacitas
Auaritia accipiẽdo.
22 Lenocinium
Vsura
Alea
Ars parasitica.
23 Magnificentia
Magnifici sumptus.
24 Luxus
Ruditas
Sordities.
25 Magnanimitas
Honor
Gloria
Nobilitas
Natales
Nouitas
Industria
Labor
Laus.
26 Superbia
Lenitudo
27 Pusillanimitas
Pigrities
Ignauia
Ignominia
Vecordia
Ocium
Obscuritas.
28 Modestia
Ambitio.
29 Mansuetudo
Clementia
Pœna
Indulgentia
Licentia
Reconciliatio.
30 Iracundia
Vindicta
Iniuria
Crudelitas
Feritas
Sæuitia.
31 Affabilitas
Humani congressus

Timocratia.
40 Tyrannis
Paucorum potestas
Democratia
Labes Reipublicæ.
41 Iustitia
Lex, Ius, Mos,
Aequitas commutatiua
Aequitas distributiua
Iustum ciuile.
Iustum herile
Iustum paternum
Iustum œconomicum
Magistratus
Plebs
Obedientia.
42 Contractus
Mercatus
Venatio
Emptio
Mutatio
Vadimonium
Locatio
Depositio
Mercede conductio.
43 Iniustitia
Iniquæ leges
Iniquitas
Iniustum ciuile
Inobedientia
Seditio
Clades
Furtum
Violentia
Iniuria
Cædes
Membrorum captio
Conuitium
Contumelia
Adulterium furti genus est
Rapina
Latrocinium
Seruorum seductio
Falsum testimonium.
44 Fides
Charitas
Pietas
Religio.
45 Superstitio
Perfidia
Periurium.


45 *Amicitia*	*Indignatio*
Beneuolentia	*Inaequalitas*
Concordia	*Discordia*
Aequalitas	*Rixae*
Retaliatio	*Querelae*
Beneficentia	*Iurgia.*
Gratitudo	48 *Prudentia*
Fortunae participatio	*Consilium*
Consuetudo	*Sagacitas*
Conuictus	*Sollicitudo*
Familiaritas.	*Sententia.*
47 *Inimicitia*	49 *Imprudentia*
Maleuolentia	*Stoliditas*
Ingratitudo	*Consiliorum inopia*
Inuidia	*Obliuio.*

In hæc capita subsignandę digerendęq; sunt singulorum locorum finitiones, descriptiones, etymologię, sententię, scite dicta, exempla, epitheta, comparationes, metaphorę, allegorię. Illi enim & similes loci, thesaurus eruditionis & eloquentię perhibentur.

FINIS.

DIVI

DIVI BASILII MAGNI CAESAREAE CAPPADOCIAE ARCHIEPISCOPI, CONCIO ad adolescentes, quomodo ex Græcis autoribus utilitas capienda sit. Iano Cornario Medico Physico interprete.





VLTA *sunt quæ me inuitant ad consulendum uobis, filij, ea quæ optima esse iudico, & quæ profutura uobis arripientibus scio. Nam & quòd ad hoc ætatis peruenerim, & quòd per multa negocia iam exercitatus sim, imò & quòd mutationis in utramq; partem omnia docentis, abunde particeps factus sim, expertum me esse rerum humanarum fecit, ut his qui recens uitam constituunt, uelut uiam securißimam ostendere poßim. Et sanè familiaritate ac neceßitudine à natura statim post parentes uobis coniunctus sum, ut neq; ipse minus quippiam beneuolentiæ quàm patres uestri in uos conferam. Vos autem puto, nisi me animus uester fallit, ne desiderare quidem parentes, dum ad me respicitis. Siquidem igitur promptè exceperitis ea quæ dicuntur, secundi ordinis laudatorũ ab Hesiodo eritis. Sin minus, ego quidem nihil dixerim molestius. Ipsi uerò meministis uersuum*

suum nimirum, in quibus ille dicit, Optimum quidem esse eum qui ex seipso ea quæ decent perspicit. Bonum autem etiam illum, qui demonstrata ab alijs sequitur. Qui uerò ad neutrum idoneus est, eum ad omnia inutilem esse. Tres ordines hominum. *Neq; uerò admiratione duci debetis, si uobis quotidie ad præceptores euntibus, & cum præstantissimis tum doctrina tum eloquentia ueteribus uiris, per ea quæ reliquerunt scripta conuersantibus, ipse quiddam conducibilius ex me ipso inuenisse dico.* Hoc *quidem igitur ipsum etiam consulturus uobis adsum, nimirum non oportere in totum uiris his, uelut nauigij, ita animi uestri gubernacula concredere, & quacunq; duxerint, hac sequi: sed quantum utile est ex ipsis assumere, & nosse quid oporteat contemnere. Quænam igitur sint hæc, & quomodo discernamus, hoc ipsum sanè docebo inde exorsus. Nos ò filij, nullius omnino rei esse humanam hanc uitam sentimus: neq; bonum quiddam penitus putamus, neq; nominamus, quod utilitatem nobis hucusq; exhibet, non progenitorum claritudine, non corporis robur, non pulchritudinem, non magnitudinem, non ab hominibus omnibus honores, non regnum ipsum, non quicquid quispiam dicere magnū ex rebus humanis posit, sed neq; optione dignum iudicamus, neq; habentes respicimus, uerum longius spe procedimus, & ad alteram uitam parandam omnia facimus. Quæ quidem igitur ad banc* Basilij consiliū. Humanæ uitæ miseria. Vita futura.

nobis conducunt, ea amplecti & omnibus uiribus persequi oportere existimamus: quæ uero ad hanc non attinent, uelut nullius rei digna contemnere. Quæ uerò hæc sit uita, & quatenus ac quomodo ipsam uiuemus, longius quàm pro præsenti instituto fuerit exequi, & maiores quam uos estis auditores ad audiendum requisierit: tantum tamen loquutus, sufficienter fortaßis uobis ostenderim. Quòd si quis omnem simul ex quo homines nati sunt, sermone complexus, in unũ coacceruet fœlicitatem: ne minimæ quidem parti bonorum illorum inueniet ad æquandam, sed uniuersa in hac bona plus à minima illorum dignitate distantia, quàm quantum umbra & somnium à rebus ueris absunt. Imò ut magis proprio utar exemplo, quanto Anima in omnibus præstantior est corpore, tanta est & utriusq; uitæ differentia. Et ad hanc sanè ducunt sacri sermones per arcana nos erudientes. Quàm diu tamen præ ætate profunditatem intelligentiæ ipsorum audire ac assequi poßibile non est, in alijs non penitus distantibus, uelut in umbris quibusdam, & speculis, interim animæ oculis præ exerceamur, eos qui in militaribus præexercitamenta faciunt imitantes: qui sanè in manuum agitationibus ac saltationibus experientiam adepti, in certaminibus lucro ex ludo ac lusu fruuntur. Et nobis utiq; certamen omnium certaminum maximum propositum esse, putare oportet,

Sermones sacri.

pro

pro quo omnia nobis pro uiribus & facienda & tolerãda sunt. Ad huius præparationem, & cum Poëtis & Historicis ac Rhetoribus, & omnibus hominibus consuetudo habenda est, unde aliqua saltem utilitas ad animæ curam acccessura est. Quemadmodum igitur tinctores ubi præparauerunt prius curationibus quibusdam quodcunq; tandem fuerit quod tincturam excipiet, ita tandem florem inducunt, siue purpura, siue aliud quid sit: Eodem sanè modo etiam nos, si ineluibilis nobis permanere debet honesti gloria, externis utiq; his præinitiati, deinde sacras & arcanas doctrinas audiemus ac assequemur. Et uelut in aqua solem uidere assueti, sic ipsi luci oculos admouebimus. Siquidem igitur est quædam familiaritas doctrinis inter se, ualde utilis fuerit nobis ipsarum cognitio: sin minus, tamen inter se comparare, & discere diuersitatem, non parum confert ad confirmationem potioris. Sed & si utramq; doctrinam alicui rei aßimilaueris, imaginem assequêris. Certè quemadmodum plantæ uirtus propria est, maturo fructu turgere, addunt autem aliquid ornatus etiam folia, dum circum ramos concutiuntur: Sic profectò etiam animæ, præcipuè quidem fructus est ueritas ipsa, non ingratum tamen est etiam externam sapientiam circundatam esse, uelut folia quædam & tegumentum fructui, & aspectum non iniucundum exhibentia. Dicitur itaq; etiam

Doctrinę sacrę à prophana differentia.

Moyses — *Moyses ille Magnus, cuius maximum est in sapientia apud omnes homines nomen, in Aegyptiorum disciplinis mentem exercitasse, atq; ita ad ueritatis speculationem accessisse. Consimiliter autem huic, etiam in*
Daniel. — *posterioribus temporibus sapientem Danielem in Babylone Chaldaeorum sapientiam addidicisse, & tunc sacras doctrinas attigisse tradunt. Caeterum quòd quidem non inutiles sunt animis externae hae disciplinae, sufficienter dictum est. Quomodo uerò ipsarum participes fieri uos oporteat, consequens fuerit dicere. Primum*
Poetę quomodo legēdi. — *equidem his quae à Poëtis dicuntur, ut hinc initium sumam, quandoquidem uarij sunt, non omnibus consequenter animum aduertere oportet. Sed quum bonorum uirorum actiones aut sermones nobis recensuerint, eos amplecti ac imitari, & quàm maximè conari ut tales simus. Quum uerò ad flagitiosos homines peruenerint, tum fugere oportet ne imitemur, obturatis*
Syrenū cantus. — *auribus, non minus quàm Vlyssem aiunt illi Syrenum cantus. Nam ad uitiosos sermones consuetudo, uia quaedam est ad res ipsas. Quapropter omni custodia anima adseruanda est, ne per sermonum uoluptatem aliquid deteriorum imprudentes suscipiamus, quemadmodum hi qui uenena cum melle admittunt. Non itaq; laudabimus Poëtas, neq; conuitiantes, neq; cauillantes, non amantes aut ebrios imitantes, non quum plena mensa & cantilenis dissolutis felicitatem metiuntur.*

metiuntur. Minimè uerò omnium de dijs differentibus intenti simus, & maximè quum de ipsis ut multis & non consentientibus tractarint. Frater enim apud illos seditionem agit aduersus fratrem, & parens aduersus liberos, & his rursus aduersus parentes implacabile bellum est. Adulteria autem deorum & amores, commixtiones in propatulo, & has præsertim summi omnium & maximi Iouis, uelut ipsi dicunt, quas si quis etiam de brutis pecoribus recenseat, erubesceret, his qui in scenis uersantur relinquamus. Eadem hæc etiam de scriptoribus ac historicis dico, & maximè quum audientium animis delectandis historias scribunt. Sed & Rhetorum circa mentiendum artem non imitabimur. Neque enim in iudicijs, neq; in alijs actionibus commodum est nobis mendacium, qui rectam & ueram uitæ uiam præ elegimus, quibus non litigare lege præceptum est. Sed illa ipsorum potius recipiemus, in quibus uirtutem laudarunt, aut prauitatem uituperarunt. Quemadmodum enim homines floribus usq; ad odoris iucunditatem, aut colorem fruuntur, apes uerò etiam mel ab ipsis sumunt: Sic sanè etiam hic, qui non solùm iucunditatem & Venerem eiusmodi orationum persequūtur, his etiam utilitatem quandam ab ipsis in animum reponere licet. Quapropter iuxta totam apum similitudinem, orationum participes nos fieri conuenit. Illæ enim neq; ad omnes flores

Rhetores quomodo legendi.

consimiliter accedunt, neq; etiam eos ad quos aduolant, totos auferre tentant, sed quantum ipsis ad melis opificium commodum est accipientes, reliquum ualere sinunt. Et nos sanè si sapiamus, quantum sincerum est & ueritati cognatum ab ipsis adepti, quod reliquum est transiliemus. Et quemadmodum ubi rosetí florem decerpimus, spinas deuitamus: sic etiam in huiusmodi orationibus, quantum utile est adepti, noxium uitabimus. Statim igitur ab initio singulas disciplinas considerare, & ad finem coaptare conuenit, iuxta Doricum prouerbium, lapidem ad funiculum ducentes. Et quandoquidem per uirtutem ad uitam illam nostram nos peruenire oportet, ad hanc autem multa Poëtis, multa scriptoribus, multo plura adhuc Philosophis decantata sunt: talibus orationibus maximè animus aduertendus est. Non modica enim utilitas est, familiaritatem quandam ac consuetudinem uirtutis animis adolescentium ingenerari: quoniam quæ à talibus discuntur, inconcussa permanere solent, propter animarum teneritudinem in profundum insculpta ac impressa. Aut quid tandem aliud Hesiodum cogitasse putemus, ut faceret uersus illos quos omnes canunt? an non ut adhortaretur adolescentes ad uirtutem? Quòd uidelicet aspera est primùm & inuia, & multo sudore ac labore plena, accliuisq; ad uirtutem ducens uia. Quapropter non est cuiusuis accedere ad ipsam

Virtutis uia.

ipsam propter rectitudinem: neq; facile est, etiamsi quis accessit, ad summum peruenire. Si uerò quis sursum perlatus in summo consistat, leuis & pulchra, facilisq; ac expedita existit, & iucundior quàm altera quæ ad uitium ducit, quam aceruatim ex propinquo arripi posse, idem ille Poëta dixit. Mihi equidem nihil aliud uidetur quàm nos ad uirtutem cohortari, & hæc recensere, omnes ut boni simus prouocando, & ut ne emolliti ad labores, ante finem desistamus. Quin & si quis alius consimiliter uirtutem celebrauit, etiam ad huius sermones progreßi ipsos recipiamus. Quemadmodum porrò ego è quodam uiro docto, & in assequenda Poëtæ sententia ualde excellenti, audiui, tota Homeri Poësis laus est uirtutis, & omnia ipsi ad hoc tendunt, quæ non iusti operis ornandi gratia sunt adiecta. Non minus autem etiam ea, in quibus exercitus Cephalenorum ducem nudum ex naufragio seruatum, finxit primùm quidem reueritam esse reginam, quòd solus apparuisset: tantum aberat ut turpitudinis damnaretur nudus conspectus solus, quandoquidem uirtus pro uestibus ipsum exornarat: Deinde uerò etiam reliquis Phæacibus quantiuis precij dignum iudicatum esse, ut relictis delicijs in quibus uiuebant, ad illum respicerent, & omnes æmularentur, et nullum ex Phæacibus tunc temporis fuisse, qui aliud quid magis in uotis haberet, quàm ut Vlysses esset, & Homeri laus.

hoc ex naufragio seruatus. In his enim dicebat ille sententiæ Poëtæ enarrator, tantùm non exclamantem dicere Homerum, Quòd uobis uirtutis cura habenda est ô homines, quæ & unà cum naufrago enatat, & in terra existentem nudum felicibus Phæacibus honoratiorem reddit. Etenim reuera sic habet. Reliquæ quidem possessiones non magis habentium, quàm quorumcunque tandem uulgarium & eas assequentium existunt, ut quæ uelut in ludo cubus ac tessera, huc atq; illuc tranferuntur. Sola autem ex possessionibus uirtus auferri non potest, & apud uiuentes & apud mortuos permanens. Vnde sanè etiam Solon ad diuites mihi dicere uidetur:

Virtutis prestantia.

Solon,

» At nos uirtutem non ita diuitijs
» Permutabimus. est etenim possessio firma
» Virtutis, sed opes iam alter & alter habet.

Consimiles his sunt & Theognidis uersus, in quibus dicit Deum, quemcunq; tandem dicit, hominibus trutinam aliàs aliter degrauare,

Theognis.

» Et iam diuitias, iam nihil esse homini.

Quin & Chius sophista alicubi in scriptis suis consimilia his in uirtutem ac uitium scripsit. Cui ipsi quoq; animum aduertere debemus, neque enim contemnendus uir est. Habent autem uerba ipsius hoc modo, quantum sanè ego sententiam uiri memoria teneo, quandoquidem ipsa uerba non memini, præterquam

Chius sophista Prodicus.

quam quòd simpliciter sic dixit citra metrum: Quòd quum ualde iuuenis esset Hercules, & fermè hanc ætatem ageret quam nunc uos, deliberaretq́; utram uiam pergeret, hanc'ne quæ per labores ad uirtutem ducit, aut alteram illam facillimã: accessisse ad ipsum duas mulierculas, easq́; fuisse Virtutem ac Vitium, & statim quidem ipsas etiam tacentes ab ipso habitu diuersitatem manifestasse. Fuisse autem alteram, nempe Vitium, ab arte comptoria ad pulchritudinem exornatam, & præ delitijs diffluxisse, & omnem uoluptatis gregem ex sese appensum duxisse. Hæc ipsa igitur ostentasse, & adhuc plura his promisisse, & Herculem ad seipsam trahere conatam esse. Alteram uerò macram ac squallidam fuisse, & intentos oculos habuisse, ac talia quædam contrà dixisse: Nihil enim remissum ac dissolutum promisisse, neq; quicquam iucundum, sed sudores infinitos, & labores, ac pericula per totam terram ac mare subeunda, præmium autem horum esse, Deum fieri, uelut ille inquit. atq; hanc ipsam etiam morientem Herculem insequutum esse. Et fermè omnes qui aliquid nominis in sapientia assequuti sunt, unusquisq; pro uiribus, aut minus aut amplius, uirtutis laudem in scriptis suis recensuerunt, quibus credendum est, & conandum ut in uita sermones demonstremus. Nam qui uerbotenus apud alios existentem Philosophiam opere confirmarit,

Hercules cum duabus mulierculis.

Deum fieri.

Vita sermoni cõsona.

„ *Solus nempè sapit, reliqui uolitant uelut umbræ.*

Tiresias *Et mihi uidetur tale consimile esse, uelut si pictor admirandum quippiam, utpote hominis pulchritudinem imitetur, ipse uerò talis reuera sit, qualem in tabulis ille expreßit. Alioqui splendidè uirtutem in medium collaudare, & longas de ipsa orationes extendere, priuatim uerò uoluptatem temperantiæ præferre, & lucrum iustitiæ præponere, simile esse dixerim ego his, qui in agendis comœdijs in scena personas repræsentant, qui sæpenumero uelut reges & optimates se inferunt, quum neq; reges sint, neq; optimates, neq; fortaßis omnino liberi. Deinde Musicus quidem non uolens utiq; toleraret, ut dissona ipsi lyra sit: & chori præfectus, ut nòn quàm maximè concinnum chorum habeat. Vnusquisq; autem seditionem aduersus seipsum aget, & non consentientem uerbis uitam exhibebit? sed lingua quidem iurauit, mens autem iniurata est, iuxta Euripidem dicet? Et uideri quàm esse bonum, magis captabitur? Verùm hic est extremus iniustitiæ terminus, si quid Platoni credere oportet, nimirum uideri iustum esse eum qui non sit. Sermones quidem igitur, qui rerum honestarum habent præcepta, hoc modo recipiamus. Quandoquidem uerò etiam facta honesta ueterum uirorum, aut per memoriæ consequentiam ad nos conseruantur, aut in Poëtarum uel scriptorum monumentis extant, neq; utilitatis ex his*

Facta uirorum quomodo legēda.

ipsis

ipsis imperiti simus. Velut uerbi gratia, Conuicia ia-ctabat quidam plebeius ac circumforaneus homo in Periclem: hic autem non animaduertebat, & per totam diem perseuerabant, ille quidem opprobrijs immodicè diuexans ipsum, hic uerò non curans illum. Deinde uespere iam facto & tenebris obortis, quum uix discederet, cum lumine ipsum Pericles deduxit, ut ne ipsi corrumperet Philosophiæ studium. Rursus, Quidam Euclidi Megarensi iratus mortem minatus est, ac iurauit: hic uerò contrà iurauit & iureiurando affirmauit se placaturum ipsum, ac sedaturum, ut ne quicquam ipsi molestus esset. Quanti precij esse putas talium exemplorum aliquid in memoriam uenire uiri qui iam ab ira detinetur? Nam Tragœdiæ credendum non est simpliciter dicenti, Pericles Euclides.

In hostes ira coarmat manum. ""

Sed ne exurgere quidem omnino ad animum ira percitum oportet: si uerò hoc non est facile factu, tamen uelut frenũ ipsi inijcere rationẽ, & non sinere ulterius efferri. Verùm reducamus orationem rursus ad honestarum actionum exempla. Percutiebat quidam Sophronisci filium Socratem, in ipsam faciem impetu facto: hic uerò nihil renisus est, sed exhibebat se, ut ebriosus ille se ira exatiaret, ut intumesceret iã & præ plagis saniosa facies esset. Vbi autem ille à uerberibus cessasset, Socrates quidem nihil aliud fecisse dicitur, sed Socrates.

fronti

fronti uelut statuæ inscripsisse opificem, Ille faciebat, & in tantum sanè se de illo uindicasse. Hæc itaq; in idem fermè cum nostris tendentia, operæ precium esse censeo nos qui tanti sumus imitari. Nam hoc quidem Socratis, consimile est illi præcepto, quòd percutienti in maxillam, etiam alteram exhibere conuenit, in tantum uidelicet oportet ultionem facere. Periclis autem & Euclidis factum simile est illi, quòd persequentes sustinere, & ipsorum iram leniter tolerare oportet: & illi, quòd inimicis bona optare, & non mala imprecari oportet. Quare qui in his præeruditus fuerit, is utiq; non amplius illis uelut impoßibilibus fidem derogabit. Nec uerò prætericrim Alexandri factum, qui ubi filias Darij captiuas haberet, quarum admirabilis planè pulchritudo fuisse prædicatur, ne aspicere quidem dignatus est: turpe esse iudicans eum qui uiros uicisset, à mulieribus superari. Hoc enim in idem cum illo tendit, quòd qui aspexerit mulierem ad uoluptatem, etiamsi non opere adulterium perficiat, tamen quòd concupiscentiam in animum assumpsit, culpa non uacat. At uerò Cliniæ unius ex familiaribus Pythagoræ factum, difficile creditu est nostris sponte accidisse ac casu, nō tamen seriò imitantibus. Quid uerò erat quod ille facit? Quum liceret ipsi per iusiurandum trium talentorum mulctam effugere, exoluit potius quàm iurauit, & hoc quum rectè iureiurando

usurus

[Margin notes: Facta similia Christianis. — Alexandri factum. — Cliniæ factum.]

usurus esset : gnarus, ut mihi uidetur, praecepti, quod nobis iureiurando interdicit. Caeterùm ut ad id quod ac initio dicebamus, rursus redeamus, non omnia consequenter ex ordine à nobis suscipienda sunt, sed quae utilia sunt. Nam turpe est cibos quidam noxios nos reijcere, disciplinarum autem quae animam nostram nutriunt, nullam rationem habere, sed uelut torrentem, omne quod occurrit attrahendo irruere. Quanquam quam rationem habet, gubernatorem quidem nauis non temerè se uentis permittere, sed scapham ad portum dirigere: & Sagittarium scopum petere, quin & fabrum ferrarium ac lignarium finem artis appetere : Nos uerò etiam à talibus opificibus superari, in hoc sanè quòd nostra perspicere possimus? Non profectò manuariorum opificum opificij finis est, humanae uerò uitae scopus nullus est, ad quem respicientem omnia facere ac dicere oportet eum qui non brutis animantibus similis futurus est. Aut sic sanè fuerimus palàm uelut nauigia non saburrata, & nulla nobis mente ad animae gubernacula desidente, temerè per uitam sursum ac deorsum feremur? Sed quemadmodum in gymnicis certaminibus, adde etiam Musicis, illorum certaminum exercitationes fiunt, quorum coronae sunt: & nemo lucta aut pancratio decertare solens, cithara aut tibia canere studio habet. Nequaquam certè Polydamas, sed ille ante certamen in Olym-

Polydamas auriga.

in Olympijs, currus statuit currentes, & per hos robur confirmauit. Et Milo ab assumpto illito scuto non depellebatur, sed resistebat dum impellebatur, non minus quàm statuæ plumbo colligatæ ac conglutinatæ. Et in summa, exercitationes, certaminum præparationes ipsis erant. Si uerò Marsyæ aut Olympi Phrygum pulsationes curiose scrutati essent, relicto puluere ac gymnasijs, citius utique coronas aut gloriam assequuti essent, quàm euitassent ne ridiculi corporibus essent. Sed neq; Timotheus dimißis cantilenis, in palæstris degebat: neq; enim tantum in Musica præ omnibus excelluisset, utpote cui tanta artis facultas aderat, ut etiam ad iram animum excitare posset, per concitatam & austeram harmoniam: sed & laxare ac mollire rursus per remissam, si quando uellet. Quapropter sanè quum Alexandro aliquando Phrygiam harmoniam incinuisset, excitasse ipsum fertur ad arma inter cœnandum: & rursus reduxisse ad conuiuas, harmonia laxata. Tantam uim tum in Musica, tum in gymnicis certaminibus exercitatio habet ad finis adeptionem. Quandoquidem uerò coronarum & Athletarum memini, illi ipsi innumera mala perpeßi, & undiquaq; robore sibijpsis aucto, ubi multum gymnasticis laboribus insudarunt, & multas plagas ex pædotribis pertulerunt, & uictum non iucundißimum, sed à magistis exercitiorum præscriptum

Milo athleta.

Timotheus Musicus.

Phrygia harmonia bellica.

ptum

ptum sequuti sunt, & ut ne longum faciam, etiam in reliquis sic degentes, ut uita ipsorum ante certamen exercitatio sit certaminis: tunc exuuntur ad stadium, & omnia laborant ac periclitantur, ut oleastri coronam accipiant, aut apij, aut alterius cuiusdam eiusmodi, & uictores à præcone prædicentur ac proclamentur. Nobis *autem quibus præmia uitæ proposita sunt adeò admiranda tum multitudine tum magnitudine, ut nullis uerbis explicari poßint, in utramq; aurem dormientibus, & in multa licentia uiuentibus, altera manu arripere continget?* Atqui *hoc modo quantiuis sanè precij socordia in uita fuerit, &* Sar*danapalus ipse primas omnium fœlicitatis tulerit, aut etiam* Margites *ille, si ita uolueris: quem neq; arato* Margites. *rem, neq; fossorem, neq; aliud quicquam eorum quæ uitæ commoda sunt,* Homerus *fuisse dixit, si modò* Ho*meri hæc sunt.* Sed *nũquid potius uerus est* Pittaci *sermo, qui difficilem rem esse dixit, bonum esse?* Per *multos enim reuera labores penetrãtibus, uix tandem nobis facultas continget bona illa assequendi, quorum in* Bonum esse difficile est. *superioribus nullum exemplum in humanis esse dicebamus.* Quare *minimè segnes esse nos oportet, neque cũ modica quiete magnas spes permutare, nisi opprobria perferre uelimus, & pœnas subire, non utique hic apud homines (quanquam & hoc non paruum est, si quis mente præditus sit) sed in iudicijs, siue sub terra,* Iudiciũ futurũ.

siue

siue ubicunq; in uniuerso ea existunt. Nam inuoluntariè quidem ab officio conueniente delinquenti, uenia fortaßis aliqua à Deo contigerit. De industria uerò deteriora eligenti, nulla excusatio contingere potest, ut non multiplex supplicium subeat. Quid igitur faciemus? dixerit aliquis. Quid aliud quàm ut animæ curam habeamus, & ab omnibus alijs ocium agamus? Itaque corpori inseruiendum non est, nisi omnis neceßitas urgeat: sed animæ ea quæ optima sunt suppeditanda sunt, ita ut ipsam uelut ex carcere, ex societate quam cum corporis affectionibus habet, per Philosophiam liberemus, simulq; corpus ipsum affectibus superius ac potentius efficiamus: uentri quidem necessaria ministrantes, non iucundißima, uelut hi qui mensarum structores quosdam ac cocos excogitant, & totam terram ac mare perscrutantur, uelut moroso hero tributa exigentes, miserabiliter occupati, his qui in orco puniuntur nihil tolerabilius perpetientes, palàm in ignem fodientes, & cribro aquam ferentes, & in pertusum haurientes dolium, nullum laborum finem habentes. Tonsuræ autem & uestitus extra neceßitatem curiosum esse, aut aduersa fortuna utentium est, aut iniustorum, uelut Diogenes ait. Quare cincinnatum esse & appellari, similiter turpe putari oportere censeo, uelut meretricari ac scortari, aut alienis nuptijs insidiari. Quid enim re-

Animę cura habenda.

tulerit,

tulerit, si quis modò mente præditus sit, ueste rasa indutum esse, aut detritum pallium gestare, quamdiu in hoc nullus defectus est, ut aduersus hyemem & æstum prosit? Sed & alia eodem modo, non magis superfluè quàm necessitas exigit parare oportet, & corpus non amplius curare, quàm quomodo animæ commodius est. Non enim minus opprobrium est uiro, qui hac appellatione uerè dignus est, cincinnatum esse & corporis ornatorem, quàm ad aliam quandam affectionem ingeneroso animo præditum esse. Nam omne studium huc conferre ut corpus quàm optimè habeat, non est eius qui seipsum cognoscit, neq; intelligentis sapientem illam admonitionem, quòd homo non est id quod uidetur: sed præstantiore aliqua sapientia opus est, per quam unusquisque nostrum, quisnam tandem sit, seipsum cognoscet. Hoc ipsum uerò non expiatam ac purgatam mentem habentibus magis impossibile est, quàm lippienti ad solem respicere. Purgatio autem siue expiatio animæ, ut semel & quantum uobis satis est dicam, est, uoluptates per sensus irrepentes ignominiosas ducere, non oculos absurdis eorum qui miracula edunt ostentationibus pascere, aut spectaculis corporum uoluptatis stimulum immittentium, non per aures corruptas cantilenas animæ infundere. Ex huiusmodi enim Musicæ genere, affectiones ex illiberalitatis ac humilitatis progenie,

Corporis cura.

Cincinnatum esse.

Animæ purgatio ac expiatio.

Musica Dauidis animis inseri solent. Verùm altera Musica nobis insequenda est, melior illa & ad melius ducens, qua Dauid sacrarum cantilenarum Poëta usus, furorem regis Saul, uelut tradunt, sedauit. Narratur etiam Pythagoras in procaces ac ebrios incidisse, ac iußisse tibicinem procacitatem lacessentem, ut mutata harmonia, Dorium ipsis incineret: eos autem sic resipuisse præ cantilena, ut abiectis corollis, uerecundia suffusi domum reuerterentur. Alij uerò ad tibiam Corybantum more furijs agitantur, ac debacchantur, tantum refert sanis aut uitiosis cantilenis aures impleri. Quare eius quæ nunc primas obtinet, Musicæ, minus uos participes fieri oportet, quàm cuiuscunq; tandem turpißimæ rei. Porrò suffitus omnis generis olfactui uoluptatem afferentes aëri permiscere, aut unguentis sese inficere ac confricare, etiam interdicere uobis erubesco. Quid uerò quis dixerit de eo quòd uoluptates tactus ac gustus persequi non oportet, quàm quòd hæ cogunt eos qui circa ipsarum capturam occupati sunt, uelut pecora, ad uentrem & ea quæ sub uentre sunt, pronos ac nutantes uiuere? In summa, totum corpus contemnendum est, ei, qui non in uoluptatibus ipsius uelut in sterquilinio defodi uelit. Aut tantum saltem ipsi inhærendum est, quantum, ut inquit Plato, ministerium Philosophiæ poßidet ac exhibet: Consimilia fermè dicens Paulo, qui admonet nullam oportere corporis

Doria harmonia moderata.

ris

ris prouidentiam habere ad concupiscentiarum occasionem. Aut quid differunt hi qui corporis ut quàm optimè habeat curam gerunt, animam uerò ipso usurã quasi nullius rei negligunt, ab his qui instrumentorum studio tenentur, artis uerò per ipsa operantis negligentes sunt? Quapropter in totum uice uersa castigare ipsum ac continere uelut bestiæ impetus conuenit, & tumultus qui ab ipso in anima excitantur, ratione uelut flagro compescere ac sedare, & non toto laxato freno uoluptatis, mentem negligere, ut uelut auriga ab effrenibus equis uiolenter agitatis distractus ducatur: Et Pythagoræ meminisse, qui ubi didicisset aliquem ex familiaribus sese et exercitationibus & edulijs ualde probè saginare ac carnosum reddere, Itaq;, inquit, non desines grauiorem tibijpsi carcerem parare? Quare etiam Platonem aiunt corporis detrimentum prospexisse, & morbosum Atticæ locum, ipsam Academiam de industria occupasse, ut nimis bonam corporis dispositionem, uelut uitis superfluam fertilitatem exscinderet. Ego uerò etiam periculosam esse corporis bonam habitudinem ad summum progressam, à medicis audiui. Itaq; hæc ipsa nimia corporis cura, neq; ipsi corpori commoda est, & animæ impedimentum est. Certè illi succumbere obsequiq; ac inseruire, manifesta insania est. At uerò si hoc negligere studio habuerimus, nullatenus aliud quicquam rerum

Academia morbosa.

Bona habitudo periculosa.

Pecunia rum inutilitas.

humanarum admirabimur. Ad quid enim amplius utemur diuitijs, si uoluptates per corpus accedentes ignominiosas ducimus? Ego quidem non uideo, nisi iuxta draconum fabulam, uoluptatem aliquam afferat thesauris defoßis incubare. Multum autem abfuerit, ut qui liberaliter erga talia se habere eruditus est, humile aut turpe quid opere aut sermone designet. Quod enim supra neceßitatem redundat, siue Lydium arenæ aureæ sit ramentum, siue formicarum auriferarum opus, tanto plus ignominiosum ducet, quanto minus indiguerit. Ipsam autem neceßitatem iuxta naturæ necessaria, & non uoluptatibus terminabit. Nam qui necessarios terminos excesserunt, consimiliter ueluti hi qui in decliue feruntur, nihil stabile habentes ad quod se recipiant, nusquam ab ulteriore delatione interquiescunt, sed quãto plura acquisierint, tantò magis æquali indigent, aut etiã ampliore, ad cõcupiscentiæ expletionẽ, iuxta Execestidæ adeò filium Solonem, qui ait,

Diuitijs nullum statuunt mortalia finem
Pectora.—

Verùm ad hæc Theognide utendum est præceptore dicente,

Non ego diuitias moror, aut peto: uiuere tantum
De paucis detur, nil sit ut inde mali.

Diogenis laus.

Ego autem etiam in Diogene admiror omnium *simul humanarum rerum contemptum, qui sanè etiam*

rege

rege magno seipsum ditiorem declarauit, ex eo quòd paucioribus quam ille in uita opus haberet. Nobis autem nisi adsint Pithij Mysi talenta, & tot ac tot terræ iugera, & pecorum greges plures quàm numerare poßimus, nihil satis erit? Cæterùm uelut ego arbitror, conuenit diuitias absentes non expetere, nec desiderare, & si adsint, non magis propter poßeßionem ipsarum se iactare, quàm ob scientiam dispensandi ipsas. Nam Socratis illud rectè habet, qui quum diues quidam magnopere propter pecunias superbiret, non prius ipsum admiraturum dixit, quàm experiretur etiam quòd his uti nosset. Aut Phidias quidem & Polycletus, si ob aurum & ebur se magnopere iactassent, quorum alter Eleis Iouem, alter Argiuis Iunonem fecit, ridiculi essent alienis diuitijs egregiè ornati, relicta arte præ qua etiam aurum ipsum iucundius ac preciosius effectum est. Nos autem humanam uirtutem non sufficere per seipsam ad ornatum putantes, minore pudore digna nos facere arbitramur? At sanè diuitias quidem despiciemus, & uoluptates per sensus illabentes ignominiosas ducemus, aßentationes uerò & adulationes persequemur, & uulpeculæ Archilochi astutiam ac uariegatam uersutiam æmulabimur? Verùm non est quod magis fugere debeat uir temperatus, quàm ad opinionem uiuere, & ea quæ uulgo ac multitudini probantur spectare, & non rectam rationem uitæ

Pythij Mysi talenta.

Archilochi uulpecula.

Ad opinionem uiuere pudēdū.

uitæ ducem facere. Quare etiam si omnibus hominibus contradicere, & ignominiam ac periculum subire pro honesto oporteat, nihil ex his quæ recta iudicata sunt, Proteus *tollendum neque inuertendum est, Aut si quis non se sic habet, quid ab Aegyptio illo sophista abesse ipsum dicemus, qui planta fiebat, & bestia quum uellet, & ignis, & aqua, & in omnes res mutabatur? Siquidem sanè etiam ipse nunc quidem Iustitiam laudabit apud eos qui hanc colunt, nunc uerò contrarios emittet sermones, ubi iniustitiam probari ac in honore esse senserit: quod ipsum adulatores facere solent. Et quemadmodum aiunt Polypodem colorem ad subiectam terram, sic ipse mentem ac sententiam suam ad familiarium, & eorum cum quibus conuersatur sententiam transmutabit. Cæterùm hæc quidem alicubi etiam in nostris orationibus perfectius discemus. Quo uerò uelut adumbratio quædam uirtutis in præsens contingat, externis doctrinis circumscribemur, nec ulterius pergemus. Qui enim diligenter ex unaquaq; utilitatem colligunt, his uelut magnis fluminibus, multæ undequaq; accessiones contingere solent.* Hesiodus. *Nam quod dictum est, modicum ad modicum deponendum esse, non magis in argenti additionem, quàm cuiuscunq; tandem scientiæ appositionem, rectè à Poëta dictum esse, existimare conuenit. Bias itaq; filio ad Aegyptios abeunti, & percontanti quidnam faciendo rem ipsi gratißimã*

facere

ficere poßit, si uiaticũ, inquit, ad senectutem tibi comparaueris. uirtutem nimirum uiaticum dicens, modicis terminis ipsam circumscribens, utpote qui humanæ uitæ spatio utilitatem ab ipsa terminauit. Ego uerò etiã *si quis* Tithoni *senectam, siue* Arganthonij *dicat, aut etiam longißimæ apud nos uitæ* Mathusalæ, *qui mille annos, minus triginta, uixisse dicitur, imò etiam, si quis uniuersum ex quo facti sunt homines tempus dimetiatur, uelut puerilem intelligentiam ridebo, in longum illud respiciens & non senescens æuum, cuius finem aliquem intellectu apprehendere non datur, non utique magis quàm immortalis animæ finem ac interitum statuere: ad quod sanè ego uos admonuerim uiatica comparare, omnem lapidem iuxta prouerbium mouentes, unde modò aliqua uobis utilitas ad ipsum accessura est.* Neq; *uerò quia difficilia sunt hæc & laborem requirunt, propterea pigriores simus: sed memores eius qui adhortatus est quòd oporteat unumquemq; optimam uitam eligere, & sperare consuetudine ipsam iucundam fore, optima aggredi oportet.* Turpe *est enim præsentis temporis occasionem dimittere, & postea aliquando quod præteritum est reuocare, quum nihil amplius nobis anxijs continget.* Ego *quidem igitur quæ optima esse iudico, partim nunc dixi, partim per omnẽ uitam uobis cõsulam.* Porrò *quũ tria sint ægritudinum genera, optarim uos incurabili*

Viaticũ ad senectutem.

Aeui futuri æternitas.

Opt. uita deligenda.

Epilogus.

Tria ægritudinum genera.

 illi

illi minimè similes uideri, neq; consimilem animi morbum uos prodere, quali infelicium quorundam corpora sunt obnoxia. Etenim qui ex paruis morbis laborant, ipsi ad medicos accedunt. Qui uerò à maioribus correpti sunt ægritudinibus, medicos ad se accersunt. Qui autem in immedicabilem penitus atræbilis morbum delati sunt, neq; accedentes admittũt. Hoc ipsum opto ne perpetiamini nunc uos, recta consilia relinquentes.

ORATIONIS D. BASILII MAGNI FINIS.

PETRI PAVLI VERGERII IVSTINOPOLITANI AD VBERTINVM CANTVARIENSEM DE INGENUIS MORIBUS AC LIBERALIBUS STUDIJS LIBELLUS.



Tria bene consulenda liberis.

RANCISCVS *senior auus tuus, cuius ut extant plurimæ res magnificè gestæ, ita & multa paßim sapienter ab eo memorantur, dicere (ut accepimus)* VBERTINE *solebat, tria esse, in quibus bene consulere suis liberis parentes, ut facilè possunt,*

possunt, ita iure meritoq; tenerentur. Primum, uti honestis nominibus illos appellent. Nam est, ut in re parui momenti, non parua iactura, indecoram nominis appellationem sortitum esse. In quo quidem solent plerunq; nonnulli errare, dum leuitate quadam aut ipsi nouorum nominum autores haberi uolunt, aut si qua à maioribus suis acceperunt, tanquam gentile patrimonium ad posteros certa fide transmittunt. Alterum, ut in egregijs urbibus eos statuant. Nam amplitudo splendorq; patriæ plurimum ualet tum ad opes et gloriam, tum etiam ad id quod tertio loco constituebatur ab illo, & iam dicetur à nobis. Quanquam in hoc plerunq; eueniat, quod Themistocles, cum esset Atheniensis, Seriphio cuidam in contentione respondit, dum ille non propria uirtute, sed patriæ splendore gloriosum factum eum contenderet. Neq; enim (is inquit) uel tu si Atheniensis esses, clarus extitisses: aut ego si Seriphius, essem ignobilis. Tertium autem erat, uti bonis artibus liberos erudirent. Præclarè omnia ut qui in omni genere rerum prudentißimus sui temporis & erat & habebatur. Sed postremum illud præter cætera commodißimè. Neq; enim opes ullas firmiores, aut certiora præsidia uitæ parare filijs genitores possunt, quàm si eos exhibeant honestis artibus & liberalibus disciplinis instructos: quibus rebus præditi, & obscura suæ gentis nomina, & humiles patrias attollere atque

Honesta nomina.

Themistoclis dictum.

illustrare consueuerunt. Nam & mutare sibi nomen, dum id sine fraude fiat, unicuique per leges licet: & transferre, quando libeat, domicilium, nemo prohibetur. Artibus uerò bonis nisi quis ab adolescentia fuerit instructus, aut si peruersis infectus extiterit, non facilè de se speret, in ætate prouectiori posse aut has abijcere, aut illas sibi continuò parare. Iacienda sunt igitur in hac ætate fundamenta bene uiuendi, & formandus ad uirtutem animus, dum tener est, & facilis quamlibet impreßionem admitttere: quæ ut tunc erit, ita & in reliqua uita seruabitur. Verùm cum omnes homines deceat (parentes quidem in primis) eos esse, qui rectè erudire suos liberos studeant: & filios deinde tales, qui parentibus bonis digni uideri poßint: præcipuè tamen qui excelsiore loco sunt, quorumq́; nihil neq; dictum neq; factum latere potest: decẽs est ita principalibus artibus instructos esse, ut & fortuna, & gradu dignitatis quam obtinent, digni habeantur. Aequum est enim, qui sibi summa omnia deberi uolũt, debere & eos summa omnia de se præstare. Nec est ulla certior aut stabilior regnandi ratio, quàm si ij qui regna obtinent, ab omnibus dignißimi omnium regno iudicentur. Quamobrem cùm sis VBERTINE, *primùm quidẽ nomen sortitus, quod fuit in uestra familia diu celebre, & ab eo nuper illustratum, qui retro sextus principatum ex genere uestro tenuit: deinde in hac uetustißima*

regia

regia urbe, quæ & cunctarum bonarum artium studijs floret, & rerum omnium copia in hominum usus abundat, ex principum genere, atq; ipso patre principe natus, sub cuius ductu & felix urbis status, & uestræ familiæ clarißimum nomen excrescit indies: magnoopere lætor pro mea fide, tuaq; ac tuorum in me beneuolentia, quòd te uideo cum per parentis diligentiam, tum maximè tuo iudicio ad bonas artes & præclara studia omni nixu propensum ferri. Etsi enim tria illa, quæ diximus, à parentibus maximè desiderari uideantur, quorum profectò singulis non sum qui negem eos plurimum posse: præcipuè tamen parentes nomina imponunt natis. Casus, nonnunquam electio, dat homini patriam. Bonas autem artes aut ipsam uirtutem sibi ipsi unusquisq; comparat. Quæ quidem præ omnibus quæ possunt ab hominibus studio quæri, exoptanda est. Nam opes, gloria, uoluptates, fluxæ res sunt & caducæ: habitus autem fructusq; uirtutum, perstat integer, atq; æternus manet. Hoc igitur si te commoneam ut sedulò facias, tametsi ipse libenter præsto, uideo tamē esse non necessarium. Quid enim aliud possum monere te ut facias, quàm quod semper facis? aut quem tibi alium ad exemplum uirtutis commendare, quàm teipsum? Cum enim ita ab ipsa natura & animi & corporis dotibus constitutus uideare, ut omnia magna sperare de te liceat, tuq; adeò etiam

Virtus.

maiora

maiora omnia præstes, ut non modò spem, sed & uota quoque omnium exuperes: quid est quod aut adhortatione cuiusquam fortius promoueri poßis, aut cæterorum imitatione magis accedi? Tuo igitur nomine breue hoc opus suscepi, & de liberalibus adolescentiæ studijs ac moribus, id est, in quibus rebus exerceri ingenuos adolescentes, quæq; cauere conueniat, adortus sum ad te scribere: non quidem quo ipse te, sed ut per te cæteros id ætatis commoneam: & cum quid agendum sit alijs præfinio, tu quod per te facis, in te recognoscas. Cum enim sit homo ex anima & corpore constitutus, magnum quiddam ab natura consecuti mihi uidentur, quibus est datum, ut corporis uiribus & ingenij ualerent. Nam cum plurimos uideamus, quibus sine culpa euenit nascentibus, ut & ingenio essent tardo, & corpore imbecilli: quantas gratias haberi naturæ conuenit, si secundum utraq; hæc & integri sumus & ualidi? Ita autem digna referretur naturæ gratia, si non neglexerimus eius munera, sed ea rectis studijs bonisq; artibus excolere curauerimus.

Ingeniū pueri spectandum. *Principiò igitur erit unicuiq; suum ingenium pro se spectandum: aut si minus per ætatem nobis perpendere id licebit, parentes cæteriq; quibus curæ erimus, animaduertere debebunt: & in quas res natura proni aptiq; fuerimus, eò potißimum studia nostra conferri, & in eis totos uersari conueniet. Maximè uerò qui*

sunt

sunt liberale ingenium à natura consecuti, sinendi non sunt aut inerti ocio torpere, aut illiberalibus implicari negocijs.

QVA RATIONE IN PVERIS INGENIA dignoscantur, & qua tractanda sint.

OMnino autem liberalis ingenij primum argumentum est, studio laudis excitari, incendiq; amore laudis: unde oritur generosa quædam inuidia, & sine odio de laude probitateq; contentio. Proximum uerò, parêre libenter maioribus, nec esse bene monentibus contumaces. Nam ut equi meliores ad pugnam habentur, qui faciles sunt manu regi, & ad tubarum clangorem arrectis auribus exultant: Ita iuuenes qui bene audiunt monitoribus, & laudati excitantur ad bonum, uberis spem frugis ferre præ se uidentur. Cum enim bonum ipsum uirtutis honestiq; faciem, inexperti rerum complecti ratione non possunt, quæ si posset oculis uideri, mirabiles ad sapientiam (ut inquit Plato, & Cicero meminit) de se amores excitaret: proximum est ab hoc gradu ut gloriæ laudisq; studio ad optima conari uelit. Amplius autem & qui sunt in actionibus prompti, fugientes ocium, amantq; semper aliquid rectè agere, bene dispositi natura uidentur. Nam ut in eiusdem generis similitudinibus uersemur, Studiũ laudis.

uersemur, quemadmodum equi cursores meliores habentur, qui dato signo protinus exiliunt, nec calcarium stimulos, aut flagellorum plagas morari subsistunt: Ita adolescentes qui constitutis horis ad solita studia, intermissáq; paulisper exercitia alacres sine monitore redeunt, præclarè constituti ad uirtutis opus habendi sunt. Sed & si comminationes ac uerbera metuant

Verecũdia.

magis, aut si dedecus atq; ignominiam, unde nascitur uerecundia, quæ est in ea ætate signum optimum. Bene igitur habet, si obiurgati erubescant, & castigati fiant meliores, suosq; præceptores ament, nam & disciplinã amari indicio est. Nec minor uerò ad omnem

Benignitas in puero.

probitatem habenda de his spes est, qui sunt natura benigni ac facilè placabiles. Est enim in animo simile quiddam quod & in corporibus. Nã ut in his significatio est bonæ naturæ, nullo cibo abhorrere stomachum, sed quicquid ingeritur, facilè admittere, et in alimentum conflare membrorum: Ita & neminem odisse aut aspernari, sed quicquid dicatur fiatúe, in meliorem partem habere omnia, bene ab ipsa natura constituti animi signum est. Ac multa quidem in hunc modum sumi à moribus argumenta possunt. Quod uerò ad

Molles carne.

corporis habitudinem attinet, molles carne, aptos esse mente scripsit Aristoteles. De reliquis consulendi erunt, qui per physionomiam deprehendi posse uniuscuiusq; ingenium natiuosq; mores profitentur: quàm

nos

nos hic rationem totam relinquamus. Dignosci autem plerunque, ut diximus, ex indole potest, adolescentibus nobis, quales uiri futuri simus. Nam ab initio quidem ætatis, profert in quibusdam natura probitatis futuræ insigne, ueluti flosculos. Vnde bonæ indolis iuuenes di- cimus, qui effigie ipsa oris, & gestu cæterisq; actibus, spem de se bonam polliceri uidentur: quibus ut turpe est expectationem hominum fallere, ita laudi his datur, qui sine ulla tali significatione, probi tamen euaserunt, imitati pomorum quoddam genus, quæ sub turpi atq; aspero cortice suauem afferant saporem. Hinc bene præcipiebatur à Socrate, ut adolescentes in speculo suam imaginem crebrò contemplarentur: ea scilicet ratione, ut hi quibus inesset speciei dignitas, uitijs il- lam non dehonestarent: qui uerò deformiori specie ui- derentur, formosos se ex uirtutibus reddere curarent. Magis autem id ipsum consequi fortasse poterunt, si non tam suam speciem, quàm alienos probati hominis mores & uiuum speculum intuebuntur. Nam si P. Scipio & Q. Fabius (quod omnibus ferè generosis mentibus usu euenit) illustrium uirorum contem- plandis imaginibus excitari se magnoopere dice- bant: quæ res Iulium quoq; Cæsarem, uisa magni Ale- xandri imagine, ad summam rerum accendit: quid cõ- sentaneum est euenire, cum ipsam uiuam effigiem, & adhuc spirans exemplum intueri licet? Quanquam

Bonæ indolis qui

Speculũ Socratis

P. Scip. Q. Fab.

Iul. Cæs.

imagines

Imagines maiorum.

imagines fortasse maiorum, magis ad æmulationem gloriæ animos excitant, propterea quòd hominis præsentia minuere plerunq; gloriam solet, et uiuentes comitari consueuit inuidia: ad exemplum certè uirtutis ac morum, & ad omnem doctrinam, ut uiua uox, ita et uiui hominis mores plus ualent. Debet igitur studiosus adolescens, quem uirtutis ueræq; gloriæ desiderium concitat, unum aliquem pluresúe, quod uideatur, deligere probatissimos uiros, quorum uitam ac mores quantum per ætatem licebit imitetur. Illis autem cæterisq; natu maioribus, cùm omni tempore habenda sit grauitatis atq; modestiæ ratio, tum uerò maximè corā iunioribus custodienda est. Iuuenum enim ætas prona est ad peccādum: ac nisi maiorum exemplis autoritateq; cōtineatur, facilè semper in deteriora prolabitur.

Et quoniam insunt ipsis ex ætate proprij mores, quod & reliquis quoq; ætatibus accidit, ex his qui boni sunt, usu præceptisq; confirmandi erunt & iuuandi: qui uerò mali atq; illaudabiles, corrigendi, quorū hi quidem naturam sequuntur tantùm, quidam autem experientiæ defectum, alij uerò utrunq;. Sunt enim in primis natura largi atque liberales, propterea quòd non sunt experti indigentias, neq; opes eis labore proprio quæsitæ sunt. Non enim solet fieri, ut temerè dissipet, qui cum labore congregauit. Simul & quòd superabundat in eis calor ac sanguis modò in nutrimentum

Liberalitas quare in pueris.

tum corporis, sed & in augmentum etiam: quod contrà fit in senibus, contraria id efficiente ratione. Quę igitur cum speremus futurum senem, qui sit in adolescentia tenax atq; auarus? non quidem quò permittendæ sint eis largitiones, quas exercere cum discretione munerum, personarum, meritorumq́; nesciunt, sed corruptæ naturæ atq́; illiberalis ingenij sit indiciū. Ii igitur ad quæstuosas artes faciūt, aut manuale opus, aut negociationem, & ad curam rei familiaris: præcipuè qui etsi nobiliores fuerint quandoq; artes assecuti, illas tamen semper, ut cætera, ad ignobilem quæstū redigunt: quæ quidem res est ab ingenuis mentibus prorsus aliena. Deinde sunt bonæ spei, multaq́; ac magna sibi facilè promittunt, ac præ cæteris longæuam ætatem, ut quibus exuperat naturalis calor, tanquam ad omne opus & in omne tempus suffecturus. At propter hoc ipsum magnanimi sunt & alti cordis, quoniam est ea uis calidi, ut sursum ferat: unde fit ut sint arrogantes, & iuxta Flaccum, monitoribus suis asperi, & contumeliosi alijs, seipsos efferentes: appetunt enim excellere, propter quod uolentes uideri multa nosse, faciles sunt operta reuelare, & seipsos iactantes plerunq; mendaces inueniuntur. Simul & quia inexperti sunt, existimantes uera dicere, in plurimis falluntur. Ab hac autem mentiendi uanitate deterrendi sunt maximè: Primum, quòd assueti in iuuentute mentiri,

Auari et tenaces in adolescentia.

Magnanimi.

Arrogātes.

A mentiēdo deterrendi pueri.

morem hunc uiri seruant, quo nihil est turpius: Deinde quòd prope nihil æquè maiores offendit, quã mendacia adolescentium, qui studeant pridie nati, senes fallacijs circumuenire. Proderit aũt, si admoneantur parum loqui, & raro, nisi iussos, dicere. In multo nanq; sermone est aliquid semper quod reprehendi poßit. Quòd si in alterutro est peccandum, multo sanè tutius est tacere quàm loqui. Nam qui intempestiuè tacet, hoc in uno peccat quòd tacet: loquendo autem, in multis errare contingit. Prouidendum etiam, ne fœdis atq; inhonestis sermonibus assuescant. Nam ut est à Græco Poëta dictum, & ab Apostolo Paulo repetitum: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Secundum superiorem *autem rationem, quoniam sunt excellentiæ cupidi, sunt etiam uerecundi: quoniam inhonorati metuunt, & castigationes parentum magistriq; ex recenti meminerunt: simul & quoniam inexperti sunt, facilè refelli se posse arbitrantur. Sunt item creduli nimis: ex defectu namq; experientiæ rerum, uera credunt esse quæcunq; audiunt: atq; etiam de facili mutant opiniones, quoniam sunt eorum humores in motu propter augmentum corporis: & abundat calor, qui maximè ad motiones facit. Anima uerò cõplexionem sequitur corporis: ideoq; ut facilè carentes concupiscunt, ita potiti satiantur citò. Paßiones uerò suas maximè prosequuntur, & omnia faciunt ualde: quoniam concupiscentias*

Admonitio in mendaces.

1 Cor. 15

Verecũdia in pueris unde.

Credulitas unde.

Concupiscẽtia.

habent acutas, quas calor incitat: neq; uigent ratione & prudentia, quæ illas moderari poßint. Ego uerò iuxta Terentianum Sosiam, non iniuria id arbitror apprime in uita esse utile, ut commodè fiant omnia: ac ne quid nimis. Sunt quoq; *miseratiui nec maligni moris, quoniam ab generatione proximi sunt, benignum habentes sanguinem: cæterosq; ex se æstimant, quòd pauca commiserunt: quamobrem eos credunt iniustè pati.* Maximè *uerò gaudent amicitijs, & sodalitates amant: quas plerunq; eadem die & ineunt & dirimunt. Iuxta igitur has animaduersiones erit adhibenda doctrina, & boni quidem mores asciscendi, mali uerò aut minuendi, aut prorsus eradicandi erunt.* Et *de cura quidem iuuenum cum plurimum domesticæ disciplinæ permissum sit, nonnulla tamen solent legibus diffiniri.* Deberent *autem, ut ferè dixerim, omnia.* Nam *& publicè intereſt, iuuentutem in ciuitatibus bene moratam esse, & si fuerint adolescentes ratione instituti, erit id quidem utile ciuitatibus, & ipsis bonum. Maximè uerò (ut specialius dicamus) ab his peccatis prohibendi sunt, in quæ facilè natura, ab ipsa ætate deducuntur.* Habent *enim & ætates sua propria quædam uitia.* Adolescentia *libidinibus æstuat.* Aetas *media ambitione iactatur.* Senectus *cupiditate auaritiáq; consumitur.* Non *quòd ita omnes habeant, sed quòd in hæc uitia ex ætate proniores sunt homines.*

Miseratiui pueri.

Sodalitatis amãtes.

Legibus publicis continẽdi pueri.

Aetatũ uitia.

Curandum est igitur, ut iuuenes quàm maximè diu, integriq; seruentur. Immatura nãq; Venus, & animi & corporis uires eneruat. Quod erit, si à choreis cæterisq; huiuscemodi ludis, et item ab omni muliebri frequentia arceantur: aut si nihil de his rebus loquantur aut audiant. Nam cum ipsi per se ætatis feruore ad uenerea rapiantur, nulla erit spes reliqua, si malignus quoque consilio comes accesserit. Præcipuè uerò, si nunquam missi erunt ociosi, sed semper in aliquo honesto membrorum aut animi labore detineantur. Ocium enim ad libidines & ad omnem intemperantiam pronos efficit. Itaq; adolescentes nimia sospitate laborantes, multo conueniet labore sanari. Nec uerò his ocium tantùm, sed & solitudo quoq; uehementer est inimica, quæ infirmum animum assidua talium rerum cogitatione demulcet, nec aliò diuerti sinit. Vt enim qui desperatione tenentur, solitudini minimè credendi sunt: ita & quibus uoluptate deuinctus est animus. Itaq; & ab omni fœditate ac nefaria turpitudine & prohibendi sunt, & magno opere custodiendi: nec nisi his committendi, quorum mores & uita omnis perfecta sit, quorumq; non iam exemplo peccent, sed autoritate deterreantur. Quemadmodum enim teneris arborum uirgultis stipites alligantur, ne aut propria mole, aut ui ulla uentorum deflecti possint: Ita & iuuenibus adhibendi sunt comites, quorum monitis discant, & conscientia

Venus immatura.

Ocium.

Solitudo

scientia retrahantur, & imitatione proficiant. Continēdi sunt etiam, ne in alijs quæ sunt circa uitam, immoderatiores fiant. Nam superfluus cibus & potus, et somni abundantiores ex consuetudine magis sunt: non quò uarijs habitudinibus corporum plus minus'ue deberi ex his rebus negem, sed quòd in omnibus hominibus natura paucis adiumentis contenta sit, si necessitatem spectemus: si uoluptatem, nihil illi possit uideri satis. A uino uerò in ea ætate maximè sunt arcendi: cuius nimius usus & ualetudini bonæ inimicus est, & rectæ rationis usum magnopere perturbat. Qua in re nequaquam mihi uidetur improbanda Lacedæmoniorū ratio qui ebrios seruos exhiberi in conuiuijs suis curabant, non quidem ut eorum insulsis sermonibus, aut fœdis actibus delectarentur (nam inhumana uoluptas est, damno hominis aut uitio delectari hominem) sed ut adolescentibus suis exemplo ostenderent, quā esset turpe temulentum uideri. Sunt igitur, ut ab annis teneris assuescant, ita potandi pueri, ut illis magis aqua temperetur, quàm lymphetur uinum: & tam sobriè quidem ac rarò, ut magis ad molliendum cibum, quàm ad minuendam sitim datus potus uideatur. Neq; enim decet, quod non modò ad uirtutem, sed & ad bonam quoq; ualetudinem pertinet, uentre cibum potum'ue metiri, aut hibernis noctibus somnos æquare, aut uoluptatibus modū satietate præfinire, sed ratione moderari omnia,

Superfluus cibus & somnus.

Lacedæmoniorū mos.

Potus puerilis.

& ita assuefieri, ut iuueniles impetus frenare facilè possimus: arbitrariq; non omne quod per potentiã uel occasionẽ facere licet, decere ut faciamus. Ante omnia uerò decet bene institutum adolescẽtem rei diuinæ curam respectumq; nõ negligere, eáq; opinione imbui ab ineunte ætate. Nã quid erit illi inter homines sanctũ, cui diuinitas despecta sit? Nec uerò usq; ad seniles decet superstitiones prouehi, quod in ea ætate damnari plurimũ solet, & irrisioni patere: sed ad certum modum. Quanquã quis modus adhiberi in ea re potest, in qua omne quod possumus, infra modum est? Præcipuè uerò, quod in omni ætate abominabile est, monendi sunt, non execrari diuina neq; sacra nomina irrisioni habere, nõ spõte facilè iurare. Nã qui temerè iurant, crebrò deierare consueuerunt. Proximè aũt senibus ac maioribus natu plurimũ reuerentiæ adhiberi cõuenit, eosq; parẽtum prope loco existimare. In quo erat Rom. iuuentus uetusto more præclarè instituta, quæ Senatores, quos Patres appellabãt, qua die haberetur Senatus, deducebãt in curiã, ibiq; assidui præ foribus aderãt, dimissóq; Senatu reducebant frequẽtes domũ, quæ nimirũ erant rudimenta cõstantiæ patientiæq; in prouectiori ætate præstandæ. Qui ergo iuuenes libenter senibus hærent, nec ab his facilè discedunt, à quibus proficere possunt: hi non temerè uelle uidentur ætatẽ uirtute præuenire. Instituendi sunt præterea, quo pacto deceat admittere uenientes,

Diuinæ rei cura.

Superstitio uitanda.

Reuerẽtia erga maiores natu.

De congressib.

uenientes, quoq; abeuntes dimittere: ut oporteat uerecundè salutare maiores, minores humaniter colligere, amicos beneuolosq; familiariter conuenire. Quae cum in omnibus aptè sedeant, tum uerò in principibus & eorum liberis speciosa uidentur, & notantur in omnibus maximè in quorum moribus atq; omni uita facilitas quidē amari solet, grauitas uerò laudari. Vtrobiq; tamen uerendum est, ne uel haec in aegrestem seueritatem, aut illa in scurrilem leuitatē ex eat. Haec aūt ita consequi poterunt, si se facilè quisq; argui moneriq; patiatur: quae ratio in omni aetate & causa atq; cōditione salutaris est. Nam ut obiecto speculo faciei nostrae mēdas cognoscimus, ita & castigantibus amicis errores perpendimus animi: qui proximus est ad emēdationem locus. Hi autem facilimè deceptioni patent, qui nihil audire possunt quod contristet. Imbecillis est enim stomachi, ferre non posse nisi delicata. Decet itaq; & dicentes pati posse, et obiurgantes audire. Nam qui se non patitur praesentem argui, non facilè solet, cum est absens, defendi. Verū eos maximè qui sublimiore sunt fortuna, & in quorum manibus urbium populorumq; ius est, decet nō modò facilè, sed etiā libenter bene monentes audire, quanto & ipsi per multā licentiā proniores sunt ad peccandum, & eorum peccata obesse pluribus solent. Et eò quidem magis curandum, quòd pauci sunt qui dicere eis quod uerum decensq; sit, au-

deant: pauciores, qui uelint audire. Nam qui uult uerum audire, facilè inuenit à quo audiat. Itaq; mirùm uideri potest, si sit quispiam bonus aut sapiens, in potentatu ac magnis fortunis natus, nec aduersum unquã casum expertus: & si quis hic huiusmodi, hunc pro quodam quasi terreno deo amandum colendumq; existimo. Quippe cum inter affluentiam rerum ad omnes uoluptates suppetentium, & facultatem assequendi quæcunq; cupierit, & adulatorum ingentem copiam, qui solent ex stultis insanos facere, uix rationi ac recto iudicio uacat uspiam locus. Id pulchrè Plato sentiebat, & commodè paucis uerbis significauit: quem nos locum huc ad uerbum ex Gorgia transferamus. Difficile est enim, inquit, & puerum laude dignum, in magna peccandi licentia iustè uixisse. Sed & nimia quoq; parentum indulgentia emollire atq; eneruare adolescentes consueuit: quod in his plerunq; manifestum est, qui sub uiduis matribus per delicias sunt enutriti. Placet igitur quæ est apud quosdam gentium consuetudo, ut liberos suos aut extra ciuitatem, aut certè iuxta domum apud cognatos suos amicos'ue educari curent, quos etsi plerunque indulgentiores inuenerint, hoc ipsum tamen quòd in aliena domo uiuere se intelligunt, solutiorem illis licentiam adimit, & melioribus studijs, quæ Liberalia dicimus, intentiores reddit: de quibus tempus est iam nos dicere.

Platonis dictũ

Indulgẽtia nimia.

Liberalia studia.

QVAE

QVAE SINT LIBERALIA STVDIA quibus institui adolescentes debeant.

Liberalia igitur studia uocamus, quæ sunt homine libero digna: ea scilicet, quibus uirtus ac sapientia aut exercetur, aut quæritur, quibusq́; corpus aut animus ad optima quæq; disponitur: unde honor & gloria hominibus quæri solet, quæ sunt sapienti prima post uirtutem proposita præmia. Nam ut illiberalibus ingenijs lucrum & uoluptas pro fine statuitur, ita ingenuis uirtus & gloria. Oportet igitur à prima infantia his intendere, & ad sapientiam omni studio conari. Nam si nulla est priuatarum artium, etiam earum quæ minus acuminis exigunt, quam excellenter assequi quis poßit, nisi ab teneris annis illi incubuerit: quid de sapientia iudicabimus, quæ tam multis magnisq́; rebus constat, & in qua artes totius uitæ, præcepta, rationesq́; continentur? Non erimus profectò (quoniam sapientes & haberi & esse omnes uolumus) non erimus, inquam, in senectute sapientes, nisi iuuenes primum bene sapere cœperimus. Nec uerò suscipiendum est, quod omnibus perè uulgò usurpatum est, ut existimemus eos qui iuuenes super ætatem rectè sapiant, maiores factos desipere aliquando solere. Quanquam & hoc quibusdam non abhorreat à philosophica ratione: quibus cùm impuberibus sensus uigeant, crescēte Sapiētia

postmodum ætate marcescant. Quo in genere rectè est senex quidam ab adolescente confutatus. Obscurũ est autem utriusq; nomen. Cum enim is propter ætatem prudens probusq; haberetur, seniq; ad miraculum illum ostenderent: Erit igitur (inquit) in senectute demens, qui sit in adolescentia tam sapiens. et ita quidem uoce sublata, ut adolescens audiret. Ille uerò innati acuminis nihil oblitus, atq; in eum protinus conuersus, Tu ergo (inquit) præclarè in adolescentia sapiens extitisti, fuisq; illũ (ut aiunt) armis confodit. Et est quidem ex natura in plerisq; iuuenibus, tanta ingenij celeritas ad intelligendũ, & ad inuestigandum tantum acumen, ut uel sine multa doctrina de rebus maximis loqui poßint, sententiasq; dicere grauißimas: quorum ingenita uis si eruditione corroboretur, iuueturq; disciplina, summos uiros parere ea res solet. Vt igitur ij diligenter curandi sunt, ita non negligendi qui mediocri ualent ingenio: quin uel hoc potius iuuandi, quòd est in eis uis naturæ defectior. Omnes tamen à pueritia studijs laboribusq; mancipandi sunt,

Senex ab adolescente confutatus.

Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas:

ut est Maronis uersus. Atq; eò magis tunc insistendum, quò ætas illa eruditioni aptior est, quàm cæteræ. quanquam in omni ætate discendum est: nisi fortasse turpius aliquando est discere, quàm nescire. Quod contrà iudicauit Cato ille Portiæ familiæ princeps, qui Latinas

Cato.

nas literas propè senex, Graecas iã certè senex edidicit: nec credidit seni turpe discere, quod esset pulchrum homini scire. Socrates etiam, tantus philosophus, iam aetate prouecta fidibus operam dedit, digitosq; suos magistro formandos commisit, cum nostros interea iuuenes, si placet Deo, prae mollitie discere pigeat, & uix dum ablactatos pudeat sub magistro esse. qui tamen iudicio proprio minimè committendi sunt, sed uarijs artibus ad bona rectaq; studia inducendi. Nam alij quidem laude & per speciem honoris, alij munusculis blandicijsq; alliciendi: minis alij flagellisq; cogendi erunt. Atq; haec quidem omnia ita ritè pensanda rationeq; moderanda, ut & in eodem ingenio uicißim his artibus praeceptores utantur: & cauendũ, ut neq; nimium illis faciles, neq; nimium seueri sint. Nam ut nimia licentia bonam indolem soluit, ita grauis aßidua castigatio ingenij uim eneruat, naturaeq; igniculos in pueris extinguit: qui dum timent omnia, audere nihil possunt: fitq; ut pene semper errent, dum singulis rebus errare se timent. Maximè uerò in quibus superabundat nigra cholera, laxius continendi erunt: eosq; plurimum suo arbitrio permitti conueniet, & libertate iocisq; oblectari: in quo genero complexionis, non omnes (quod Aristoteles uoluit) sed plurimi certè ingeniosorum sunt. Verùm euenit, ut pleriq; ingenio liberali praediti, dum recta studia sequi contendunt, aut

Socrates

Seueritas nimia erga pueros.

Melancholicis quid permittẽdũ.

aut manu iniecta reuocantur, aut quibusdam oppositis quasi repagulis in ipso cursu subsistere coguntur; aut aliò diuertuntur. Plurimis enim angustia rei familiaris impedimento fuit, quæ liberum animum & ad meliora natum, quæstui coëgit inseruire. Tametsi per extremas difficultates generosa natura solet in altum emergere: & magis profusa rerum copia, quàm summa inopia, bonis ingenijs nocere consueuit: cum de his non sine indignatione dici soleat, O quàm magnus hic erat futurus uir, si in minoribus esset fortunis natus. Quibusdam parentum imperium, & ab infantia suscepta consuetudo obstitit. Nam & quod minoribus nobis consuetum est, facilè id maiores facti sequi solemus: & pueri liberi parentum studijs, quibus innati atq; innutriti sunt, dari se patiuntur. Sed & id quod est in ciuitatibus consuetum, plurimum sequimur, tanquam sit id optimum factu, quod cæteri & probant & faciunt. Ergo difficilima omnium est ea deliberatio: nam aut libera non est, aut ad eam non nisi falsis opinionibus imbuti ex mala consuetudine & hominum peruerso sermone uenimus. Datum tamen est quibusdam munere Dei singulari, ut ipsi per se rectam uiam sine ullo duce & inire & tenere potuerint: paucis illis quidem, & quos æquus (ut ait Poëta) Iuppiter amauit, aut etiam genuit, ut fabulis quoque aliquid demus. Qualem in primis Herculem accepimus, quod & Græci

Paupertatis impedimentum.

Hercul.

Græci tradunt, & Latini post eos meminerunt. Hic enim cum duas cerneret uias, unam Virtutis, alteram Voluptatis, fortè id ætatis agens, quando de tota uita deliberatio sumenda est, in solitudinem secessit: ibique multum ac diu secum cogitans (ut est ea ætas imbecilli iudicio consilioq;) uirtutem tandem reiecta uoluptate complexus est. Vnde sibi per multos ac graues labores, opinionem hominum, iter in cœlum extruxit. Ita igitur ille. Nobiscum autem bene agitur, si præceptis manuq; deducimur, ut probi simus: aut si qua ui etiam necessitateq; ad id cogamur. Est enim fœlix necessitas, quæ cogit ad bonum. Quanquã & tibi quoq; VBERTINE, id uideo in parte contigisse. Cum enim sunt ex studijs atq; artibus hominum duæ præcipuè, quæ & ad excolendam uirtutem, & ad parandam gloriam maximè sunt affines, Armorum uidelicet, ac Literarum disciplina: liceretq; tibi per parentis indulgentiã solam militarem, quæ familiæ uestræ propè peculiaris est, prosequi: tu utranq; ita es & industria & studio tenaciter complexus, ut æqualibus tuis longo interuallo posthabitis, cum maioribus quoq; certare in utroq; laudis genere possis. Probè igitur facis, qui & militarem disciplinam, in qua semper tui maiores excelluerunt, non negligis: & ad ueterem hanc domesticam gloriam, nouam etiam literarum laudem adijcere tentasti. Aequè enim imitari eos studes. Est autem

horum nostris temporibus turba ingēs, qui sibi opinionem doctrinæ ut dedecus abhorrent: aut Licinij quondam Romanorum imperatoris sententiam probant, qui literas uirus ac pestem publicam appellabat. Multo magis, quod ille ait, beatas fore respublicas, si uel studiosi eas sapientiæ regerent, uel earum rectores sapientiæ studere contigisset. Et quidem quod uerum est, literarum disciplinæ neq; dementiam adimunt, neq; malignitatem: quin magis eos qui ad uirtutem & sapientiam nati sunt, magnoperæ adiuuant: ita persæpe sunt aut indicia stultitiæ detegendæ, aut instrumenta perniciosioris iniuriæ. Nam & Claudium (ne à Romanis principibus discedamus) sanè doctum accepimus: & Neronem eius priuignum, atq; in principatu successorem, eruditum in primis fuisse constat, quorum prior insignis uæcordiæ fuit, alter crudelitate atq; omnibus flagitijs contaminatus. Qui tamen sub obtentu clementiæ, dixit aliquando se optare literas nescire: quod & optandum illi profectò fuerat, si modò non alia ratione quàm literarum ignarus, esse clemens potuisset. Sed opinor eum, si & literas quoq;, quæ malè apud se habitabant, eijcere sibi prorsus licuisset: tam maturè ac libenter facturum fuisse, quàm illam simulatam ad tempus clementiam exuit, ne cui uirtutum ac bonarum artium reliquis in se locus esset. Contra uerò Iacobus Cararia proauus tuus, & prudens uir, et

Licinij de literis opinio.

Platonis dictum.

Claudius Cæs.

Nero.

Iacobus Cararia.

princeps

princeps magnanimus, ipse quidem non magnopere doctus, mirum tamen in modum doctos coluit: ut id unum fortunæ suæ defuisse iudicaret, quòd non esset, quantum modestum hominem optare liceat, eruditus. Et *in senectute quidem optare licet, consequi uerò non facile, nisi ab initio ætatis studio laboreq; nobis doctrinam parauerimus. Paranda sunt igitur in iuuentute solatia, quæ honestam senectutem poßint oblectare. Nam quæ sunt iuuentuti laboriosa studia, ea erunt iucunda ocia senectuti.* Et *sunt in hac re sanè magna præsidia, siue contra languidum torporem remedium quærimus, siue sollicitis occupationibus solatium. Nam cum duo sint genera uitæ, liberalis unum, quod totum in ocio ac speculatione est: alterum, quod in actione negotioq; consistit: in priore quidem quàm sit necessaria cognitio usus q; scripturarum, neminem existimandum est latêre:* In *posteriore uerò quàm sit utilis, facilè hinc dignosci potest. Nam qui ad res gerendas animum applicant, omitto quantum & præceptis illorum qui scripserunt, & eorum exemplis de quibus scribitur, prudentiores fieri possunt: sed siue rempublicam administrent, siue foris in bellis, aut domi in suis amicorumq; negocijs uersentur, non habent fatigati, qua alia in re iucundius adquiescere ualeant. Cum etiam incidant tempora & horæ, in quibus ad huiusmodi rebus uacare necesse*

Literarum presidia.

necesse est. Nam & à republica sepe inuiti prohibemur, & non semper geruntur bella, & singuli dies noctesq; aliquid habent, quo domi contineri, & esse seorsum oportet. In hoc igitur tempus (cum nihil nobis per ocium agere foris licebit) lectio librią; succurrent: nisi prorsus somno indulgere, aut inerti ocio tabescere uolemus: aut morem imitari Domitiani principis, qui singulis diebus, certis horis, secretus ab omnibus, stilo ferreo muscas insectabatur. Fuit hic quidem Vespasiani filius, Titi uerò minor natu frater: utriq; profectò longe impar: imo uerò tanto omnium teterrimus, quanto Titus probißimus est omnium habitus: quem historiæ, delitias humani generis appellauere. Itaq; & eius memoria tam celebris est, quàm illius execrabilis. Libero etenim iudicio de rebus uitáq; hominum posteritas utitur, quæ nec uituperare improbos metuit, nec laudes inuidet benemeritis. Qua quidem in re magna est (ut uidemus) prærogatiua principibus, imo uerò (propè dixerim) neceßitas proposita bene gerendarum rerum, si iudicium hominum, & famæ apud posteros æternitatem spectare uelint. Nam in cæteris quidem humilioribus, magna ui ac uirtute opus est, ut in lucem emergant, & eorum peccata suæ sortis obscuritate teguntur: In principibus uerò & magnis uiris probitas, siue quòd rara sit in multa fortuna, ac propterea magis admirationi habetur: siue quòd ex fortunæ splen-

Domitiani mos.

Famæ æternitas principibus spectanda.

næ splendore magis illustretur: ea uel si modica est, præclara atq; insignis habetur: malefacta autem nec latêre, quamuis secreta, possint, nec cognita diu taceri. Illi enim ipsi qui aut ministri sunt uoluntatum, aut socij criminum consciiq; factorum, efferunt, & primi damnant. Quo in genere eius ipsius Domitiani demẽtiam è cubicularijs unus urbano scommate notauit. Aliquando enim interrogatus, esset'ne quisquam cum Domitiano intus: respondit, Ne musca quidem: quasi ille studio suo omnes sustulisset. Huic eius occupationi tam indecoræ uenia fortè posset indulgeri, si modò cõstaret quidnam per hyemem solus agere consueuisset: aut si non maiore odio ex tetris facinoribus, quam ex hoc aucupio tam fœdo irrisione se dignum præbuisset. Nam quod Scipio dicere de se solebat, Nunquam minus solum aut ociosum esse, quàm cum ociosus aut solus uideretur: non facilè cuius potest contingere, sed solis magnis ingenijs atq; excellenti uirtute præditis: tametsi nihilo mihi uidetur minor, qui contrà & in turba solitudinem seruare potest, & in negocio quietem: quod de Catone quidem scriptum est, qui interea dum Senatus cogeretur, lectitare in curia libros frequens solebat. Vnde nimirum & in rem præsentem, & in omne tempus saluberrima patriæ consilia dictabat. Quòd si præterea alius nullus ex literarũ studijs fructus haberetur, qui utiq; & plurimi sunt, & maximi:

Scomma in Domitianum.

Scipionis dictũ

Catonis mos.

maximi: ſatis tamen abunde magni uideri debet res momenti, quòd interea dum attenti legimus, à pleriſq; auocamur quæ non poſſemus aut ſine turpitudine cogitare, aut reminiſci ſine moleſtia. Nam ſi quid eſt aut in nobis ipſis, aut in fortuna noſtra, quod nos offendat, hac facilè ratione leuamur, præter id quòd mirabiles uoluptates in animis hominum doctrinarum ſtudia pariunt, & uberrimos afferunt in tempore fructus; ſi quando in bonam mentem & ei culturæ idoneã tale ſemen inciderit. Ergo cum ſoli ſumus, ab omnibus & cæteris curis uacui: quid agere melius poſſumus, quàm libros conuenire, ubi ſunt omnia uel amœniſsima ad cognoſcendum, uel ad bene ſanctéq; uiuendum efficaciſsima? Nam cum ad cætera quidem plurimum ualent, tum uerò maximè ad ſaluandam uetuſtatis memoriam neceſſaria ſunt monumenta literarum, quibus

Monumenta literarum neceſſaria.

res hominum geſtæ, fortunæ, euentus inſperati, naturæ inſolita opera, & ſuper his omnibus rationes temporum continentur. Memoria etenim hominum, & quod tranſmittitur per manus, ſenſim elabitur, & uix unius hominis æuum exuperat. Quod autem libris bene mandatum, à perpetuo manent, niſi pictura forſitan, aut exciſio marmorum, aut fuſio metallorum, poteſt etiam tale quiddam præſtare. Verùm ea nec ſignant tempora, nec facilè uarietatem indicant motionum, & exteriorem tantum habitum exprimunt, ac labefactari

facilè

facilè possunt. Quod autem literis traditur, non modò hæc quæ dicta sunt efficit, sed & sermones quoq; notat, & cogitatus hominum effingit, ac si quid pluribus exemplaribus uulgatum est, non facilè potest interire, si modo & dignitas accedat orationi. Nam quæ sine dignitate scribuntur, ea nec sortiuntur fidem, nec subsistere diu possunt. Quæ igitur potest esse uita iucundior, aut certè commodior, quàm legere semper aut scribere, & nouas quidem existentes res antiquitatis cognoscere, præsentes uerò cum posteris loqui, atq; ita omne tempus quod & præteritum est, & futurum, nostrum facere? O præclaram supellectilem librorum inquam (ut nos) & ò iucundam familiam (ut rectè Cicero appellat) utiq; & frugi & bene morigeram. Non enim obstrepit, non inclamat, non est rapax, non uorax, non contumax, iußi loquuntur, & item iußi tacent, semperq; ad omne imperium præsto sunt, à quibus nihil unquam nisi quod uelis & quantum uelis audias. Eos igitur (quoniam nostra memoria non est omnium capax, ac paucorum quidem tenax, & uix ad singula sufficit) secundæ memoriæ loco habendos asseruandosq; censeo. Nam sunt literæ quidem ac libri, certa rerum memoria, & similium omnium communis apotheca. Idq; curare debemus, ut quos à priorib. accepimus, si nihil ipsi ex nobis gignere fortè poßimus, integros atq; incorruptos posteritati

Librorũ familia.

transmittamus: eoq; pacto & his qui post nos futuri sunt, utiliter consulemus: & his qui præterierunt, uel unam hanc suorum laborum mercedem repensabimus. In quò iustè forsitan possumus quoddam seculum proximasq; superiores ætates accusare. Indignari quidem licet, proficere autem nihil, quòd tam multa illustriū autorum præclara opera deperire paßi sunt. Et quorūdam quidem nomina sola summis cū laudibus ornata, aliorum etiam pars uigiliarum, & fragmēta quædam operum ad nos peruenerunt. Vnde fit, ut ex splēdore laudum ac nominis, opera desideremus illorum. Horum uerò reliquos labores deperisse indignemur, ex earum rerum quæ superant adhuc, excellentia ac dignitate: tametsi ea ipsa in plerisq; partium suarum tam uitiose correcta, quædam etiam intercisa ac mutilata suscepimus, ut pene melius fuerit ex his nihil ad nos peruenisse. Sed in hac iactura quæ maxima est, non debet id minimum uideri, quòd res plurimas nostras, atq; ita labefactata cognitione dignißima pro magna parte latēre nos contingit, quorum notitia cū libris simul ac monumentis eorum perijt. Sicq; barbarorum res gestas nouimus, plerasq; ex nostris casu librorum ignoramus. Et est eô deuētum, ut latinæ quoq; historiæ & cognitionem & fidem à græcis autoribus exigamus. Plurima nanq; talium quæ apud nos sunt aut angustè præscripta, aut prorsus incognita, latè

Deploratio librorum deperditorum.

apud

apud eos diffusa reperiuntur: quanquam & ea ipsa græca oratio, quæ nostris maioribus esse quondam domestica ac persimiliaris solebat, apud suos penè interijt: apud nos uerò prorsus extincta est, nisi pauci quidam qui hac ætate illi incubuerunt, eam è sepulchro in lucem reuocent. Sed redeo ad historiam, cuius cò grauior est iactura, quò eius rei cognitio & utilior est ac iucundior. Nam liberalibus quidem ingenijs, & his qui in publicis rebus & hominum cõmunitate uersari debent, conuenientiora sunt historiæ notitia, & moralis philosophiæ studium. Cæteræ quidem enim artium, Liberales dicuntur, quia liberos homines deceant. Philosophia uerò idcirco est liberalis, quòd eius studium liberos homines efficit. In horũ igitur altero præcepta, quid sequi, quidúe fugere conueniat: in altero exempla inueniemus. In illa enim omnium hominum officia reperiuntur, & quid quenque deceat: in hac uerò quid factum dictumúe sit, suis quoq; temporibus adijciendũ est. Ad hæc (ni fallor) tertium, id est, eloquentiam, quæ ciuilis scientiæ quædam pars est. Per philosophiam siquidẽ possumus rectè sentire, quod est in omni re primum: per eloquentiam grauiter ornateq; dicere, qua una re maximè conciliantur multitudinis animi. Per historiam uerò in utrunq; iuuamur. Nam si senes idcirco prudentiores iudicamus, eosq; libenter audimus, quòd per longam uitam & in se multa experti sunt, et

Liberales artes quare dictæ.

Historię utilitas.

in alijs pleraq; uiderunt atq; audierunt: quid de his est iudicandum, qui multorum seculorum res cognitu dignas memoriter norunt, & ad omnem casum proferre illustre aliquod exemplum possunt? Ex quibus id efficitur, quod est summi uiri & omnino excellentis ingenij, ut & optimè quis dicere poßit, & studeat quàm optimè facere. Erant autem quatuor, quæ pueros suos Græci docere consueuerunt: literas, luctatiuam, musicam, & designatiuam, quam pro tractiuam quidam appellant. De luctatiua & musica dicetur postea. Designatiua uerò nunc in usu nō est pro liberali, nisi quātum forsitan ad scripturam attinet (scribere namq;, & ipsum est protrahere ac designare) quo ad reliqua uerò, penes pictores resedit. Erat autem non solùm utile, sed & honestum quoq; huiusmodi negotium apud eos, ut Aristoteles inquit, Nam & in emptionibus uasorum tabularumq; ac statuarum, quibus Græcia maximè delectata est, succurrebant, ne facilè decipi precio possent, & plurimum conferebat ad deprehendendam rerum, quæ natura constant aut arte, pulchritudinem ac uenustatem: quibus de rebus pertinet ad magnos uiros & loqui inter se, & iudicare posse. Literarum uerò magnus est semper fructus & ad omnem uitam & ad omne hominum genus: præcipuè uerò studiosis earum, ut ad accipiendam doctrinam, ita & ad confirmandam eius habitum, reuocandamq; ipsorum lapsorum

Quatuor quæ pueri Græci docebātur.

Designatiua.

psorum memoriam. Ante omnia igitur, si quid proficere de doctrinis uolumus, congrui sermonis habenda est ratio, & curandũ ne dum maiora prosequimur, turpiter in minoribus labi uideamur. Proximè huic disputandi ratio adhibenda est, per quam in unaquaq; re quid uerum falsumúe sit, facilè argumentando quærimus. Ea cum sit discendi scientia, sciendíq; disciplina, ad omnem doctrinarum g nus uiã facilè aperit. Rhetorica uerò, tertia est inter rationales disciplinas, per quam artificiosa quæritur eloquentia, quam & tertiã posuimus inter præcipuas ciuilitatis partes. Verum ea cùm nobilium hominum studijs celebrari olim consueuisset, nunc prorsus obsoleuit. Nam à iudicijs quidem eiecta penitus est, ubi non perpetua oratione, sed inuicem dialectico more adductis in causam legibus contenditur. In quo genere pleriq; quondam ex Romanis adolescentibus magnam gloriam sunt assecuti, aut deferẽdis sontibus reis, aut defendendis insontibus. In deliberatiuo uerò genere, iam apud principes & rerum dominos nullus est ei locus: quoniam paucis expediri uerbis sententiam uolũt, & nudas afferri in consilium rationes: in populis qui uel sine arte copiose dicere possunt, clari habentur. Demonstratiuum restat genus, quod ut nusquam est usu sublatum, ita uix usquam ratione inuenitur. Nam in faciendis orationibus, his artibus utũtur ferè omnes, quæ contra artem bene dicendi

Grãmatica. Dialecti ca. Rhetorica.

sunt. Quæ cum ita sint, elaborandum est tamen, si quẽ uolumus esse bene institutum, ut in omni genere causarum ornatè copioseq; poßit ex arte dicere. Proxima

Poesis. *est huic Poëtica, cuius studium etsi conferre plurimum & ad uitam et ad orationem potest, ad delectationem*

Musica. *tamen magis uidetur accommodata. Ars uerò Musicæ (nam & ea audientem delectat) magno quondam apud Græcos honore habebatur: nec putabatur quisquã liberaliter eruditus, nisi cantu & fidibus sciret, Quãobrem*

Socrates *Socrates ut ipse senex didicit, ita ingenuos adolescentes erudiri in his iußit: non quidem ad lasciuiæ incitamentum, sed ad motus animæ sub regula rationeq; moderandos. Vt enim non omnis uox, sed tantũ quæ bene consonat, ad soni melodiam facit: ita & motus animæ non omnes, sed qui rationi conueniunt, ad rectæ uitæ harmoniam pertinent. Verùm cum ad remißionem animi, sedandasq; paßiones plurimum ualeat modulationis usus, tum uerò eius disciplinæ cognitio digna est ingenio liberali, secundũ quam rationem speculamur sonorum uarias naturas ac potestates, ex quibus inuicem proportionibus consonantias dissonantiasq; causari contingat. Quemadmodum & de nu-*

Arithmetica. *meris ratio, quæ Arithmetica dicta est: & de magni-*

Geometria. *tudinibus, quæ Geometria est appellata in quibus secundum uarias uelationes parium uel imparium, & item linearum, superficierum, aut corporum, uariæ*

species

species numerorum magnitudinumq; constituuntur, multaq; his inesse propria demonstrantur: quæ cognitio iucundissima est, & præcipuam in se certitudinem continet. Sed & illa quoq; pulcherrima est, quæ de siderum motibus, magnitudinibus, ac distantijs pertractat. Euocat enim nos ab his tenebris & crasso aëre, & in superiorem illam lucidissimam domum tot luminaribus distinctam oculos atq; animum inducit. In quam aspicientem, iucundum est & fixarum stellarum imagines discernere, & erraticas suis locis nominibusq; denotatas, earumq; coniunctiones, & item solis lunæq; defectus, longè antè præuidere atq; prædicere. Maximè uerò scientia de natura, quæ intellectui humano consona atq; conformis est: per quam naturalium rerum animatarum inanimatarumue principia paßionesq;, & eorum quæ cœlo & mundo continentur, motuum ac transmutationum causas effectusq; cognoscimus: ac multorum quidem possumus causas reddere, quæ uulgo miranda uideri soleant. Quæ cum omnia iucundum est intelligere, tum maximè negociari circa eas quæ in aëre & circa terram fiunt impreßiones, iucundißimum est. Aequè uerò & quæ his annexæ sunt cognitiones, pulcherrimas inquisitiones habent: ut est Perspectiua, & de põderibus tradita ratio. Et quoniam quidem dicendo hactenus prouectus, reliquas quoq; disciplinarum attingam. Medicina igitur est

Astrologia.

Physica

Perspectiua.

Medicina.

cognitu pulcherrima, & ad salutem corporum commodißima, uerùm exercitium habet minimè liberale.

Iurisprudentia. *Legum peritia publicè priuatimq; utilis est, & magno ubiq; honore habetur: & ipsa quidem à morali philosophia deriuata est, quemadmodum ab naturali, medicina. Quam ut honestum est aut audientibus interpretari, aut in iure disceptantibus de iure consultũ aperire: ita est indecorum, characteres, causas, precio, conuentioneq; operas uendicare.*

Theologia. *Scientia uerò diuina, est de causis altißimis, & rebus quæ sunt semotæ à nostris sensibus, quas intelligentia attingimus. Principales itaq; disciplinas ferè connumerauimus omnes, non quò unicuiq; omnes necessariò apprehẽdendæ sint, ut doctus tandem aut sit aut habeatur: nam & singulæ totum sibi hominem uendicare possunt, & utrunq; est uirtutis opus, ut modestas opes, ita & mediocrem posse pati doctrinam: sed ut ad quam quisque aptißimus erit, eam potißimùm amplectatur. Quanquam ita sunt coniunctæ doctrinæ omnes, ut nulla quæuis, ignoratis prorsus alijs, egregiè percipi ualeat.*

Ingeniorum uarietas. *Sed ingeniorum diuersa sunt genera: quædam enim facilè inueniunt in unaquaq; re argumentum & modum, quo suum propositum inferant: quædam uerò tarda sunt ad inueniendum, uerùm solida ad dijudicandum. Et priores quidem illi, quibus ita est ingenium, ad opponendum aptiores sunt: posteriores uerò ad respondendum.*

dendum. Item illi ad poëticam faciunt, & ad rationales scientias: hi uerò ad reales. Sunt autem & alij ingenio quidem ueloci, lingua uerò sermoneq; tardiore: & hi ad compositum sermonem rationemq; rhetoricam ualere uidētur. In utraq; uerò imprompti, ad dialecticas disputationes præclarè faciunt. Quibus autem sermo uelocior est quam ingeniũ, id est, lingua quidem sunt prompta, ingenio uerò tardo: ad neutrum genus ualent orationis. Amplius in quibusdam memoriæ uis multa uiget: & hi ad cognitionem historiarum multũ ualent, & cōprehēdenda legũ ampla uolumina. In quo scire nos oportet, memoriam præter ingenium ualere non multum: ingeniũ uerò sine memoria, propè nihil, quantum quidem ad disciplinas attineat: ad agibilia uerò contrà, propterea quòd mandari scriptis, uice memoriæ, acta res agendaq; poßit. De doctrinis autem non uidemur id scire, quod non memoriter scimus, aut non facilè reminisci poßimus. Sunt præterea quibus est uis animæ ab sensibilibus & materialibus rebus abstracta, & separatis atq; uniuersalibus apprehendendis aptior: alij contrà circa particularia discurrere & negociari sunt proniores: & hi quidem ad prudentiam & ad naturalem scientiam, illi uerò ad mathematicas faciunt, & ad diuinam quæ Metaphysica dicitur. Præter hæc autem, cum duplex sit intellectus, speculatiuus & practicus, ut quisque secundum

alterum

alterum potior erit, ita conuenientia illi studia sequi debebit. Sunt insuper limitata, & quemadmodum in iure dicunt, glebæ ascripta quædam ingenia, quæ cum cæteris imbecillia sint, in uno tamen aut altero ualent eximiè. Ea autem sola sunt illis permittenda, in quibus solis plurimum posse iudicantur. Verùm Aristoteles quidem uoluit liberalibus scientijs non nimis indulgẽdum, nec immorandum esse: ad perfectionem quidem, ciuilem hominum uitam negociosamq; respectans. Nam qui totus speculationi & literarũ illecebris deditus est, is est forsitan sibijpsi carus, at parũ certè utilis urbi aut princeps est, aut priuatus. Ac de doctrinis quidem & ingenijs, ac utrorumq; generibus ita uidetur definiendum: in quibus est id ante omnia animaduertendum, quod non modo maiora illa præcepta quæ prouectioribus traduntur, sed & prima quoq; artium elementa ab optimis præceptoribus accipere conuenit: & ex autoribus librorum, non quibuslibet paßim immorari, sed optimis. Qua ratione & Philippus rex Macedonum, primas literas ab Aristotele discere Alexandrum uoluit: & ueteres Romani suos liberos scholæ mancipantes, in Virgilio primùm erudiri curabãt, optima utriq; ratione. Nam quod teneris mentibus insitum est, altè radices mittit, nec facilè postea ulla ui diuelli potest. Ergo si melioribus in initio assueuerint, illos habebunt præcipuos, & ueluti ducibus semper utentur.

Aristotelis consilium.

Elementa artiũ a quib. haurienda.

Philippus rex Macedonum.

tentur. Sin uerò errores ullos imbiberint, his duplici tempore opus erit: primùm ut errores excutiant, ac deinde ut uera præcepta condiscant. Quamobrem Timotheus musicus suo tempore illustris, qui ob multiplicatas in cithara cordas, & nouorum modorum ad inuentionem, Sparta iussus est exulare: ab discipulis quidem qui nihil apud alios profecissent, certam paciscebatur mercedem: ab his uerò qui ex alijs quippiam edidicerant, duplam exigebat. In discendo autem solet esse plerisq; impedimento id, quod magno adiumento esse debuerat, multa uidelicet cupiditas discendi: qua tot, ut dum omnia pariter complecti uolunt, nihil tenere ualeant. Vt enim superfluus cibus nō nutrit, sed stomachum quidem fastidio afficit, reliquum uero corpus aggrauat atq; infirmat: Ita multa rerum copia simul ingesta memoriæ, et facilè in præsenti elabitur, & in futurum imbecilliorem uim eius reddit. Semper igitur multa legant disciplinæ studiosi, sed pauca quotidie deligant, quæ decoquere eorum memoria poßit: sicq; tria eius aut quatuor, pluraúe, ut cuiusq; uis erit aut ocium, pro eius diei præcipuo lucro seorsum reponant. Alia uero legendo id consequentur, ut quæ iam didicerunt, meditatione saluent: quæ uero nondum, quotidie magis familiaria sibi legendo faciant. Huic autem nimiæ sciendi discendiq; cupiditati coniuncta solet esse inordinata quædam curiositas inue=

Timotheus musicus

Discentib. quid officiat.

Pauca deligenda e lectione.

inuestigandi. Cum enim multa de singulis asciscere studẽt, uarijs uno tempore disciplinis incumbunt, & nunc illac, nunc hac referuntur: aut nunc quidem unam uiribus totis amplectuntur, inde uerò ad modicum, illa reiecta, aliam atq; aliam. Quæ res nõ modò prorsus inutilis est, sed uehementer etiam damnosa. Nam ut in re est, & prouerbio dicitur. Acescunt uina quæ sæpius transuasantur. Itaq; immorari uni rei decet, & eam omni studio prosequi, disciplinasq; eo ordine capere ac tẽtare, quo sunt à suis autoribus traditæ: Nam qui libros inordinatè legunt, nunc à fine facientes initium, nunc media interlegentes, & quod primum esse debuerat, postremum accipiunt: hi autem temerè nihil aliud legendo proficiunt, quàm ut omnia neglexisse uideantur. De libris autem qui sunt eiusdem disciplinæ, ita quidem per multos uersari conuenit, ut meliores semper præcipuos habeamus. Nec uerò par omnibus labor suscipiendus est, sed unicuiq; pro modo rationeq; ingenij sui. Est enim (ut sic dixerim) inquibusdam ingenij quidem acies plumbea, in quibusdam uerò ferrea. Quibus est plumbea, siquidem & obtusa est, parum ad disciplinas ualent: quibus uerò est ingenij acies acuta quidem, sed mollis, & quæ facilè retundi poßit, hi inter studendum crebris interpellationibus indigent: qui nisi primo impetu penetrent quò uolunt, quanto dehinc magis intenderint, magis hebescunt.

Inordinata lectio.

Plũbea ingenia.

hebescunt. Qui uerò ferreum sortiti sunt ingenium, siquidem & acutum, his nihil imperuium est, nisi cò perrumpere uelint, ubi frangi omnia necesse est. Sin uerò obtusum, aßiduo tamen studio difficultates omnes euincunt. Itaq; si quid non intellexerint, nõ protinus respuant, quod superborum est: aut quod pusillis euenit animis, desperent: magis autem in intentione perseuerent. Sed & illud quoq; per plurimum uerum est, acutiores ingenio, minus ualere memoria: & qui celeriter capiunt, retinent minus. Ad saluandam igitur confirmandamq́; memoriam, maximè aßinis est illa Catonis ratio, qua uti se dicebat, ut quicquid die egerat, uiderat, legerat, uesperi commemoraret, tanquam diurni à se negocij rationem exigens, non modò qui negocij, sed & ocij quoque uolebat reddendam esse rationem. Ita igitur & nos omnia quidem, si possumus, reminisci curabimus: si minus, ea saltem quæ præcipua nobis delegimus, tenacius complectemur. Proderit autem & de communibus studijs unà cum sodalibus crebrò conferre: acuit enim ingenium disputatio, linguam erudit, memoriamq́; confirmat: ac non modò multa disputando discimus, sed & quæ sic discimus, melius scimus, aptius eloquimur, & firmius recordamur. Sed & alios quoque docendo quæ didicimus, non parum & ipsi iuuabimur. Optimum nanque proficiendi genus est, docere

Ferrea ingenia.

Memoriæ confirmãdæ ratio.

Disputationis utilitas.

Docere.

cere

cere quæ didiceris. Verùm euenit omnibus ferè discentibus, ut si quid ab initio bene profecerint, protinus magna sese de disciplinis consecutos arbitrentur, & iam quidem ut docti disputent, sententiasq; suas obnixè tueri uelint: quod eis plurimùm officit. Primus etenim ad disciplinas gradus est, posse dubitare: nec est quicquam discentibus tam inimicũ, quàm ut nimis de propria eruditione præsumant, aut de ingenio sibi cõfidant: quorũ alterum discendi curam tollit, alterum minuit: sic enim ipsi se fallunt, in qua re minimè necesse est: Neminem autem facilius est fallere, quàm seipsum: neminem damno maiore decipimus. Fit aũt id ideo, quoniam nondũ diuerticula, & anfractus, ac præcipitia quæ in scientijs latitant, perpendere inexpertis licuit. Quibus euenit, ut aut de libris pleraq; male corrigant, quæ bene per se nequeunt intelligere: aut imperitiam scriptorum negligentiamúe culpantes, multa sponte prætereant non intellecta. uerùm eas opiniones studium & perseuerantia excutiet. Fient autem commodè omnia, si ritè tempora dispensabuntur, si singulis diebus statutas horas literis dabimus, neq; ullo negocio abstrahemur, quo minus aliquid quotidie legamus. Nam si Alexander in castris lectitare plurimũ solebat, si Cæsar etiam cũ exercitu proficiscens libros scribebat, Augustus Mutinensi bello, rem tantam adortus, semper in castris legere aut scribere, quotidieq;

Dubitare. Alexander. Cęsar. August.

decla-

declamitare cõsueuerat: quid poterit urbano ocio interuenire, quod nos diu prorsus à literarum studijs auocet? Vtile autem est ut uel cuiuslibet minimi temporis iacturam pro magna deputemus, & ita temporis, quemadmodũ & uitæ ac salutis rationem habeamus, ut nihil inutiliter nobis depereat: ueluti si inertes horas, et quæ apud cæteros ociosæ sunt, aut studijs leuioribus dabimus, aut lectione iucũda transigemus. Bonæ etenim rationis est, ea quoq; bona colligere, quæ solent negligere cæteri: ut si quis super cœnã legat, & somnum quidem inter libros expectet, aut certè per libros fugiat. quanquam Physici obesse ea uisui luminibusq; cõtendunt: quod & uerum est, si modò præter modum, id est, aut intentione nimia, aut super multam saturitatem id fiat. Sed & illud quoq; proderit nonnihil, si intra bibliothecas nostras coràm atq; in oculis instrumenta hæc constituamus, quibus horas ac tempora metiri solent, ut quasi tempus ipsum fluere labiq; uideamus. Et si eis ipsis locis ad nihil aliud, quã ad quod instituta sunt, utemur, nullam ibi aut occupationem, aut cogitationem externam admittentes. Hæc autem quæ dicta sunt, maiore cura & studio prosequantur ij, quibus est ingeniũ ad disciplinas aptius, quàm corpus ad bella: quibus uerò et ingenium uiget, & corpus est ualidum, eos oportet utriusq; curam habere: & animum quidem ita formare, ut uerè poßit discernere, & ra-

Legere super cœnã.

tione uelit imperare: corpus uerò & fortiter ferre, & facilè parère poßit: ac deniq; ita nos totos comparare, ut semper parati simus, non ad inferendam uim, sed ad arcendam iniuriam: aut si uim quoque adhibere permittitur, non prædæ cupiditatisue gratia, sed pro imperio gloriaq; decertare. Maximè uerò principibus conuenit in militari disciplina instructos esse: nam eos quidem oportet & pacis & belli artibus abundare, & posse exercitus deducere, & ipsos corpore suo, cum opus fuerit, depugnare. Quod ita esse debere, Alexāder qui Magnus est cognominatus, ut facto semper, ita uerbis sæpe significabat. Nam quoties de Homeri uersibus, cuius studiosißimus erat, inter amicos (ut fit) contentio incidisset, quisnam esset ex omnibus elegantior, illum semper unum eximiè præferebat, qui est de Agamemnone scriptus: quasi eundem deceat qui bonus est rex, fortem esse etiam pugnatorem. Exercendum est igitur ab ipsa infantia corpus ad militiam, & animus ad patientiam formandus: ac ueluti equos solent, manu deducendus est in stadium, ut per puluerem ac sudorem ferre facilè solem laboremq; assuescat. Nam ut in arboribus tenues quidem ramusculos persæpe uidemus magnam pomorum uim de se natam à primis floribus ad iustam magnitudinem perferre, eoq; onere etsi planè quidē flecti, minimè tamē frangi: quod nisi sensim excreuisset, ualidiores quoq; ramos

Militiā principibus conuenire.

Alexandri iudicium de Homeri uersibus

Corpus exercendum.

appensum

appensum euerteret: Ita & homines nisi à pueris primò, ac deinde per omnes ætates patientiæ laborum & animo & corpore assuescant, si qua postea difficultas rerum immineat, franguntur protinus, neq; ferre uim aduersam ualent. Quod ipsum & magnorum legislatorum, quos uetustas celebrat, Minois ac Lycurgi autoritas monet. Cretensium quidem ac Lacedæmoniorũ leges laboribus erudiebant iuuentutem, non modò ad patientiam corporis, sed continentiam animi: quos foris educãdos exerceri in uenationibus, ac per hæc currere, saltare, esurire, sitire, algere, æstuareq; iubebant, ut sic exercitatis uti facilè ad militiam possent. Nam deliciæ quidem animos hominum corporaq; dissoluũt, labor uerò confirmat & indurat. Itaq; non nisi indurati laboribus, durare in laboribus possunt: qui autem ita consuescent, & animo & corpore utentur facilè, cum opus erit, ad pericula & difficultates omnes subeundas. Quo in genere neq; ex ueteribus, neq; ex nostris ullum exemplum illustrius proponere tibi ualeo, quàm parentum tuum. Libenter enim, ut ipse uides, maiorum tuorum imagines tibi propono, eosq; crebrò studeo ad memoriam tuam reuocare: quoniam & est in illis quod magnificè sequi ualeas, & domesticis exẽplis solẽt homines magis excitari. Nã ut gloriosum est suos beneficiẽdo uincere, ita turpe iudicari solet, ab his quorũ uirtutem honori nobis ducimus, uita moribusq;

Cretensium ac Lacedemoniorũ leges.

degenerare. Sed ad parentem tuũ redeo, cui cũ innumeræ tribui laudes poßint, ipse tamẽ de se nulla re magis quã laborum patientia gloriari solet. Est enim (id quod uidemus) ita ad labores impiger, & in periculis audax, ut nec molẽ corporis ferre se ullã, aut esse mortalem genitũ arbitrari uideatur. Ex cõtemptu nanq; laborum, mortis quoque innascitur cõtemptus, et crescit audacia: qua ita ille intrepidus quæq; difficilia aggreditur, ut nihil metuere credendus sit, præter id forsan unũ, ne seni mori sibi contingat. Quod ratione optima sentire mihi uidetur. Spectanda est enim semper uirtus, & ad facta præclara intendendus est animus: de uita non magnopere curandũ. Quisquis enim mũdanas res existimatione debita pensabit, facilè cognoscet & fructus diu uiuendi minores esse, quàm ut lõga uita expeti magnopere debeat: & casus maiores, quã ut uel breuis sperari poßit. Decet igitur & honestè in pace uiuentem, & in bello fortiter facientem, cætera quidem æquanimiter ferre: mortem uerò, quandocũq; adueniat, placidè admittere: plerunq; etiam, cum occasio aut neceßitas postulat, illi occurrere. Non enim timeri id oportet, ne parum fortè uixerimus: sed ne idipsum quod uixerimus, parũ uixisse uideamur. Habet nãq; omnis ætas, ut edere magnificum aliquid possit. Scipio qui postea primus Africanus est appellatus, uix dum puber sub patre pro patria aduersus Pœnos militans,

Mortis contemptus.

Scipionis uirtus.

militans, cum Annibal Romanos ad Ticinum fudisset: patrem ipsum consulem belliq; ducem, affectum graui uulnere. & ab hostibus circumuentū, periculo exemit: sicq; ex qua pugna uix ueteranis fugere contigit, Scipio id ætatis, consulem, ducem, ciuem, & patrem non minus piè quàm fortiter faciendo seruauit, cumulatamq; & publico & priuato merito laudem retulit. Aemilius quoq; Lepidus, puer productus in pugnam, eodem cōgressu & hostem occidit, & ciuem seruauit. Aemilius Lepidus. In cuius memoriā rei statua illi prætextata ex senatusconsulto in Capitolio posita est, ut & cæteri exemplo accenderentur, & autori tam præclari in ea ætate operis, suus honos haberetur. Sed & tu quoq;, nisi tuas tibi laudes inuiderimus, utroq; illorum minor ut eras natu, apud Brixiam nuper cum esses in exercitu Germanorum, progredi ausus es in hostes armatus, quantū cæterorū nemo militū offerre se sustinuit. Quo quidem facto nescio quibus magis, an hostibus admirationi, an uerò amicis rubori fueris. Ita igitur à primis annis instituendi sunt pueri, ut & audere magna possint, & difficilia tolerare. Quid enim est illud de Lacedæmoniorū pueris? Lacedæmoniorum pueri. Nam hi quidem de cura educationis eorū plurimum apud ueteres commendantur. Quos spiritus gignere mos ille debuit, quibus consuetum erat in concertatione æqualium patientiam tantam præstare, ut ui deiecti aut casum inter luctandū collapsi, necari se

 potius

potius exanimariq; paterentur, quàm uictos fateri se uellent? Quid enim mirum? Nam & ad aram sic uerberibus accipi solebant, ut multus semper è corpore sanguis flueret, plerunq; etiam spiritum exhalarent: nemo tamen aut exclamauit unquam, aut uix minimū doloris signum edidit. Ita domi formata iuuentus, ea demum militiæ opera gerebat, quibus uetusta omnis memoria plena est. Nam quid audire eos aut à duce, aut à patribus par erat, cum in hostes progressuri per blanditias monerentur à matribus, ut aut uiui arma referrent, aut mortui in armis referrētur? quoniā tradere arma hosti, aut ea abijcere fugientes, peius morte iudicabant. Igitur illi, ut partes corporis, & curabant ea, & tuebantur. Nec mirū, si se uiui in armis crebrò spectādos exhibebant, qui etiā mortuis fore ea sibi decori relata existimarent. Præstat aūt consuetudo usúsq; deferrēdi, ut armis æquè ac membris aut uestibus utantur, nec uideatur ex eis corpori onus adiectū. Nam nisi ita fuissent Romanæ legiones longa aßiduáq; exercitatione instituta (ab exercendo nāq; exercitus dictus est) quo nam pacto potuissent pedibus in agmē procedere, ac plerumq; citatum: arma primùm deferre, uallum insuper, et cuius rei ad quotidianum egerent usum, ac super hæc unà sæpe quindecim aut eo amplius dierū cibos, onus iumento difficile? Qui ergo erunt aut armorum aut literarum studijs dandi (quandoquidem hæ

Romanæ legiones. Exercitus unde dictus.

sunt

ſunt liberaliſsimæ artium, maximeq́; principales, propterea quòd & maximè principes deceant) ſimul ac membris uti per ætatem licebit, armis aſſueſcere debebunt: diſcendisq́; literis primis tradendi erunt, cum primùm poterunt uerba formare. Iamq́; abunde rerum illarum ac ſtudiorum quæ ſunt per uitam acturi, debēt quædam quaſi libamenta guſtare, talibusq́; exerceri rudimentis. Sed & hæc utraq; ipſa facilè exequi inuicem poterunt, ut certas horas ad exercitium corporis habeant, & item certas literario ludo deputent. Ac nō modò quidem pueros, ſed & uiros decet hoc facere: quod & Theodoſium principem facere ſolitum perhibent, ut die quidem aut exerceretur in armis, aut de ſubditorū negocijs iure dicendo decerneret: nocte uerò libris incūberet ad lucernam. Ac de literarum quidem ſtudijs ſuprà ſatis quod uiſum eſt diximus: reliqua perſequamur. Ea igitur exercitia ſuſcipienda erunt, quæ bonā ualetudinem ſaluent, & robuſtiora membra reddant: in quo erit uniuſcuiuſq; naturalis diſpoſitio diligenter attendenda. Nam qui ſunt habitudine corporis molli atq; humida, fortioribus exercitijs ſiccandi indurandiq; erūt: cæteri leuius, & quibus ſanguis facilis eſt inflammari, eos ardente ſole quieſcere conuenit. Sed & ætatis quoq; habenda erit ratio, ut uſq; in tempus pubertatis leuioribus oneribus ſubijciantur, ne uel ætatis neruus frangatur, aut impediatur corporis

Artes principales.

Theodoſij mos.

Exercitia qualia ſuſcipienda.

augmentum. Post pubertatem uerò grauioribus laboribus edomandi erunt & impuberes quidem magis ad intellectũ decet erudire, hos uerò ad mores. Item illos ad disciplinã curare, hos uerò magis ad robur & ualetudinem corporis, Quantum aũt sit momentũ in exercendis iuuenibus & quae cura adhibẽda, exemplo sit

Marius. *Marius, qui (ut autor est Plutarchus) etiam senex, & multa corporis mole grauis, uir tanta belli gloria, per pacem tamen, ut filiũ militaribus officijs atq; actibus institueret, quotidie cum adolescentibus ueniebat in campum, & exercitabatur unà. Per haec nãq; adumbrata certamina, ad ueras pugnas audaciores doctioresq; perueniunt. Nam nisi esset utilis haec pugnandi disciplina, quae per pacẽ atq; in ocio quaeritur, frustra*

P.Rutilius. *nec non temerè, P. Rutilius cõsul armorum tractandorum disciplinam primus accipere milites uoluisset, qui doctoribus gladiatorum urbe accitis, meditationem hanc uitandi atq; inferendi ictus, penetrare in castra iußit: ut miles non solùm uiribus & audacia, quibus antea solis utebatur, sed etiam arte industriaq; ualeret.*

Militaris exercitatio. *Docendi sunt igitur iuuenes, qui in hunc usum pertinent, ut posse hostem gladio quidem dextra ferire, sinistra uerò breui umbone se tegere: ensem uerò, fustem, lanceamq; utrisq; manibus tractare: & nunc quidem se effundere, nunc uerò denuo sub clipeum cogere, pũctim caesimq; sine difficultate ferire. Exerceri quoq;*

decet

decet in cursu saltuq;, lucta ac pugilari certamine, iaculari quàm longißimè, rectè sagittare, uibrare sudes, saxa rotare, equos domare, eosq; nunc ad cursum aut saltum adactis urgere calcaribus, nunc item flexis habenis medio cursu præuertere, & ita in utrūq; se parare, ut eques & pedes pugnare quisq; facilè poßit. Equitum quoq; occursus, dum sese telis infestis petunt, & audaciores facere solet, & ad pugnam doctiores, cum & cuspidem suam ubi intenderint, locare didicerint, & contra se uenientem aciem immotis luminibus perferre. Armorum uerò species, quemadmodū & uestimentorum, quotidie uariat, & usus. Eam autem mutationem ita sectari oportebit, ut experiamur singula, meliora uerò semper teneamus. Similiter autē & pugnandi consuetudines uariari solent. Nam olim quidē temporibus priscorum heroum, curribus duces depugnare consueuerunt. Postea uerò, apud Romanos maximè, pauci equites, aut certè nō multi. Vis autem exercitus pene tota in peditibus erat. Nunc nemo curribus, omnes ferè in equis bellantur. Quod autem in usu est, si modò præstat, seruare conuenit, & campestres exercitationes aßiduè id meditari, ac denique oportet ad singula certaminum genera præexercitatos uenire. Nam aliter in tumultuaria pugna agendum est, aliter cùm tota decernitur acie, aliter quando concurrūt manipuli, aliter cum duello confligitur. Nā pleriq; in acie

Pungnā di mos olim uarius.

T 5 for-

fortissimè uisi sunt dimicare, qui cum essent ad singulare certamen prouocati, animo uiribusq; torpuerunt. Quanquam disciplinæ hoc genus quod per ocium quæritur, longè impar est ei quod inter bellorum tumultus per indigentiam rerum omnium uerosq; terrores discitur. Itaq; monet Flaccus:

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamq; sub diuo & trepidis agat
In rebus:

Sic enim ad illa maiora peruenietur, quæ futuros bellorum duces, & usu & ratione cõsequi oportet. ut quibus artibus ducendus sit exercitus, quibus locis castra statuenda, quo ordine locãdæ acies, qua quis ratione præuenire hostium consilia possit, ac more belli insidias illis ponere, & ab ijs positas cauere, hostilis exercitus milites distrahere, suos autem metu beneuolentiaq; continere, nec militarem unquam remittere disciplinam. Vt enim uirtus militum ducibus laudem parere solet, ita & illorum peccatum culpæ plerunq; adscribitur ducibus. Non æquè uerò ex benefactis gloria, atq; ex peccatis ignominia nascitur. Ipse omnia quæcunq; tempus habet præ deliberata, exequi debet: nec aut in re noua aut subita tumultuari. Neq; enim stare militum

animi

animi possunt, cum ducis consilium labat. Milites uerò ipsos oportet natura quidem fortes existere, bellandiq; artibus instructos: animi multum habere, armorũ quod satis sit, alimentorum uerò non nisi quod necessitati suppetat. Quæ igitur sint ducis, quæ militis partes: quod equitis, quod'ue peditis sit officium, usus atq; experientia docebit: quæ profectò ex re ipsa latè referre quàm melius cognoscere liceat, quam aut uoce percipi, aut ullis tradi literis possint: tametsi extent de re militari libri à magnis uiris editi: qui non utiq; tibi erunt negligendi. Sed & machinarũ quoq; uim usumq; nosse ducem oportet: cuius rei solertissimũ esse tuũ parentẽ uides, quo nescio an quisquã maiore studio quæsierit, aut eius generis plura fortè pararit. Postremò ut ab his rebus non aliena, natandi quoque peritia adolescentibus adhibenda est: in qua & Augustus Cæsar nepotes suos (nam filios quidẽ nullos suscepit) ita erudiri studuit, ut & ipse plerunque per se doceret. Nam & à magnis periculis liberare homines solet, & ad nauales pugnas transmissionesq; fluminum, audaciores reddit. Et in hoc toto quidem genere rerũ quæ ad militaria pertinent exercitia, habes quos imitere germanos tuos maiores, Franciscum, & Iacobum, magnanimos uiros, & in armis latè cognitos, omnique prudentia et moderatione insignes: quos te decet semper, ut facis, omni fide ac pietate colere, & ita illos

Machinarũ uis & usus.

Natãdi peritia.

probè

probè imitari, ut minoribus & exemplo uirtutis, & præsidio ad casus esse ualeas. Optime quidem enim generis humani societas constabit, si sancta sint iura sanguinis, & erga superiores quidem reuerentia, ad inferiores uerò humanitas, cum paribus autem moderatio facilitasq; seruabitur. Verùm quoniam in opere non semper uersari possumus, sed oportet interdū laxamenti aliquid indulgeri, huic ipsi generi modum rationemq; nunc præscribamus. Primùm itaque præceptum est id, quod potißimum, ut ne quis turpis ludus aut noxius suscipiatur, nec nisi quantum aut acuat industriam, aut corporis uires exerceat. Nam quòd Scipio ac Lælius, & interdum Augur Scæuola, qui fuit Lælij gener, soliti sunt, dum animi remißioni uacarēt, in littoribus maris aut alueis fluminum calculos conchulasq; lectitare, fiebat in his prorsus neceßitate quadam: nam nō nisi functi magnis laboribus, aut cum essent ætate iā prouecta, ad hæc ipsa ueniebant. Sed laudabilior in hoc genere forsitan idem Scæuola, qui optimè pila dicitur lusisse, quòd scilicet forensibus negocijs & interpretandi ciuibus iuris labore fatigatus, ad hoc potißimùm ocium, recreandarum uiriū causa, confirmandorumq; laterum sese conferebat. Est eiusdem generis uenationis, aucupij, piscationumq; cura, quæ & delectatione plurima afficiunt animum, & uim membrorum motu laboreq; confirmant.

Scipio. Lælius. Scæuola

Venatio.

Leniter

Leniter austerum studio fallente laborem,

ut inquit Horatius. *Nam hæc nisi tanta uoluptate cōdirentur, quis est qui sponte subire tantum laborē uellet, aut perferre ulla ui posset? quanquā hoc ipsum* Lycurgi *legibus studium erat, non ocium adolescentum. Aut si hæc forsitan grauiora uidebuntur, quā ut de studio fessos leuare poßint, licebit aut prorsus quiescere ac leuiter adequitare, aut deambulare suauiter: licebit etiā iocis inuicem ac salibus uti modestis, qui* Lacedæmoniorū *per ociū mos erat. Quam autem ferat ea res utilitatem, in uita* Lycurgi *perscriptū est. Sed nec erit quidem indecens cantu fidibusq; laxare animum: qua de re superius est habita nobis mētio. Nam & Pythagoræorum mos hic erat, & fuit quondā priscis heroibus celebre, ut* Achillem Homerus *inducit à pugna redeuntem in hac re solitum adquiescere, non quidem amatorias cantiones, sed uirorum fortium laudes modulantē. Ita ergo per ocium poterimus aut ipsi facere, aut alijs facientibus indicare, & eos modos amplecti, qui conuenientiores temporibus nobisq; uidebuntur. Nam Siculi quidem modi ad remißionem animi magis faciunt & quietem, Gallici uerò cōtrà ad exercitationem & motum. Itali aūt inter hos medium tenent. Et itē quæ pulsu aut cantu fit melodia, decentior est: quæ uerò spiritu atq; ore, minus uidetur ingenuis cōuenire. Sed & ad sonos saltare, & muliebres ducere choreas,* Lacedæmoniorū sales. Fidibus canere. Pythagorei. Achilles Siculi modi. Gallici. Itali. Saltare ad sonos

indignæ

indignæ uerò uoluptates uideri poßint: tametsi sit in pijs rebus fructus aliquis, quoniã & corpus exercent, & multam membris dexteritatem adijciunt, si non lasciuos iuuenes redderent, eorumq; mores bonos nimia uanitate corrumperent. Non ita tabulæ ludus, quoniã pugnæ speciẽ præfert hostilisq; certaminis: quem Palamedes Troiano bello, ut uetustißimi autores tradũt, adinuenit, ut uel hoc negocio milites occupatos teneret, ociosumq; auerteret à seditionibus exercitũ. Aleæ uerò lusus aut cupiditatem habet minimè liberalẽ, aut indecentem uiro molliciẽ. Nã qui lucri causa id agunt, maioris quæstus negotia commodius agerent: qui uerò uoluptatẽ inde uenantur, tardiusculi sunt, quòd aliud nihil possunt inuenire, in quo honestius delectentur. In his igitur ludis delectari cõuenit, qui artis aliquid aut certè plurimum, casus uerò quàm minimum habeant: nisi forsitan ea non putet quis arte uacare, de quibus rebus fuit ratio literis tradita: aut maiestate motus autoris, non putet indecorũ facere, de quo is decorum sibi scribere existimasset. Nam Claudius Cæsar de aleæ ludo librum edidit: quo studio delectari solent qui sunt in hoc unum diligentes, ut omnem substantiam negligãt, aut certè ut uniuersum uitæ tempus amittant. His autem quibus literarum studia uoluptati sunt, uarietas lectionis solatium afferet, nouáq; lectio ueteris fastidiũ tollet. Interdum tamen etiam opus est prorsus, ut uidetur,

Tabulę ludus.

Aleæ lusus.

Claud. Cęsar.

*detur, nihil agere, omninoq; opere uacare, ut sufficere demum operi laboriq; poßimus. Nam qui semper intentißimus est neruus, nisi remittatur aliquando, rumpi solet: tametsi nullum est tempus laboriosius sapienti, quàm quo nihil agit, si modo potest sapiens nihil agere. Quosdam autem accepimus in hunc modum tempus distribuere solitos, ut per diem ac noctem tertiam partem somno permiterent, tertiam refectionibus ac uacationi, reliquum liberalibus studijs darent: quorum ego nec damnare rationem satis audeo, neq; probare penitus possum. Id autem affirmare possum & audeo, eò minus elabi nobis ætatis, atq; hoc nos diutius uiuere, quò plus temporis bonis studijs mancipamus. Illud uerò de corporis cultu nunc postremum attingamus, ut sit decens, neq; nimium exquisitus, neq; prorsus neglectus, sed cum rei, loco, tēporiq;, tū maxime personæ cōueniat. Neq; enim sedere in literatoria schola coronatū, aut subducta ueste cōuenit, aut in certamen armorum fluxa toga, manu * prodire: nec uerò principis filiū æquè cū plæbeio, uili sordidaq; uti tunica, aut trita chlamyde se præbere spectandū. Nimia autem cultus uenustatisq; cura, muliebrem animū designat, & multæ uanitatis argumentum est. Indulgenda sunt tamen adolescentibus quædam, neq; omnia eorum peccata seuera sunt animaduersione punienda. Nisi enim ex parte aliqua iuuentutē expleuerint ætatis illius*

Cultus corporis

Epilog. *tis illius uitia, conferent in senectutem. Hæc ego ad te* VBERTINE *scripsi, ut sum in initio pollicitus, non tã ut cõmonefacerem quid fieri à te oporteret, quã ut te ipsum ostenderem tibi: qui si naturam sequeris, nihil monitore opus habes ad summã uirtutem obtinendã. Nisi enim à te ipso deficias, præclara de te omnia polliceri indoles tua uidetur. Laudes aũt si quas tribuere tibi sum uisus, ita à me uelim accipias, ut magis illas calcar ad benefaciendũ existimes, quã benefactorũ præmium esse. Adniti igitur summis uiribus te conuenit, ut eum te præstes uirum, qui his tam generosis adolescentiæ tuæ primordijs dignè respõdeat, ne aut tu naturæ muneribus malè usus, aut illa in te tam egregia indoles mẽtita uideatur: neúe ego (si quid mea causa tãgeris) aut falsus de te uates, aut uanus prædicator extiterim. Si probè itaq; gesseris, habebis quidẽ ab omnibus præsentem laudem: à me uerò etiam literis, si qua nobis eiusmodi facultas erit, posteritati cõmendabere. Si minus, unus ero qui audeã planè dicere, idq; palàm fateri, nihil tibi nisi te ipsum uideri defuisse.*

F I N I S.

THEANVS PYTHAGORICAE DE EDVCATIONE liberorum Epistola, è Græco Latinitate donata.

THEANO EVBVLAE S.



VDIO te delicatam & luxu: ipsam quandam ratione in educandis liberis tenere. Ad officium uerò matris pertinet, non ut ad uoluptatem suos liberos assuefaciat, sed ut ad temperantiam modestiamq; instituat. Vide igitur, ne non amantis, sed adulatricis partes agas. Nam educata simul cum pueris uoluptas, intemperantes & prodigos reddit. Quid enim adolescentibus suauius aut iucundius, consueta uoluptate? Quamobrem amica, prouidendum est summopere, ne educationem liberorũ in seductionem conuertas. Seductio uerò & peruersio naturæ est, cum ad uoluptatis amorem animi, corpora ad libidinem transferuntur: & hæc laborem fugiunt, illi molliciem amplectuntur. Sunt autem exercendi ad hæc dura & formidabilia liberi, ut cum dolor sit perpetiendus, aut subeundus labor, ne his affectib. quasi serui subijciantur, & in uoluptatibus libidinosi, & à laborib. abhorrentes: sed ut omnibus uirtutem & honestatem anteponant, atq; ab illis ab-

stineant, in his uerò permaneant: neq; in uicta gulosi et uoraces, neq; in uoluptatibus sumptuosi, & in nimijs lusibus prodigi sunt efficiendi: neq; quidlibet loquendi & omnis studij potestas eis est permittenda. Præterea relatum est mihi, te metuere, si fleant: & ad risum eos traducere conari, etiam si nutricem percutiant, aut te perperam ridere dicant: & in æstate refrigeratione, in hyeme æstu fouere, multisq́; delicijs, quarũ inopes & egeni pueri nullas experiuntur, & aluntur minore negotio: neq; uerò minus crescunt, sed habent se longè melius. Tu uerò quasi Sardanapali posteritatem liberos nutris, & masculorum uigorem uoluptatibus frangis. Quid enim faciendum sit illi puero, qui, si non confestim ut libitum est edat, in fletum ac gemitum erumpit: & si comedat, suaues tantum atq; blandientes cibos quærit: si sit æstus, tabe corripitur: si frigus, contremiscit. si quis obiurget, repugnat: si quis non ad uoluptatem omnia ministret, indignatur: si non mundet, in iram concitatur: uoluptati turpiter indulget, & undiquaq; molliter ac effeminatè se gerit. Sed ô amica, scias, qui in pueritia tam dissolutè uiuunt, eos, cum ad uirilem ætatem peruentum est, mancipia fieri solere. Itaq; da operam, ut eiusmodi uoluptates de medio remoueas: atque ita duram acerbamq́;, non teneram & delicatam educandi uiam institue: & concede ut

famem

famem sitimq; ferăt, praeterea calorem algoremq;: & erga aequales aut perfectos uerecundiam praestent. Sic enim ingenuitatem quandam in animi seu remißione seu contractione assequentur. Labores enim, ô amica, sunt quasi praeparationes quaedam pueris, ad uirtutis perfectionem: quibus imbuti, quantum satis est, uirtutis tincturam facilius deinde ferunt. Quamobrem, ô amica, diligẽtiam adhibe, ne quemadmodum uites quae malè aluntur, fructu destituuntur: sic etiam liberi prae luxu, iniuriae & uanitatis plurimae uitiositatem pariant.

Vale.

V 2

FRANCISCO DONATO VENETIARVM PRINcipi, *Iouita Rapicius S.*



VAM pulchrum ac prestabile Dei donum sit, Princeps bonus, ac Deo simillimus, principatus tuus FRANCISCE DONATE declarat. Nam, quum præclara tua ista Resp. adeò prudenter à maioribus sit constituta, ut nihil uel ad honestatem morum, uel ad uitæ commoda, uel ad tanti imperij dignitatē diutissimè conseruandam desideretur: plurimū tamen interest, qui princeps in ea sit: id quẽ & antea sæpe, & nunc maximè compertum est. Ac, ne uidear ex aliorum reprehensione laudes tuas aucupari, præteritorum temporum incommoda libenter præteribo. Neque enim ea est aut bonitas, aut uirtus tua, quæ ad augmentum sui ullam cum alijs collationem requirat. Satis per se magna est, satis illustris. Te Principe, pax cum omnibus regibus ac nationibus ita confirmata est, ut Remp. tuam non diu modò stare, sed etiam florere omnes desiderent, & amicitiam ac societatem uestrã certatim petant. Neq; uerò minus memorabile illud tuum beneficium est, quòd quanquam proximis annis, nunc hyberna serenitas, nunc uerna

uerna temperies, nunc æstiua flagrantia, agricolarum labores adeò destituerit, ut aut nulla, aut certè modica frugum copia extiterit: tuo tamen consilio factum sit, ut hæc tam ampla ac populosa ciuitas, nullam toto principatu tuo annonæ caritatem senserit. Hoc autem anno, non solum Apulia, Calabria, Lucania, ac Campania, & Roma ipsa, incredibili fame laborat: uerùm Sicilia illa, propter soli fœcunditatem, & frugum copiam, Cereris sedes quondã existimata, & à M. Catone uiro sapientissimo, reip. Romanæ cella pœnuaria & nutrix plebis appellata, seipsam nũc alere nullo pacto potest: & quæ in alias orbis terrarum regiones fertilitatis olim dona diuidebat, ea hodie suæ plebis alimenta conquirat. At nos, in tantis aliarum regionum incõmodis, tua uirtute securi, nihil tale uel sentimus, uel timemus. Quanquam enim omnia paulo quàm uellemus sunt cariora, passim tamẽ uenalia deprehendas: & tam copiosa, ut quanta alibi inopia & caritas, tanta hic copia ac uilitas esse uideatur. Atque hoc totum prudentiæ, & authoritatis, & in patriam beneuolentiæ tuæ munus est: qui quasi tutelaris quidam Deus, ab urbe tua & bella procul arceas, & famem repellas. quod etsi omnes, quum principatum ineunt, promittere consueuerunt: nemo tamen te uno aut melius, aut constantius præstitit. Iam uerò quale illud est, quod te hor

tante, pulcherrimum illud S.C. factũ est, quo is modus dotibus præscriberetur, ut neque fœminæ se parum honestè dotatas queri possint, neque exhaustis ut olim patrimonijs, liberi mares eò redigantur, ut ordinis sui dignitatem sustinere uix queant. Ac iam te auctore, ætas nostra ita instituitur, ut posteris bene uiuendi exemplum, & præclarum ciuilis modestiæ specimen relictura uideatur. Nam quid dicam, quòd cum publicum literatæ iuuentutis moderatorem ciuitas anxia quæreret, nec inueniret, te hortante, Ioannes Donatus, tum reip. amantissimus, tum eruditorum omniũ fautor insignis, auocatum ex intima Hetruria bene literatum hominem, honestissimo stipẽdio conducendum curauit. Neq; uerò hic stetit liberalitas tua: sed quum uideres urbem ita latè patere, ut difficile possent adolescẽtes è regionibus tam longo interuallo distãtibus, in unum auditorium facilè conuenire: atque inde fieret, ut maior pars nobilitatis incõmodo illo deterrita, uel domi sederet ociosa, uel ijs magistris uteretur, qui docere nõ possent, memorabile illud S.C. uiro opt. & reip. amãtissimò Marino Iustiniano referente, faciendum curasti: ut in singulis urbis regionibus, quos ex numerò Sexterios uocant, singuli bene literati, cum suo quisque hypodidascalo ita publicè conducerentur, ut uniuersa totius ciuitatis adolescentia, sine ullo incommodo habere

habere possit, unde bonis literis & honestis disciplinis fideliter imbuatur. quo nomine tibi, non nostra modò ætas, sed omnis posteritas debebit. Neque enim ijs modò qui nunc sunt, consuluisse contentus, curam tuam in futurum tempus extendis: ac, uentura etiam secula tuo beneficio liberaliter institutum iri desideras. Quæ tua in patriã pietas, ita te omnibus amabilem reddit, ut nemo sit, qui pro salute tua uota non faciat: & qua parte potest, gratiam tuam promereri nõ cupiat. Ego certè ad te colendũ adeò sum incensus, ut iamdudum quæram, quid dicare tibi non ingratum possim. Itaq;, quum proximè nactus essem librũ plenum bonæ frugis, quem de erudiendis publica cura liberis, IOVITA RAPICIVS, iampridem ad amicam sibi ciuitatem, magno & ingenio & arte conscripsit: sed, ut est ab omni ostentatione alienus, nunquam edidit: continere me nõ potui, quo minus eum mea cura impressum, tibi dicarem: ratus, non tibi modò, sed uniuersæ ciuitati, uel propter hoc ipsum fore non ingratũ, quòd ad instituẽdos in urbis Sextantibus ex S.C. ludos literarios, perquàm est accommodatus: atq; ijs apprimè utilis, qui liberos suos honestis disciplinis ad humanitatẽ informari desiderãt. In hoc enim libro exqſita quædã ratio ac uia atq; impensa ostẽditur, qua lõgè minori parentũ molestia,

maiori ac certiori docentiū quæſtu, leuiori ac breuiori diſcentium labore, ad bonā frugem poſsint ingenia perduci. Hanc uiam ſi ciuitas ſemel fuerit ingreſſa, nihil uereor quin ſemper teneat; & ex ipſo liberorum ſuorum profectu, tum utilitatem libri, tum prudentiam ſcriptoris agnoſcat. Tu uerò Princeps illuſtriſſime, quicquid eſt hoc munuſculi, quando màiora præſtare nondum poſſum, non inuitus admittes: & me, qui te ex animo ueneror & obſeruo, in tuorum numero habere non grauaberis.

IOVITAE RAPICII DE LIBERIS PVBLICE' AD HV manitatem informandis, Liber.



X ijs rerum principijs, quæ à Pythagora Samio posita sunt, M. Varro omnia ferè quadripartita esse, atq; ea æterna, collegit: quòd & tempus, quo quid agatur: & locum, ubi agatur; & eum qui agat, & rem ipsam qua de agitur, esse oportet. Itaq; in ijs libris quos de rerum uocabulis conscripsit, ab hac diuisione sibi discedēdum non putauit. Quem nos secuti, ea quæ ad literarium ludum instituendum pertinere arbitramur, in has ipsas quatuor partes ita distinximus, ut de loco, ac tempore, personisq́;, ac earum officijs, quæ ad hoc institutum uel necessaria sunt, uel utilia, qua potuimus diligentia tractaremus: ut ex ijs, quàm facile sit adolescentium studia in melius mutare, omnes intelligant.

DE LOCO.

AC de loco quidē possumus illud Comicum paucis immutatis dicere:

De uestris magnis atq; amœnis mœnibus,
Perparuam partem uestri poscunt liberi.
Vt qui non ciuibus modò, sed externis etiam, ac pe-

regrinis, tum ad commercia, tum ad ſpectacula & ludos publicos, tot fora, tot publicas areas, tot plateas patêre uoluiſtis: ſingula ſaltem in ſingulis urbis regionibus, ad honeſtarum artium ſtudia, liberis ueſtris loca aperiatis, atq; illa tamen neque magnifica neq; ſumptuoſa, ſed pro multitudine capacia: & in ea regionis parte, quæ aut omnibus, aut certè plurimis ſit aditu cōmoda. Saluber autē in primis ſit locus, atq; ad eam cœli partem conuerſus, quæ noxios uentorum afflatus nō excipiat, ſolemq; plurima diei parte admittat, ne tenera atque ocioſa corpora, loci uitio in morbos incidant. Multum etiam luminis habeat, tum ne cui uel legentium uel audientium impedimento ſit obſcuritas: tum ne aut diſcentibus, aut magiſtris moleſta ſit diuturnior in eodem loco mora. Diſtinguatur autem ſuis membris, ita ut omnia aptè fieri poßint: nec quicquam ſit, quod diſcentium intentionem poßit impedire. id quod plerunq; ſolet accidere, ubi numeroſa & confuſa multitudo in anguſtū coit, & alij aliorum uel proſpectui officiunt, uel auditui. Habeat ergo auditorium pro multitudine capax, ubi uel declamanti, uel prælegenti Grammatico ac Rhetori, honeſtus ac ſublimis ſuggeſtus extruatur: ut & magiſter, inde diſcipulorum intentionem ac motum obſeruet, & ipſe facilius poßit ab omnib. audiri. Nec procul ab auditorio ſit Bibliotheca

bliotheca cõmunis, quæ optimis quibusq; libris, uel ex collaticia stipe, uel ex legatis, si qua obuenerint, paulatim repleatur, ut & magistri & discipuli, si quid secretius erit fortasse requirendũ, bonorũ auctorum supellectilẽ paratam habeant. ita uerò custodiantur, ut auferri omnino non poßint, sed posteris diligenter seruati relinquantur. Sint aũt & pro discentiũ numero cellæ, quæ cũ suo singulæ hypodidascalo pueros duodenos, uel paulo plures facilè capiãt. Nec desit locus, quo ad secreta naturæ secedere liceat. Curandũ aũt, ut nonnihil aquæ uel importatæ, uel in cisternam collectæ locus habeat: neq; ibi desit, qui atramentum, chartas ac calamos uenales habeat: omnia deniq; , quæ uel necessaria ad scribendũ sint, uel quæ alia aliqua honesta causa auocare pueros ab officio poßint. Atq; hæc omnia in faciẽ monasterij, parietũ ambitu ita cõcludãtur, ut unus tantũ exitus patẽre poßit. Ianua uerò ipsa præscriptis horis ita aperiatur & claudatur, ut neque ab ortu solis, quò eße eundũ ad magistros Plato ostẽdit: neq; post prandiũ, ultra sesquihorã, dũ discipuli expectãtur, aperta sit. per reliquã diẽ, nisi cũ omnes dimittũtur, nemini exire liceat: si qui tamen ingredi uoluerint, admittantur, sed cũ aliqua negligentiæ ac desidiæ nota: quæ ne impunita trãseat, nõ desit qui singulos eo modo notet, quo in tẽplis canonici notãtur, quum ab aliqua diuinorum

officiorum

officiorũ parte abfuerint. Pœna autẽ, aut mulcta, parentum arbitrio relinquatur. Adeò maturè autem dimittantur, ut ualetudinis ratio non neglecta fuiße intelligatur.

DE PERSONIS:

Ac primùm de moribus Magistrorum.

ET quoniam de loco satis uidemur dixisse, superest ut de personis dicamus. Primùm ergo, ne quid tradatur quod postea dediscendum sit: is præceptor eligatur, qui & doctrina, & honestæ uitæ exemplo, discentibus prosit. & quia prior est ratio morum, quàm eruditionis aut eloquentiæ: in eo exigitur, ne iracundus sit, ne'ue imprudens, sed bonitate præcipua, ac prudenti maturitate laudabilis, mansuetusq; ac patiens: ut imprudentiam atque arrogãtiam adolescentum, si expedire illis iudicauerit, æquo animo ferre poßit. Verùm mansuetudini etiam seueritas admisceatur, ut proteruientes interim coerceat: neq; id tam sæpe uerberibus, quàm uerbis. Quod facilè consequetur, si plurimus ei de honesto ac bono sermo sit. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. & præstat cauere, ne peccetur: quàm, ubi peccatum fuerit, punire. In docendo aßiduus potius sit, quàm immodicus. consulentibus libenter respondeat: non interrogantes, ipse ultrò percunctetur. In laudandis discipulorum dictionibus, nec malignus sit,

nec effusus: dissidentium autem controuersias, iudicij seueritate dissoluat. Habeat & lōgam docendi experientiam. neue negligēs, neue arrogans sit. nam neq; inexpertus rectè docuerit: neq; negligētia illuc admittenda, ubi raros etiam assidua diligentia fructus solet afferre. Arrogantia uerò nihil penè inuenias in eo genere hominum perniciosius: quippe quæ & pauperes adolescentes deterret, dum se contemni existimant: & diuitibus molesta est, qui eam in magistro oderūt. Huc accedit, quòd arrogās parum fideliter docet: ut qui persæpe non solum credat, sed & iactet, ea se scire quæ nesciat: atq; (ut Horatius ait) Nescire, pudēs prauè, quàm discere malit. itaq; imperitiam suam miseris adolescentib. subinde inculcat: & ne parum multa scire uideatur, quæ nescit docet: tum quod semel quamlibet imperitè dixerit, pertinacissimè defendit. Deniq; si fieri poterit, & his & omnibus alijs uitijs careat. Sin autem excidi penitus uitium iræ, cætera item nequeāt, stultis hærētia. & (quod idē Flaccus ait) uitijs nemo sine nascitur: optimū cū existimemus, qui minimis urgetur: et cū uitijs bona cōpensemus. Ac de his q̄ ad mores pertinēt, hæc satis sint: dū intelligatur, hæc in omnib. qui doceāt, requiri.

De doctrina eorundem.

QVod uerò ad doctrinam attinet, illud meminisse oportet, eruditiss. statim præcepto-

ri tradēdos esse pueros, optimisq; statim imbuendos, quòd magna in eluendis, quæ semel insederint uitijs, difficultas consequatur: cū geminatum onus succedentes premat, et quidem dedocendi grauius quàm docendi. Proptereaq; legimus, Timotheum egregium musicum, duplices ab ijs quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quàm si rudes traderentur. neq; id sanè mirandum, cum ratio in docendo plurimum ualeat, quæ doctißimo cuique plenißima sit: ac nemo ita in maioribus emineat, ut cum minora deficiant. Verùm, quoniam difficile est habere eruditum, qui contentus sit ea mercedū tenuitate, quas modicus numerus exhibere consueuit: illud adhiberi temperamentum potest, ut unū aliquem in singulis regionibus habeatis, qui ea omnia, in quibus exactiore doctrina & secretioribus literis opus est, omnibus sufficiat, ac matutino tempore in totum diem opus ordinet: in his maximè, quæ eam conditionem habent, ut eadem uoce ad omnes simul perferri poßint: in quibus, ut sol uniuersis idem lucis calorisq; largitur, ita unius rectè docentis uox quamlibet magnæ multitudini adeò satisfacit, ut quanto plures audierint, tanto plènius & uberius fluat oratio. Quippe dicentis animus facilius afficitur, & imagines concipit, transformatq; se in eorum de quibus loquitur naturam, ubi is qui dicit, frequentiore corona stipatū se gaudet: habitum deniq; & uocem atq; incessum, &

totam

totam pronunciationem artificiosius moderatur, magnumq; aliquid facere semper desiderat. Quæ uniuersa, quo maiore cura fiunt, eo plus utilitatis afferre discentibus consueuerunt. Quod uerò spectat ad ea quibus numerus obstat, ut ad audiēda redd dentium dictata, ad dignoscendas orationis partes, ad interrogandum de singularū accidentibus, tum quomodo inter se aptè cohæreant, ad inculcandos discentibus canonas: hic iam necesse est, plures adhiberi, quorū tamen singulis nolim amplius quindenos cōmitti. Vix enim fieri posit, ut pluribus unus satisfaciat: quin (ut ego arbitror) ne istis quidem satis cōmodè sufficerit, nisi hic quoq; sibi adiutores asciuerit, ac XV illos in tres saltem partes diuiserit, & in singulis quasi quosdam præfectos constituerit, qui infirmioribus non hortatores modò, sed & adiutores operis se præstent: atq; illud curent, ut omnes quanta fieri potest intentione discant, simul & doceant: neq; ex toto numero quisquā sit, qui aut discendi aut docendi laborem detrectent. Et in his quidem nihil necesse est remotiores literas requirere: satis sit, si methodicen teneant, nihilq; quod uitiosum sit tradant.

De Tempore.

TEmpus *autem, quo nihil esse debet carius, summa diligentia distribuatur. Ac primo statim mane in suas cellas distributi, pro suo quisq; captu ac memoria ediscāt, quæ pridie à principe magistro*

gistro prælecta atq; enarrata fuerint. Tum, non cursim, neq; properanter, sed distinctè, atq; adhibitis affectibus, ei recitent, cui priuatim commissi sunt: nec quisquam omnino ab hoc onere eximatur. Hoc ubi factum fuerit, inducantur cum modesto silentio in auditorium: in quo, pro ætatum gradibus subsellia ita oportebit esse distincta, ut alia pueris, alia adolescentibus, alia prouectioris ætatis hominibus aßignentur. Vbi uerò quantum satis esse uidebitur, iam audierint, in suas quique cellas reuocentur. & quæ audierint, relegant omnes. Ac primùm quidem hypodidascalus, mox uerò tres illi præfecti, summo reliquorum omnium silentio repetant, quæ audita sunt: & si fieri potest, apertius enarrent: eos deinceps tota decuria, labore tamen in partes sorte distributo, sequatur, ut non quilibet omnia, sed omnes omnia reddant. quod ubi factum fuerit, dimittantur, atq; illis tantum à schola abeße permittatur, quantum satis eße uidebitur ad curam corporis: idq;, si fieri poterit, præscribatur, atq; interim aperta ianua expectentur, ac sine ulla nota intromittantur. Postquam redeundi hora abierit, ianua ita claudatur, ut adhuc quidem admittantur: sed pro portione temporis, quo aberrarint, uel leuior uel grauior nota inuratur: idq; ipsum etiam manè fiat. Vbi autem redierint, componant omnes aliquid, uel proposita

à magistris,

à magistris, uel per se inuēta materia: ac nemo sit, qui de ijs quæ ad puritatē latini sermonis attinēt, nō & à magistro primùm diligēter interrogetur, & mox à quatuor saltem condiscipulis, si tot habuerit in sua cella superiorēs. tum quicquid scripserint, ita emendetur, ut nihil contrà dicendi aut scribendi rationem illis permittat. in uersibus pedes, iunctu-ræ, metra, atq; incisa: in orationibus compositio, nu merus, totumq; artificium, qua poterit cura explo retur, et à discentib. exigatur. Mox *ad uesperā rur sus in auditorium cōuocentur, & rursus quantum satis esse uidebitur audiant, ac tum demum dimit-tantur.* Domi *uerò ab autumnali æquinoctio, ad uernum, quamplurimum poterunt noctis assumēt: nec ijs quæ interdiu audierint, contenti erunt: sed ex assidua bonorum poetarum ac scriptorum le-ctione, copiam sibi rerum ac uerborum compara-bunt: & parētibus atq; agnatis, quos hoc toto tem pore custodes esse oportebit, diligētiam suam pro-babunt. Atq; hic ordo profestis omnib. diebus ser-uetur. Illud unum mutetur, ut diebus* Veneris *ma-ne, nihil nisi rhetoricum aliquid & ethicum, in pu blico auditorio prælegatur.* Reliquum *tempus e-discendis his quæ per hebdomada audierint, per-mittatur: coganturq; omnes sine scripto recitare, tum uersus, tum solutam orationem, & canones tum grammaticos, tum rhetoricos, quos præceden tibus diebus audierint. quod ut fieri commodius*

poßit, & una hora maturius accedant, & sesquihora tardius consueto contineantur: atq; ubi demum, uel iam planè omnes, uel certè plurimi huic officio satisfecerint, dimittantur: statimq; à prandio intra horam redeant. & si qui forsan nondum recitarint, hi omnes à præfecto suo in angulum cellæ retrudantur, & ediscere compellantur, adhibita graui reprehensione: ac castigatis ijs, quos non tam uitio memoriæ, quàm desidia laborare perspexerit. Vbi iam omnes recitarint, rursus eadem illa omnia per partes quisq; sibi adscriptas ita relegãt, ut sensum exprimant, & se intelligere quæ edidicerint, periculo facto doceant. Eo die nihil componant, sed quæstiones scribant, tum grãmaticas, tum rhetoricas: & plurimas uel glossas, hoc est secretioris linguæ interpretationes, uel synonymias colligant, & ediscant: quibus, quasi quibusdam armis instructi, poßint, ubi opus fuerit, in certamen aduersus æquales descendere. Ad uesperã demum reuocentur omnes in auditorium, atque ibi saltem duo ex eruditioribus declament, & progymnasma aliquod pronuncient, actionemq; quanto poßint artificio commendent. Deniq; eo die una hora tardius dimittantur. Sabbatum ita distribuatur, ut maturius cubitu surgant: & id tempus, quod eo die lauando aut tondendo plerunq; absumitur, non studio, sed somno adimant. & quoniam eo die nihil habent quod ediscant, statim in duas quasi acies

non

non numero solum, sed & uiribus quàm maximè fieri poterit, pares secedant, & in literarium certamen descendant: tum qui ex eo congressu superiores discesserint, præmium ferant, chartam, calamos & atramentum: quæ omnia emantur ex mulcta eorum, qui per hebdomadem latinè in suis cellis locuti non fuerint, aut aliquid leuiore nota dignum admiserint: statimq; ab ea disceptatione in auditorium conuocentur, & ex consuetudine audiant. nonnihil tamen eo die breuiorem esse uelim in dicendo magistrum. À prandio autem una hora serius redire permittantur, & quæ fieri eo die solent, exequãtur. Ad uesperam tamen nihil publicè enarretur: sed conuenientibus omnibus magistris in auditorium, aliquis è prouectioribus discipulis conclusiones saltem quinque defendat, triduò antè in publicum emissas. Arguẽtium numerus atq; ordo, prudentiæ præfectorũ relinquatur, dum tamen singulæ cellæ, saltem singulos ad contradicendũ emittãt. Diebus aũt festis, quorũ appellatione hi demũ intelligãtur, quos Ecclesiasticæ cẽsuræ edicto celebrare cõpellimur, primo mane in auditorium cũ magistris cõueniant, ubi aliquid è sacris literis audiãt & ediscãt: ut iam inde à teneris Christiana pietate & religiosa simplicitate, nõ à parẽtib. tantũ, sed à magistris quoq; imbuãtur. ac si fortè sacra ad populũ cõcio habebitur, audire cõpel-

lātur:nec prius discedere illis permittatur,quàm orationi finis fuerit impositus. Ad uesperā quoq; inclināte iam sole,in auditorium omnes cōueniant, atq; ibi tres saltē conuocatis amicis & agnatis, periculum sui faciant,sese in dicendo exercentes:materia autem sit,laus aut uituperatio,suasio aut dißuasio, aut unum aliquod è praeexercitamentis:nec tamen recitare qualibet permittamus, sed ea tantum, in quibus non ingenium solum, sed ars etiam ac diligentia appareat. Deniq; labor hic, quasi in orbem actus, per singulas hebdomadas redeat, nec detrahi quicquam liceat: adijci autem, & in meliu mutari aliquid, semper de consilio collegij poßit. Verùm quia nihil est quod aßiduum laborem perferre poßit, & sensu etiam carentia, ut seruare uim suam poßint, alterna requie indigent: concedamus modestas remißiones, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut otij consuetudinem nimiæ. Distribuantur autem per anni tempora in hunc modum. Videlicet,

In natali D.N.Iesu Christi,	Dies XV.
Ante diem primum ieiunij,	Dies VIII.
In Paschate,	Dies XV.
In Pentecoste,	Dies VI.
Per æstus caniculares,	Dierum singulorū hora I.
In uindemia,	Dies XX.

DE

DE OFFICIO MAGISTRI.

QVanquam uerò de actionibus seu officijs, quod in promißis nostris quartū fuit, multa aliud agentes, & propè inuiti præsumpsimus, quòd neq; locus, neq; personæ, neq; tēpus, sine aliqua actionum mentione describi rectè poterant: nunc tamen ea de re planius & distinctius agemus. ac primùm de officio eius magistri, quem præeße alijs uolumus. Is igitur, quicunq; ille fuerit, pueris, quæ maximè ingenium alant, atq; animum augeant, interpretetur: ut Virgilium, & si quem Virgilij similem iudicarit. atq; inter legēdum diligenter admoneat, quæ barbara, quæ impropria, quæ contra loquendi legem sint: non ut poetas improbet, quos metri neceßitas excusat, sed ut artificij commoneat. Demonstret etiam, quot *quæq; modis poßint intelligi, & uocum minus usitatarum significatá diligenter exploret, ac ueterum auctoritate cōprobet: tum summa cura tropos omnes, et utraq; schemata doceat: quādo his non solū poemata, sed orationes quoq; exornantur, & tū uerborū tum sententiarū copia nō mediocris inde cōparatur. Infigat aūt animis, quæ in poematū œconomia uirtus, quæ in decoro rerum, quid personæ cuiq; cōueniat, quid in sensib. laudādū, quid in uerbis, ubi copia probabilis, ubi modus. Historias & ritus ueterū diligenter explicet, atq; in eo maximè*

uigil sit, ut aliquid, si fieri poterit, ex ueterum lectione eliciat, quod non modò linguam, sed etiam animos pueriles expoliat. Illud in primis uideat, ne quid unquam mentiatur: sed quæ nesciuerit, exquirenda auditorum ingenijs & diligentiæ permittat. sæpe enim aliqua nesciendo plus etiam profuerit, dum ea ingenuitate animos curiosè discentium ad inquisitionem excitat. Tum, quoniam rhetores, partes suas relinquendo, grammaticis necessarias fecerunt, fabulas puro sermone narrare, uersus dissoluere, & mutatis uerbis interpretari: mox eosdem paraphrasi audacius uertere, & saluo sensu poetæ, breuius aliqua dicere, alia rursus latius exornare doceat: tum uerò chrias, sententias'que & allocutiones, & uniuersa quæ progymnasmata dicuntur, tradat. Immò uerò, quoniam iam consuetudo obtinuit, ut literati homines non solum grammatici, sed rhetoris etiam onus subire compellantur, laudandi & uituperandi opuscula, prosopopœiasq;, & suasorias doceat, atque ad forenses etiam materias adolescentes præparet: tum explicandis quæstionibus poeticis, tum uerò maximè tractandis locis communibus, legum'que laude ac uituperatione, atque ijs propositis, quas theses uocant, exercere illos nō desinat. Quemadmodum uerò quasi grammaticus poetas enarrat, ita ut rhetor historicos atq; oratores interpretetur: neque

contentus

contentus sit uerba modò & sensus enarrare, uerùm demonstret uirtutes & uitia, si quando inciderint. In orationibus exponat primùm causam, in quam scripta legetur oratio: tum uigilanter exploret, quæ in inuentione atq; ordine, quæq; in elocutione laude digna. In prooemijs, unde beneuolentia, docilitas, atque attentio sint comparatæ: an narratio breuis dilucidáque sit, ac uerisimilis. quod consilium, quàm occulta calliditas, quanta in diuidendo prudentia, quàm subtilis argumentatio, quàm iucundè permulceat, quàm asperè maledicat, quàm iocetur urbanè, ut affectus moueat, ut animos audientium similes ijs quæ dicit efficiat. In ratione autem dicendi exponat, quæ propria, quæ nouata, quæ prisca, quæ prudenter translata, quæ uerborum, quæ sententiarum lumina, quæ laudabilis iunctura, quæ uirilis compositio, quæ blanda concinnitas, qui lenis numerus. Tum uerò nihil in tota oratione otiosum esse ostendat, sed omnia ad uictoriam summo artificio atque ingenio esse directa. Nusquam denique non uigil atque oculatus sit. In historijs quoque enarrandis pari diligentia utatur: neque artem modò dicendi excutiat, quæ nõ solum in concionibus, sed in ipsa etiam dispositione atque progressu maxima est. Nam Thucydides atque Salustius ita crebri sunt rerum frequentia, ut uerborum propè numerum

sententiarum numero consequantur: ita porrò uerbis apti & preßi, ut nescias, utrum res oratione, an uerba sententijs illustrentur. Herodotus au*tem, ac* Liuius *miræ in narrando iucunditatis, clarißimi candoris, lactea quadam ubertate ita fluunt, ut omnia tum rebus, tum personis accommodata dicantur. Sed etiam quia nihil aliud est historia, quàm testis quædam temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magistra uitæ: ostendat, aliorum exemplo, quid maximè sequi, quid fugere omnes homines deceat.* Inter *enarrandum uerò dicat, non tam quæ speciosa, quàm quæ utilia: atque id uel in primis curet, ut si fieri potuerit, aliquid semper non solum ex historia, sed ex toto sermone, ad mores excolendos auditor poßit excerpere.* In *his autem quæ ad doctrinam attinebunt, id temperamentum seruet, ut nullum sit aut tam robustum, aut tam imbecille ingenium, quod non inde aliquid ad se alendum trahat: sed in eodem quasi prato (quod ille ait) & bos herbam, & canis leporem, & ciconia lacertã inueniat, & uirgo florem legat: nec quisquam inde ieiunus, nisi sua culpa, abeat. nec tamen omnia ubique dicenda existimet, sed ea demum dicat, quæ ei loco, qui in manus inciderit, rectè sint accommodata.* De*niq; non solum in historicis, sed in omni genere scriptorum ea uel prima cura sit, ut sensus quàm*

cla-

clarissimè, et subtilissime eliciat, et ex multa ac uaria lectione ueterum & doctorum non tam congesta quàm electa in medium afferat: atq; ut aliquando finiam, quàm maxima poterit cura, autores omnes euoluat, & inde discat, quæ tradenda erunt: atq; ipse unus plurimum laboret, ne omnibus laborandum sit. Tum noua discendi inuitamẽta excogitet, uel ab alijs excogitata in usum deducat: qualia multa & apud M. Tullium, & apud alios rhetores facilè inueniet. Præfectos cellis quasi collegas ac fratres obseruet: discipulos omnes quasi filios diligat: eaq; illi præcipua cura sit, ut nõ solum ipse doceat, sed alios etiam tum ad docendũ tum ad discendum hortetur atq; impellat.

De officio hypodidascali.

Hypodidascalus uerò, fidei ac curæ suæ commissos compellat primo statim mane, tum ex poetis, tum ex oratoribus, qui pro tempore enarrabuntur, quantũ eorum ferre memoria potuerit, tantum ediscere, ac sibi reddere. sic enim & memoriam exercebunt, & assuescent optimis, semperq; habebunt intra se, quod imitentur atque abundabunt copia uerborum optimorum, cõpositione ac figuris iam non quæsitis, sed sponte & ex reposito uelut thesauro se offerentibus. Inter audiẽdum autem, si qua uitia sunt oris, emendet: exigatq; acriter, ut expressa sint uerba, ut suis quæq; lite-

ræ sonis enuncientur: nec uerba in faucibus audiri, nec extremas syllabas intercidere permittat. literas ipsas neq; putidè exprimi, neq; negligēter obscurari patiatur. Verba neq; exiliter exanimata, neq; inflata & anhelata efferri permittat. meminerit à Cicerone culpari uocē muliebrē, aut extra modū absonā atq; absurdā & agrestē. Illud quoq; obseruādum erit, ut gestus ad uocē, uultus ad gestū accommodetur: ut recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur. nihil deniq; faciat puer, quod nō deceat: & iam tum discat, quo modo narrandū, qua autoritate suadendum, qua uoce excitetur indignatio, quo flexu miseratio moueatur. Deniq; eodē tēpore uocē, memoriā ac pronunciationem exerceat. Hoc ubi fecerit, ea quæ mox in auditorio erunt à magistro enarranda, ab uno aliquo in sua cella prælegi, & alta uoce reliquis silentibus pronunciari iubebit. Deinde omnes cum suis quenq; libris in auditorium inducet, summaq; intentione audire compellet: & cum illis ipse quoque diligenter audiet, statimq; ab auditione in cellā suos reuocabit, atq; ibi etiā clarius, & (ut aiunt) crassiore Minerua, quæ audita erunt, omnibus summo silentio audientibus repetat. Postea autē è singulis decurijs singulos eligat, qui ipsi quoque alijs silentibus eadē illa dictata summa cura reddant. mox uerò distributo, atq; ideo leuiori labore, singuli singula: dummodo in-

certi

certi semper sint, et putent omnia ad se pertinere, nec prius quid reddere debeāt intelligāt, quàm illis ducta sorte obtigerit, ut hæc ipsa incertitudo eos semper sollicitos habeat, cogāturq; nihil omnino nō intelligere, quū sciāt nihil esse quod nō sorte quadā cōtingere sibi posit. Hoc pacto fiet ut ex audiendi & studēdi diligētia nihil discentib. pereat, et multū superflui laboris magistro adimatur. atq; hæc quidē prādiū præcedant. Statim autē à prādio quàm diligentissimè poterit, nomina ac pronomina uerbaq; & participia omnia quæ in uersibus manè enarratis fuerint, à discipulis declināda curabit. In his uerò partibus quæ declinationē nō recipiūt, significationes, differentias atq; accidentia omnia à discētibus exiget, distributo pro numero uersuum ac uocū in omnes labore. Syllabarū quoq; ac pedū, & metrorū ac uersuū rationes et proprietates, eodē modo reddi sibi postulabit: quas iā inde à prima ætate notissimas fieri pueris, erit utilissimū, tū propter poemata, tū propter oratoriā cōpositionē. Inter hæc autem orthographiā quoq; docebit, in his maximè dictionibus in quibus facilè labi posse scribētem animaduerterit. Nec quicquā omnino negliget, quod prodesse discentibus existimet. Neq; uerò ambitiosa festinatione à posterioribus incipiat, ne dum ostentare pueros circa speciosiora maault,

mauult, compēdio ipso moretur. Dignoscere ergo nomina à uerbis, & utraq; optimè declinare doceat. nec uerò contentus sit, ea quæ analoga erunt, tradidiße: sed omnia planè, quæ in nominibus hete roclita, in uerbis anomala atq; defectiua dicuntur, summa cura ostendat. Tum in nominibus, quæ propria, quæq; appellatiua, quæ per se substant, quæ subsistentibus adijciantur, quæ antecedentia, quæ relatiua sint, quo nexu adiectiua substātiuis, relatiua antecedentibus, recti casus uerbis iungi soleant: eorum etiam uerborum, quæ actiua, quæq; paßiua appellantur, constructionem doceat: nec prius quenquam prouehat, quàm hæc in prōptu habuerit. atq; hic primus ordo sit. Secū dum uerò, neutra, communia, deponentia, atq; impersonalia constituent: quibus, eorum quæ frequētatiua, quæ meditatiua, quæq; inchoatiua appellantur, formationes atq; inclinationes adijciendæ erunt: ne quorum constructionem discent, eorum originem ac figurationem ignorent. Tertius, participiorum constructioni discendæ, relatiuis & distributiuis nominibus, & aduerbijs tum temporalibus tum localibus (quorum pleraq; inde descendunt, & uerbis uel statumuel motum significantibus adhærent) diligentius intelligendis, ac planè perspiciendis destinetur. Quartus, nouem illas celebres deriuatiuorum nominum species, & eorum formationes

formationes ac constructionem discat. Quintus, metaplasmos ac tropos. Vltimus, schemata uerborũ et sententiarũ diligenter imbibat. Qui ordines, etsi nimis multi fortasse uideri poßunt, mirũ tamẽ est, quanto facilius literæ ita tradãtur, quãtumq; animi hic ad superiores subinde ordines progressus, discentibus adijciat, dũ partem itineris quam emẽsi sunt, læti respiciũt, & minus minusq; in dies laboris superesse sibi lætantur: neq; statim nimia ac confusa operis mole deterrentur, sed diuisum in partes onus maiore fiducia suscipiunt, ac minori labore perferunt. Videat ergo, ne quid præposterè doceat, ordinemq; tum in omnibus rebus, tũ in hac maxime utilem eße existimet: nec ullum in superiores ordines uocet, nisi quem iam in inferioribus (quantũ necesse est) didicisse perspexerit. Vbi uerò hunc quasi orbẽ expleuerint, epistolas familiares texere, uersus facere, & imitari elegantiam ueterũ incipiant. Nõ erit inutile, tractatus de Copia uerborum & rerum diligenter euoluere. Laurentium Vallensem, & si quos uel similes, uel meliores putarit, & quæcunq; ad elocutionem uel oratoriam uel poeticam pertinent, attentißima cura perlegere, ac sibi suo quasi marte opes orationis atq; ornamenta comparare.

Neq; tamen statim quasi iam docti dimittantur, sed adhuc in officio contineantur, & quæ didicerunt

dicerunt iterare, & alios docere compellantur: ut discãt pariter, ac doceant. Vt uerò in ordines quos superius attigimus, redacti, habeant semper aliquid quod agãt, diligenter excogitata, ac sua manu scripta themata singula singulis accommodata ordinibus statim à prandio exhibebit. Dabit autem operam, ne aut inania sint, aut sensu inepto, aut sermone insulso: sed aut historiam memorabilem, aut sententiam moribus utilem, aut fabulã, aut apologum, aut figuram aliquã, aut exquisitas difficultates contineant. quæ ut facilius ac cõmodius præstare possit, quicquid illi temporis à docendi labore superfuerit, id totum bonis autoribus euoluendis impendet: atque inde quasi quosdam flores sibi deliget, quos postea ad discentiũ utile oblectamentum promat. Ea themata postquam omnes scripserint, et in Latinam linguam traduxerint, diligenter inspecta emendabit, & dictorum ac scriptorum rationem minutim ac subtiliter exiget, distributo in omnes respondendi onere. quod ubi per singulos ordines expleuerit, tũ singula singulis longè breuiora dicta ex tempore proponat, et latina statim sibi ex tẽpore reddi postulet. Id ubi perfecerit, discipulorũ inter se interrogationibus, quod tẽporis superfuerit concedat. atq; ubi iam singuli quaternos (ut hodie uulgus loquitur) interrogarint, & rursus ipsi à quaternis interrogati fuerint, in auditorium omnes

tres deducat, ac post auditionem tandem dimittat. Ipse etiam interdum aut declamando aut prælegendo, et publicè interpretando, sui periculum faciat, & noua discendi irritamenta pueris suggerat.

DE OFFICIO EORVM QVI hypodidascalum adiuuant.

HI uerò qui ab hypodidascalo adiutores assumpti fuerint, id sibi negotij iniunctum intelligāt, ut magistro sint quàm maximo poßint adiumento: plurimùm discant, plurimùm doceant, ac quotidie singulos discipulos ac disputationes instruant: oratiunculas doctas quidem, sed breues tamen ac iucundas, quibus in primo congressu utantur, suggerant: deniq; quæstiunculis atq; argumentationibus armatos in literarium certamen deducant. Id in publico auditorio ante pomeridianas prælectiones ita exerceatur, ut unus ex his qui sibi iam satis fident, omnium impetus sustineat. Tum qui in eo congreßu strenuè se gesserit, à magistro primùm, mox ab omnibus collaudatus, dimittatur. Qui uerò aut metu, aut casu aliquo succubuerit, consolatorijs uerbis adiuuetur, & ad meliorem spem erigatur. At, qui per imperitiam, aut desidiam, succubuisse deprehendetur, uerbis seuerioribus reprehendatur: id'que illi uel imprimis uitio uertatur, quòd incuria potius quàm

quàm ulla ingenij culpa in id dedecus inciderit. Hoc autem quicquid erit disceptationis, intra secũdam horam expleatur. tales deniq; se exhibeant præfecti isti, ut ab eis & honestè uiuendi, & libenter discendi exemplum reliqui omnes capiant.

De officio educãtium priuatim.

SEd ne ueterem illam consuetudinem, qua ducti quidam liberos in magistrorum conuictũ à se procul ablegãt, penitus improbare uideamur: nonnihil etiam ea de re dicendum existimauimus. Primùm igitur optimum putamus, infirmam ætatem, & nulli non iniuriæ obnoxiam, in patria ac domi parentum cura ac custodia contineri. Vbi enim aut iucũdius morẽtur, quàm in patria? aut honestius cõtineãtur, quàm sub oculis parentum? aut minore sumptu alantur, quàm domi? Quid? quod ad ciuitatis ornamentum uel in primis attinet, ut hic educentur, qui hic nascuntur: statimq; ab infantia natale solum amare ac frequentare condiscant. Neque uerò satis excogitare poßum, quonam pacto eos excusem, qui liberos eo tempore, quo maternis ac paternis officijs maximè indigent, à se abijciunt, & innocentes quasi quodam exilio damnant. Nam si educationis laborem fugiunt, quàm rectè faciant, ipsi uiderint. sin id munus quasi abiectum ac nimis humile aspernantur, uehementer errant: cum uiro bene instituto nulla poßit honestior

esse

esse occupatio, quàm ut quos in spem successionis genuerit, eos piè ac diligenter educet, patrijsq; ac domesticis moribus potius quàm peregrinis & alienis imbuat. Quod qui facere commodè potest, nec tamen facit, uel patrios mores & domestica instituta damnet, uel desidiam suam fateatur necesse est. Verùm quia non desunt, quos uel longa peregrinatio, uel negocia tum publica tum priuata iure possint excusare: aliquid de eo quoque dicamus, qui non erudiendos modò, sed alendos etiam alienos liberos suscipere instituerit. Is igitur quicunque fuerit, ante omnia præceptoris ac parentis animum induat: & quos in conuictum ac disciplinam receperit, eos natura quidem ac cognatione alienos, affectu uerò & cura plus quàm suos esse liberos existimet: & quæcunque superius à parentibus & magistris curanda diximus, tanto ipse diligentius curet, quãto laudabilior est in alieno negocio diligentia quàm in nostro: ac meminerit durissimam esse prouinciam, aliorum sobolem educare. Nam ut omnia sedulò faciat, uix tamen poterit effugere, quin aut auariciæ, aut incuriæ notam incurrat. Videat igitur, ut à periculis, quibus plerunque se ultrò puerilis ætas obijcit, eos defendat: uideat ut intactos seruet, non solum ab omni uitio, uerùm opprobrio quoque turpi. Succisiuas autem horas perire, neutiquam patiatur. Quin inter cœ-

quàm ulla ingenij culpa in id dedecus inciderit. Hoc autem quicquid erit disceptationis, intra secũdam horam expleatur. tales deniq; se exhibeant præfecti isti, ut ab eis & honestè uiuendi, & libenter discendi exemplum reliqui omnes capiant.

De officio educãtium priuatim.

SEd ne ueterem illam consuetudinem, qua ducti quidam liberos in magistrorum conuictũ à se procul ablegãt, penitus improbare uideamur: nonnihil etiam ea de re dicendum existimauimus. Primùm igitur optimum putamus, infirmam ætatem, & nulli non iniuriæ obnoxiam, in patria ac domi parentum cura ac custodia contineri. Vbi enim aut iucũdius morẽtur, quàm in patria? aut honestius cõtineãtur, quàm sub oculis parentum? aut minore sumptu alantur, quàm domi? Quid? quod ad ciuitatis ornamentum uel in primis attinet, ut hic educentur, qui hic nascuntur: statimq; ab infantia natale solum amare ac frequentare condiscant. Neque uerò satis excogitare possum, quo nam pacto eos excusem, qui liberos eo tempore, quo maternis ac paternis officijs maximè indigent, à se abijciunt, & innocentes quasi quodam exilio damnant. Nam si educationis laborem fugiunt, quàm rectè faciant, ipsi uiderint. sin id munus quasi abiectum ac nimis humile aspernantur, uehementer errant: cum uiro bene instituto nulla possit honestior

esse

eße occupatio, quàm ut quos in spem succeßionis genuerit, eos piè ac diligenter educet, patrijsq; ac domesticis moribus potius quàm peregrinis & alienis imbuat. Quod qui facere commodè potest, nec tamen facit, uel patrios mores & domestica instituta damnet, uel desidiam suam fateatur necesse est. Verùm quia non desunt, quos uel longa peregrinatio, uel negocia tum publica tum priuata iure poßint excusare: aliquid de eo quoque dicamus, qui non erudiendos modò, sed alendos etiam alienos liberos suscipere instituerit. Is igitur quicunque fuerit, ante omnia præceptoris ac parentis animum induat: & quos in conuictum ac disciplinam receperit, eos natura quidem ac cognatione alienos, affectu uerò & cura plus quàm suos eße liberos existimet: & quæcunque superius à parentibus & magistris curanda diximus, tanto ipse diligentius curet, quãto laudabilior est in alieno negocio diligentia quàm in nostro: ac meminerit durißimam eße prouinciam, aliorum sobolem educare. Nam ut omnia sedulò faciat, uix tamen poterit effugere, quin aut auariciæ, aut incuriæ notam incurrat. Videat igitur, ut à periculis, quibus plerunque se ultrò puerilis ætas obijcit, eos defendat: uideat ut intactos seruet, non solum ab omni uitio, uerùm opprobrio quoque turpi. Succisiuas autem horas perire, neutiquam patiatur. Quin inter cœ-

nandum etiam aliquid quod delectet simul et prosit: nunc ab hoc, nunc ab illo legi iubeat. Quod uerò ad uictum attinet, curet diligenter, non solum ne quid necessarium deesse uideatur, uerùm etiam ne quid omnino quod stomacho, aut prosperæ ualetudini nocere poßit, uel exhibeatur, uel permittatur. uictus neq; sordidus sit, neque luxuriosus: sed parcus ac mundus, & quam fieri poterit saluberrimus. Cubilia ad optimam cœli partem conuersa sint, lecti nulla contagione suspecti: tota denique supellex non tam preciosa quàm munda. Singulos singulis lectos tribui placet, nec ualde impares ætate in eodem loco uelim commorari. neque uerò aut nimio somno torpescere, aut immodicis uigilijs macerari corpora adhuc imbecilla patietur: sed ualetudinem uolet cũ somno computari. Labores studiorum opportuna remißione leniet: & paternæ indulgentiæ seueritatem præcipientis ita miscebit, ut non minus timeatur quàm ametur. Si quid commissum fuerit, quod paulò seuerius uindicari oporteat, eos quos castigat, pueros eße cogitet: ac semper meminerit, sibi in liberum caput non cruciandi sæuitiam, sed coercendi seueritatem legibus esse permißam.

DE

DE PAEDAGOGIS.

VErùm quoniam nonnulli & pædagogos liberis adhibent, & cum illis eos in scholas mittunt, de eorum quoq; officio aliqua dixisse non ab re fuerit. Primùm ergo rectè loquantur, neque pueros sermoni, qui sit dediscendus assuefaciant: dent autem operam, ut quàm eruditissimi fiant, atque optimo sint alumnis exemplo: & quæ nescierint, nescire se meminerint, neq; cedere præcipiendi peritis indigentur. Puerilem uerò lasciuiam ita coerceant, ut nec quasi quodam iure potestatis intumescant, nec imperiosi ac sæuientes stultitiam suam perdoceant: sed summa pietate commissos suæ fidei pueros non solum ab omni uitio intactos seruent, sed optimis moribus imbuant, infirmamq; ætatē sedulitatis suæ officio quàm maximè fieri poterit adiuuent. In templa primùm, mox in scholas deducant, seq; assiduos, ac propè inseparabiles illis custodes exhibeant: neque alumnos solum suos, sed amicos quoq;, atq; æquales eorum meliores faciant: nec solum ipsi doceant, uerùm etiam operam dent, ut alumni quanta fieri poterit cura magistrū audiant, nihil denique si fieri poterit temporis perire patiantur.

De officio discipulorum.

VErùm quoniā nulla rectè coalescere doctrina potest, nisi sociata docentis ac discentis

concordia: discipuli quàm maximè dociles se præbeant, ament studia, ac præceptores obseruent, parentes' que eos non corporum, sed mentium credant: libenter illos audiant, dictis credant, illis esse similes concupiscant, in ipsos cœtus scholarum læti conueniant, emendati non irascantur: ad superiores gradus non ambitione, sed doctrinæ meritis peruenire contendant: perpetuo studio magistris se carißimos reddant: latinè, & quàm possunt aptè, propriè' que & eleganter loquantur: ac si quid in ea re peccarint, emendari se ab æqualibus æquo animo ferant, atque alios ipsi amicè & diligenter emendent. Et ut *breuiter concludam, cum diligentißimè fecerint omnia quæ superius diximus, cum de officijs docentium tractaremus, secum ipsi* Horatianum *illud frequenter animo repetant:* — Vitaui *denique culpam,* Non *laudem merui.* — *statuantq; sibi dies noctesq; laborãdum esse, ut ad consummatam doctrinam atque eloquentiam perueniant: nec id turpiter desperent, quod comparari posse certum est.* Quòd *si ad summa peruenire non poterunt, pulchrum tamen esse meminerint, in secundis tertijsúe constitiße: summis ingenijs admirationem, uenerationemq;, inferioribus autem in omni generè scientiæ meritam laudem semper contigisse.*

DE

DE OFFICIO PARENTVM.

HAEC locuti de magistrorum officijs, colligamus ea quoque quæ parentes maximè decent. In primis igitur meminerint, non parui esse apud Deum meriti (ut ait Hieronymus) liberos bene educare, atque illis (ut Plato præcipit) non multum auri, sed multum pudoris relinquendum esse. Id uerò non tam uerbis quàm exemplo parari posse: & quia in pueris prudentiæ fons nōdum perfectus est, ideoq; insidiosi, & bestiarum omnium (ut idem Plato ait) petulantissimi sunt, multis quasi frenis uinciendos curent. Itaque quum domi erunt, in officio eos contineant, ad pietatem & religionem maximè excitent, custodiendi in ætate prima pudoris summam curam gerant. Videant ne quam flagitijs occasionem secreta præbeant, néue inter malos & adulantes seruos conuersatio mores inficiat: ne mollior educatio neruos omnes & mentis & corporis frangat: néue imprecatoria, néue inhonesta & obscœna uerba illis impunè permittant: ne quid turpe aut uideāt, aut audiant, ne ex his consuetudo fiat, atque ex consuetudine natura: ac demum soluti & fluentes mala ista in scholas afferant: neque se modò perditum eant, sed, quod pessimum est, alios etiam inficiant. Ingenium uerò, mores & naturam liberorum diligentissimè inspiciant atque explo-

rent. qua parte peccent, qua laudem mereantur. Tum, quemadmodum si quando in morbos incidimus, solemus medico quantum poßumus, & morbum ipsum, & morbi caussas detegere, quo faciliores illi ad remedia inuenienda aditus præbeamus: ita præceptoribus, quare maximè peccent liberi, ostendere non grauentur. Dent autem operam, ut præceptores ipsos in amicitiam, & quàm maximam possunt familiaritatem uocent: sic enim consequentur, ut non officium solum, sed affectum etiam in docendo spectent. Neque tamen solam familiaritatem satis putent, sed destinatas illorum labori mercedulas, uniuscuiusq; mensis Calendis, etiam non appellati liberaliter mittant. Tum uerò pro anni temporibus, crebris potius quàm preciosis munusculis ad docendi sedulitatem inuitent: & ubicunque aut res magistri aut honor agetur, ibi se acerrimos protectores præstent. In primis autem quasi adiuratos se existiment, ut dent operam ne quid minuatur de his quæ superius scripta sunt, addendumq; pro tempore melius aliquid semper curent: neque quicquam quod ad hanc rem attineat, aut nimis magnum, aut nimis humile existiment: quum nihil esse poßit ferè honestius, quàm perficiendis excolendisq; hominum animis, quæ uera Dei templa sunt, operam impendere.

DE

DE OFFICIO PRAESIDVM.

Neque uerò præsides ac principes ciuitatis eam curam neglexerint, quum intelligant, animi bona prima quæri in ciuitate bene morata oportere: omnesq; leges atque omnia instituta illuc tendere, ut uirtutes, proposito bonis præmio inducant: uitia, constituta malis pœnæ ignominia, procul abigant. quod nulla facilius uia præstari potest, quàm si statim à pueritia ciuiũ animi ita excolantur, ut & uitiorum deformitatem abominentur, & honesti pulchritudinem admirati, auidissimè eam cõplectantur: quum præcipuè rectè uiuendi consuetudo in quandam quasi naturam transeat. Plurimum uerò bonas literas ad eam rem cõferre quis dubitet? quum ad omnes honestas disciplinas uiam muniant, nec solum intelligendi quæ ab antiquis scripta sunt facultatem suggerant, sed prædulci quadam illecebra sapientissimorum hominum sententijs atq; exemplis, rudes animos imbuant, uoluntatemq; ad ea quæ recta sunt dirigãt, & manu blãdiente deducãt. Ipsi ergo adhibitis in consiliũ optimis & doctissimis quibusq; uiris, præceptores eligant. Ipsi honesta moribus, doctrinæ ac labori uniuscuiusque præmia constituant. Ipsi, quos parũ utiles existimarint, amoueant: quorũ diligentiã atq; integritatẽ experti fuerint, maiorib.

ſubinde præmijs inuitent. Iidem uideant, ne quis maiore turba quàm ut ferre poßit, oneretur. Videant quantum doctrinæ, quantum diligentiæ, quantum ætati uniuſcuiuſque deferendum ſit: atque ut facilius intelligere omnia, quanquam alijs negocijs occupati poßint, eligant ex patribus, aut è proximis diſcentium agnatis, in ſingulis regionibus ſenos: quorum duo per ſingulas hebdomadas in auditorium & cellas ueniant, & quid ac qualiter fiat diligenter uideant. mox menſe iam exacto, omnes in auditorium conueniant, docentiumq́; & diſcentium mores atque ingenia, diligẽtiam atque ignauiam, peritiam atque imperitiam, tum diſcendi, tum docendi, quanta cura fieri poterit explorent: neminiq́; ea in re magis quàm ſibi ipſis credant, ac diligenter quæ facienda erunt, conſiderent: & leuiora quidem ipſi exequantur, qualia ſunt, ut ſtatuta ſalaria præceptoribus ad dictam diem liberaliter exhibeãtur: ut ſi qui inter diſcipulos parum obtemperantes inuenti fuerint, ſeuerè caſtigentur: ſi quid uel legatum fuerit, uel donatum collegio, diligenter ſeruetur, ut ex eo pro ut tempus exegerit proprietas aliqua ematur, ex cuius reditu id fiat, quod à legante aut donante fuerit inſtitutum. Si quid uerò grauius erit tractandum, ut ſi quis è magiſtris uidebitur loco mouendus:

dus, uel nouus aliquis cõducendus: id referãt ad magistratus, & eorum authoritate ac consilio ea de re decernatur. Ad hos uerò triginta sex uiros spectet, in hanc scholam admittere quos uoluerint: dum tamen ea in re adolescentes patricij omnibus præferãtur, atq; in his meliores deterioribus.

FINIS.

Y s CLA.

CLARISSIMO AC PRVDENTISSIMO SEnatui ciuitatis Norimbergæ, Dominis suis colendissimis, Sebaldus Heyden S. D.



Voties de nostrarum Scholarũ disciplina cogito, Viri clarissimi, nonnihil admirari soleo, cur studij literarij loca olim Græcis ab ocio Scholæ, Latinis uerò Ludi dicta sint. Nam non ausim putare, illos artium ingenuarum ac philosophiæ studia, ita uilia ac leuia habuisse, ut ea per ocium, & tanquam res ludicras, sectanda esse censerent, præsertim quum ob ea ipsa studia, cæteras omnes gentes, barbaras, præ se uocarent, ac tanquam omnis humanitatis expertes despicerent. Cuius elationis causas certè non ociosas, multo minus uerò ludicras esse oportuit. Et si quis nostrorum temporum scholas diligentius perlustrare uelit, certè cognoscet, adeò nihil ocij, nihil ludorum eis inesse, ut potius quicquid uspiam laborũ ac molestiarum sit, huc tanquã in sentinam confluere credat. De his uero Scholis potissimum hæc scribo, quas Triuiales uocamus, in quibus promiscuè ingenuis, plebeijs, indigenis, alienigenis, bonis, corruptis, diuitibus, mendicis, ingenio

sis,

fis, ac ftupidis, audire & difcere liberum eft. Nam fi quis horum difcipulorum animos fpe ctare uelit, & primò bonorum, & qui frugi funt, certè neminem inueniet qui fuam fedulitatem in difcendo, metum & folicitudinem in præceptores reuerendo, ac officijs proprijs demerendo, ludos ac ocia uocari patietur. At fi ex ignauis de uero Scholarum nomine quæret quifpiam, an non pro ludis & ocijs, piftrina, ergaftula, & carnificinas audiet? Et certè his multo & citius & facilius aliquis perfuafe rit, mel amarum effe, abfynthium uerò dulce, quàm difciplinas literarias effe ludos & ocia. Porrò fi quis ipfos ludorum magiftros, præfer tim feniores, & multo tempore conditionibus literarijs perfunctos, de ocio & ludis fcholafti cis audire dignaretur, quas illic furditates ex immodica puerorum turbatione ac ftrepitu? quas uertigines, grauedines, ac cephalalgias ex quotidianis interpretationibus, declamationibus ac contentionibus effet comperturus? Tantũ abeft, ut quifpiam prifcæ difciplinæ ludos & ocia in noftris nunc gymnafijs reperire pofsit. Et mirũ nõ effet, fi quis rhetorculus, ludorum magiftris, ut nũc funt, perfuadere contenderet, labores fcholarum nõ effe labores, fed ludos: non negocia, fed ocia: fi tota difcipulorum manu aduerfus ineptum nugatorem concitata, cum pefsimis modis acceptũ

ac

ac ludificatũ è gymnaſijs ſuis eijcerẽt. Hęc propter eos ſcribo, qui aut illiterati toti, aut ſemidocti, quoties de ſcholarũ laborib. mẽtio inter bonos ac cordatos uiros incidit, ſibi tum pulchrè ſapere, ac prudẽter dicere uidẽtur, ſi ſcholas ipſas rẽ non adeò magni momẽti, labores uerò ſcholarũ ocium ſaltem & ludos eſſe contendãt. Tanto uidelicet ſtultiores ac ineptiores ipſi, quanto minus rei literariæ cõmoditates in Rerumpub. gubernatione uident & intelligunt. Habeant ſanè priſcarũ gentiũ ſcholæ ſuos ludos & ocia, quarũ diſciplinæ ac philoſophandi ſtudia nihil planè de ſincera pietate, ac uera Dei cognitione tenuerunt. Atqui nos Chriſtiani, quanquã illarũ ſcholarũ appellationes libẽter retinemus, & nihil quicquam noui hic fingi uolumus: tamẽ de inſtitutione ac diſciplina noſtrarũ ſcholarũ multo grauius & honeſtius iudicare debere cenſemus, quòd in his nõ artes ocioſas aut ludicras, ſed grauiſſima cùm ueræ pietatis tũ honeſtatis præcepta pariter proponamus ac tractemus. Nam puerilem ætatẽ in primis ad ueram religionem ac ſincerum Dei cultũ inſtituimus: tum etiã ad prudentẽ rationis uiſum, & morũ honeſtatẽ aſſuefacimus. Et hanc ſolã diſciplinã probabilem ac rectã aſſeueramus, in qua pariter cum literaria inſtitutione, etiã Chriſtianæ religionis ac uirtutũ præcepta proponuntur. Quod

ut

ut ueſtra prudentia cognoſcat me in mea diſciplina ſemper hactenus ita obſeruaſſe, ideo hanc Pædonomiam, puerilis inſtitutionis leges continentẽ, ut eas diſcipulis meis per aliquot hactenus annos, de pietate, ſtudio literario, & morũ ciuilitate præſcripſerã, in certum libellum congeſsi, ac clariſsimo ueſtro nomini nuncupatã in publicũ edere uolui: non ut muneris loco offerrẽ, ſed potius ut per hãc ueſtræ prudentiæ tandẽ quaſi rationẽ redderem meæ functionis ſcholaſticæ, cui uiginti quinq; perpetuos annos in patria nunc præſum, non dicã quãta fœlicitate, at tãto certè conatu ac ſtudio, ut quicquid uirium ingenio & corpori olim fuerit, ipſum magna ex parte mihi per hos ſcholaſticos labores deperierit. Quod haudquaquã ita eueniſſet, ſi diſciplina literaria ludus eſſet & ocium. Spero autẽ ueſtram prudentiam, ſi uidear audacius aut impudentius egiſſe in hoc, quòd tam exiguo libello Clariſsimum ueſtrum nomen adſcripſerim, æquis ac benignis animis hoc accepturã: & libenter ueniam daturam ei, qui ueſtræ P. deditiſsimus, Reipubl. ac patriæ commodorũ ſtudioſiſsimus ſemper fuit. Bene ualeat & perpetuò fœlix ſit D. ueſtra in Deo patre per Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Ex Muſæo Sebaldino ueſtro, decimo Calendas Apriles, Anno 1546.

PAEDO

PAEDONOMIA SCHOLASTICA, PIETATIS, studij literarij ac morum honestatis præcepta continens.

I.



Visquis res humanas, siue publicas siue priuatas, fœlices uolet, eum ante omnia pueritiæ suam disciplinam ac institutionem quàm rectißimè constituere oportet.

2 *Docet enim experientia, nihil ibi fœliciter fieri poße, ubi nulla pueritiæ disciplina, nullum honestatis studium, & nullus pietatis usus existit.*

3 *Et uix unquam quisquam in bonum ac sapientem uirum euasit, qui nō à teneris annis ad uirtutis ac pietatis studia per sedulā disciplinā aßueuerat.*

4 *Nimirum quòd uelut radix indolem ingeniūq; arboris, ita etiam bene moratam ac cōpositam adolescentiam rectè exculta pueritia producit, ac eandē porrò in omnes grādiores ætates propagat.*

5 *At nullam Rempub. absq; bonorum uirorū administratione fœliciter gubernari poße, in confeßo est apud omnes.*

6 *Est & hoc extra omnē controuersiam, morum & honestatis magistros nullos, itē pietatis ac ueræ religionis doctores nullos illinc sperari posse,*

ubi

ubi disciplina & institutio puerilis nulla fuerit.

7 *At illis nusquam existentibus, etiam nullã inter homines honestatem, nullum uirtutis studium, deniq; nullum uerum Dei cultum esse necesse est.*

8 *Est itaq; prima & maxima cura ad puerilem ætatẽ rectè instituendam adhibenda: ut cùm publicis tum priuatis hominum rebus, quàm fœlicißimè consulatur.*

9 *Maximè uerò, ut quæ ad pietatem & religionem pertinent, hac uia nõ negligãtur: quòd boi uihi neglectus famẽ, qua animæ perire solent, adferat.*

10 *Accedunt his causis etiã aliæ, quòd in puerili ætate, siue uirtutũ, siue uitiorum semel cõcœpta semina, deinceps per omnes alias ætates retineãtur.*

11 *Et quòd ex ea ætate, uelut ex noua arbustorũ plantatione, posteriorum temporũ fructus ac prouentus certa spe iam sint concipiendi.*

Omnium actionum initia ab inuocato Deo auspicanda esse.

12 *In primis autem puer qui institui debet, discat, omnium rerum bonarum principia, profectusq; à Deo esse: & ab illo non aliter quàm sedula ac seria precatione, fœlices illarum successus impetrari posse.*

13 *Sua igitur studia semper ab inuocato prius numine exordiatur: & nihil dubitet, Deũ omnes*

eos actus fortunaturum eße, quorum auſpicia ab ipſo ſumpta fuerint.

Diſciplinæ puerilis partitio.

14 *Puerilis informationis tres partes ſunt. Prima & præstantißima, pietatis ac religionis: altera liberalium diſciplinarum: tertia officiorum uitæ, ac ciuilitatis morum.*

15 *Quas partes in omni ſchola rectè conſtituta, ſemper coniunctißimas oportet eſſe.* Et *indignus iudicandus eſt* Ludimagiſtri *nomine, quiſquis aliquã harum in ſua diſciplina negligit.*

De catechiſtica inſtitutione.

16 *Pietatis ſemina* Catechiſmus *continet, in quo diſcunt pueri,* Deum *certè cognoſcere, quis & qualis ſit erga homines, & quales debeãt eſſe qui ab illo ſaluari uelint.*

17 Et *totius* Catechiſmi *ac pietatis* Chriſtianæ *ſumma eſt, cognitionem* Dei *patris in* Chriſto *filio illius, uitam æternam eße: ignorationem uerò illius, mortem & damnationem æternam.*

18 *Quare credãt inſtitutionem* Catechiſticam *ſibi magis neceßariam eſſe, quàm cibum & potum: quòd his tantum uita corporalis ſuſtentetur, illa uerò uita ſpiritualis & æterna nobis adferatur.*

19 *Ita enim* Chriſtus *reſpõdet* Diabolo: Non *ſolo pane uiuere hominẽ, ſed omni uerbo* Dei. Et *certè panis uim nutriẽdi nullam haberet, ſi abſq; uerbo* Dei *eßet.*

20 *Quemadmodum etiam lapides & arena, uim nullam alendi, ac famem repellendi habent, ob solam eam causam, quòd nullo uerbo Dei iussa sint esse cibus & alimonia hominibus.*

21 *Qua propter pueri uerbum Dei in summo suæ salutis loco semper habere, & discere uelint: utpote sine quo non tantum cœlestem uitam non sint cō secuturi, uerumetiam ne momentum quidem huius corporalis uitæ uicturi.*

Cognitio Dei summum bonum.

22 *Humano generi nihil potuit dari maius aut præstabilius quàm religio, quæ est cognitio, amor & ueneratio ueri & æterni Dei, in Christo filio illius.*

23 *Neq; in ullos homines æquè beneficus eße potest Deus, ac in eos, quos per uerbum suum docet ueram sui cognitionem, ac certum sui cultum.*

24 *Certißimum autem est, eos omnes ad cœlestes filij Dei nuptias, uocari, ad quos Euangelium de regno cœlorum peruenit.*

25 *Et nullam planè excusationem per prædestinationem habent, quibuscunq; aliqua commoditas est data, siue in publica concione audiendi, siue priuatim domi suæ legendi, aut ab alio discendi Euangelium de Dei filio Iesu Christo.*

26 *Ergo quoties pueris contingit audire sacras conciones, tum certè credant, se per eam prædica-*

tionem, ad regnum cœlorum ac uitam æternam, & adoptionem in ius filiorum Dei uocari, ac eligi.

27 *Nam hæc omnia* Deus *pater cœlestis, omnibus & singulis ijs gratuitò per fidem percipienda offert, ad quos* Euangelium *de filio* Iesu *Christo mittit.*

28 *Est autem summa prædicationis* Euangelicæ: Deum *uerum, æternum ac omnipotentem, unicum esse, qui per uerbum suum ex nihilo creauerit omnia, & creata ad finem usq; sustentet, conseruet ac gubernet.*

29 Et *quòd idem ipsum uerbum, quo omnia creata sunt,* Dei *patris filius sit, ab æterno ex ipso genitus, & propter humani generis lapsum in hūc mūdum mißus, de Spiritu sancto concœptus, ex uirgine* Maria Deus *& homo natus* IESVS CHRISTVS.

30 *Videlicet ut æternam nostri damnationē propter peccatum, sua innocentia, iusticia, ac amarißimæ mortis satisfactione, à nobis in se transferret, ac nos* Deo *patri suo ita reconciliaret.*

31 *Ita enim fieri uoluit clementißimus pater, qui pro peccatoribus filium suum unigenitum turpißima morte damnatū ac interfectum iri, quàm totum mundum propter peccatum perire maluit.*

32 Quemadmodum *hoc* Esaias *de* Christo *multò antè*

antè prædixerat, ita: Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.
33 Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit.
34 Quo integrè in cruce consummato, Christus à mortuis tertia die resuscitatus, ad Deum patrem suum in cœlos conscendit: ac Spiritum sanctum pariter à se & à patre exeuntem, tertiam scilicet in Deitate personam, sed unicum ac eundem Deum, ad nos cœlitus demisit.
35 Per quem Spiritum Ecclesia Christi in hac uita, usq; ad finem mundi, secundum uerbũ Dei, per Prophetas sanctos, Christum ipsum ac Apostolos reuelatum, docetur, regitur, ac conseruatur.
36 Hæc ita uerè credere, & propter hanc fidem baptizatum esse, certissima perpetuæ salutis ac æternæ uitæ impetratio est.
37 Ita enim Christus ipse pronunciat, Omnes eos qui crediderint, & baptizati fuerint, saluos futuros: incredulos uerò damnatum iri.
38 Et Paulus ad Ephes. 2 ait: Gratia nos seruatos esse per fidem, idq; non ex nobis: Dei donum esse, non ex operibus, ne quis glorietur.

39 *Et ita credenti, ad sui saluationem nihil amplius opus est, quàm ut spiritui sancto, secundum uerbum* Dei *eum ducenti pareat, ac uitæ sanctimonia, & fraternæ charitatis officijs, fidem suam proximis comprobet ac testificetur.*

40 *Quod ita nosse, & præstare, uera & diuina sapientia est, quam per fidem in uerbum* Dei, *ex diligenti ac frequenti sacrarum scripturarum usu, cōsequi necesse sit.*

41 *Quocirca pueri ad sacras conciones libenter accedant, ac intentis animis astent, tanquam ipsum Christum coràm docentem audituri: quod ipse dixerit audiri sese, ubicunq; uerbum illius prædicetur.*

42 *Et propterea uerbi ministris præcipuum honorem habeant, quòd angeli* Dei *illi sint, ex quorum ore* Euangelium *de Christo prædicari, est ipsum* Deum *coràm audire.*

Quomodo sacræ lectiones intelligendæ sint.

43 *Facilè intelligent sacrarum lectionum argumēta, quicunq; ad hunc unicum scopum contuebuntur semper: scilicet,* Deo *patri in unico & solo filio suo* Iesu *Christo probari, placere ac grata esse omnia, extra illum uerò nihil.*

44 *Et quod nemo potest cognoscere patrem,*

nisi

nisi per filium: neq; uitam habere, nisi in filio: ne que filius Dei fieri, nisi per fidem in nomine filij Dei *Iesu Christi.*

45 *Ita enim sacra scriptura, quoties misericordiam ac benignitatem* Dei *prædicat, aut promittit, ijs solis hoc facit, qui filium certa fiducia amplectuntur, & exosculantur.*

46 *Nimirum quòd hi soli* Deum *timent, eius uerbum audiunt ac custodiunt: & per ueram obedientiam, sese erga proximos suos ita gerunt, ut* Deum *erga se affectum iri maximè cupiunt.*

47 *Aut si quid fortè peccauerunt, illico per peccati detestationem, ac ueram in Christum fiduciam, sese cum* Deo *patre suo reconciliant.*

48 *Econtrà uerò, quoties scriptura minatur malum ac diuinam ultionem, eos solos intuetur, qui filium contemnunt, ac saluatorem suscipere nolunt.*

49 *Hi enim, quòd contempto & reiecto uerbo* Dei, *nullum sensum spiritus habere possint, etiam se peccatores esse ignorant: & propterea de nulla pœnitentia unquam cogitant.*

50 *Sed secundum suam libidinem uiuentes, & carnis affectum sequentes, quiduis scelerum patrare nihil uerentur.*

Quomodo apud rem sacram agendum sit puero.

51 *Inter cæremonias ac operationes sacrorum pueri uerecundè, compositè & quietè se gerant: & tum se coram Deo astare, & ab illo certißimè conspici credant.*

52 *Regis aut principis coràm astantis conspectum nemo non ueretur, & reuerenter habet: at quanto magis Deum omnium scelerum acerrimũ uindicem, ubiq; præsentem suspicicimus, ac reuerebimur?*

53 *Et fortaſſe uenia eſſe poteſt, in hominum cõspectu ineptè & scurriliter se habentibus: sed in* Dei *conspectu idem fieri, an non* Dei *contemptũ hoc arguit?*

54 *Aperire caput, manus componere, & genua flectere inter confectionem sacrorũ, nonnullis pue rilia, & uiris indigna habentur.*

55 *Sed reuera, bene ac religioſe affecti animi signa sunt: quæ non animum solum, uerumetiam corpus, adeoq; totum hominem, in precationem attentum eſſe oſtendunt.*

56 *Et horum neminem pudebit, neq; ea intermittere poterit, quiſquis seriò cum* Deo *aget: seu aliquid petiturus, seu culpam peccati deprecaturus, seu gratias pro bonis acceptis acturus.*

57 Sacras

57 *Sacras lectiones etiam hac de causa studiosius & attentius audire uelint, quòd ea quæ nunc in teneris annis ita audiuntur, olim in prouecta ætate tanto facilius in memoriam redibunt: & tum Theologiæ studium plurimùm adiutura sunt.*

58 *Quoties Christum Iesum nominari audient, toties eis ueniat in mentem, inæstimabilis charitas illius erga nos, & recordatio beneficiorum eius: quam meritò denudato capite, ac flexis poplitibus semper honorabunt.*

59 *Qui sub re sacra cum alijs in templo nugantur, aut inquieti sursum deorsum cursitant, oculos'ue uagos huc illuc subinde circumferunt: eos apparet aut amentes esse, aut non credere Christum illic præsentem, omnium animos & mores obseruare.*

60 *Atqui, non credere Christum Ecclesiæ suæ sacris interesse, quid id aliud est, quàm ipsum mendacij arguere, in eo quod promisit se semper ibidem affuturum, ubicunq; duo aut plures in nomine illius conuenerint?*

61 *Impietas est, in res sacras iocari: aut dicta sanctarum scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata conuertere. Ad obscœnitatem autem trahere, id uerò nefarium & intolerabile.*

62 *Postremò pueri omnem uirtutem, omnem dignitatem, adeoq́; omnem uitæ iucundæ ac beatæ spem, in hoc uno studio præcipuè positam esse cognoscant, si Deum & uerbum eius & amare & uereri nunquam desinent.*

63 *Verè Deum amabunt, si illum in Christo rectè cognitum, uniuersis creaturis anteponent: quòd per illius eiusdem benignitatem hanc uitam se uiuere, sustentari, ac conseruari, & post mortem in eodem Christo perpetuò saluatum iri constanter credant.*

64 *Timebunt uerò Deum, si tam benignum sui creatorem, sustentatorem, ac saluatorem, ita reuerebuntur, ut modis omnibus caueant, ne quo prauo cogitatu, nedum maleficio ullo, tam benignum suum benefactorem offendant, aut ad irascēdum commoueant.*

Quomodo precandum pueris sit.

65 *Precibus operam dent, non in templis solum, sed etiam ubi ubi soli erunt; semper culpam malefactorum deprecantes: auxilium Dei aduersus Sathanæ insidias inuocantes; & nunquam non pro acceptis à Deo beneficijs gratias agentes.*

66 *Hæc enim tria, ut maximè necessaria sunt uitæ nostræ: ita in omni precatione coniungi, & nullo*

nullo tempore intermitti debent.

67 *Præcipuè uerò studeant precaturi, ut preces intelligant: & caueant, ne ore tantum permurmurent: sed cum orant, toti & animo & mente & cogitatione, & uultu in hoc sint, ut omnia cōsentiant, & actioni respondeant.*

68 *Nulla res Chistianis magis necessaria est, quàm sedula ad Deum oratio: cùm ob infirmitatem animi & corporis, tum propter semper imminentia per hostem Diabolum pericula.*

69 *Hoc enim est, cur Christus toties suos discipulos ad assiduam precationem adhortatus est: nimirum ob tentationes Sathanæ, in quas facilimum sit ignauo & securo incidere.*

70 *Et nihil est quod æquè fiduciam in Deum excitet, mentem ad deuotionem accendat, ac in diuinæ benignitatis contemplationem spiritum attollat, quàm seria precatio.*

71 *Cum econtrà, qui raro aut nunquam orant, non solum Dei obliuionem, uerumetiam illius contemptum, sui spiritus ignauia sibicontrahunt.*

72 *Et mirum non est, si omnia peccant, & nihil rectè agunt, qui de Deo uix unquam quicquam cogitant: quanto magis uerò, qui omnino Deum contemnunt?*

73 *Cum econtrà, aduersus peccandi pronitatem, nullum efficacius remedium est, quàm indesinen-*

ter secum in animo reputare Dei benignitatem erga sui amatores: sæuitiam uerò, contra sui contemptores.

74 *Sciant autem pueri, nullum unquam peccatum à Deo impunè remissum esse: nec adhuc remitti, nisi accepta certa ac sufficienti satisfactione.*

75 *Duplicem autem satisfactionem esse credant: unam ipsius peccatoris pro sese, alteram Christi saluatoris pro peccatore, in ipsum credente & baptizato.*

76 *Quisquis Christum satisfactorem pro suis peccatis non habet, is pro sese Deo satisfaciat oportet: sed cum hoc impoßibile illi sit, in æternum damnetur necesse est.*

77 *Qui uerò in Christum filium Dei credunt, & baptizati sunt, illis Christi satisfactio perinde imputatur, ac si ipsi pro suis peccatis unà cum Christo in cruce pependißent, ac mortui eßent.*

78 *Et hoc est, quod Ioannes ait, Habentes filium Dei, uitam habere: non habentes uerò, mortuos eße Dei iudicio.*

79 *Quinetiam à peccando caueant, propter conscientiam: quòd ea turbata, grauißimos adfert animo cruciatus. Tranquilla uerò, talem beatitudinem, cui nullæ opes, nulla regna comparari poßunt.*

80 Peccatum

80 *Peccatum hominis mors est, si in eo perseueret. Et seipsum iugulare uidetur, quisquis peccat. peccando enim à uerbo Dei, in quo uita nostra est, disceditur.*

81 *Omnis occasio & causa peccandi intentissima cura uitanda est: nam nunquã nobis per hostẽ diabolum securis agere licet.*

82 *Cum uerò tam potenti et callido hosti nostris uiribus resistere nequeamus, Deum sedula precatione imploremus, ut opem ferat nobis, & in tentatione nos non deserat, sed à nefario insidiatore diabolo nos liberet.*

83 *Christiani sic agant semper, tanquam in acie armati, uigilantes, accincti, intenti, nusquam non cauentes, ne ab hoste diabolo de improuiso, ulla peccandi occasione impediti, opprimantur.*

84 *Et cum tanta sit uitæ fugacitas, in tanta incertitudine, ut ne crastinum quidem possit sibi quisquam polliceri: magna stulticia est, & atrox periculum, ea quæ ad salutem animæ necessaria sunt, in longum tendere ac differre.*

85 *Vita enim humana nihil aliud est quàm peregrinatio quædam, innumeris undiq; casibus obiecta et petita: cui nunquam non impendet finis, qui leuissimis de causis accidere potest.*

86 *Quare stultissimum est, cupiditate tam incertæ uitæ, fœdum aliquid, aut prauum admittere:*

quasi

quasi uerò certò scias, te, postquam peccaueris, diu uicturum esse.

ALTERA PARS INSTITVtionis puerilis.

87 *Puerilis institutionis altera pars artes liberales, siue ingenuas continet. Quae sunt,* Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Musica, Arithmetica, Geometria, Astronomia.

88 *Grammatica ars est, in qua pueri certam loquendi & scribendi rationem discunt.*

89 *Dialectica est ars bene disserendi, & uera ac falsa dijudicandi: & quid quamq; rem consequatur, & quid cuiq; contrarium sit, intelligendi.*

90 *Rhetorica est ars, quae docet bene dicere, & causas seu themata certo ordine tractare, ac uerborum sententiarumq; copia exornare & amplificare.*

91 *Astronomia est ars, quae motus coelestes, siderum cursus, ortus & occasus docet.*

92 *Geometria superficiem, longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem locorum metitur.*

93 *Arithmetica ars numerandi est, & numerorum proportiones cognoscendi.*

94 *Musica sonorum differentias ac consonantias sensu ac ratione harmonica expendit: & secundum arsim & thesim cantiones rectè modulari docet.*

95 *Has artes ueteres ideo ingenuas ac liberales nominauerunt, quòd ingenuos ac liberos homines maximè decent ac ornant: & ad quarum comparationem, aliæ omnes artes seruiles meritò haberi debent.*

96 *Quanto igitur libertas præstantior ac honestior est seruitute: tanto pluris putent pueri artes ingenuas, quàm mechanicas: uidelicet calceariam, uestiariam, lignariam, cœmentariam, cerdonicam, & similes alias.*

97 *Literarum, id est, ingenuarum artium ea uis est, ut animum ad prudentem rationis usum ac promptam uirtutis facultatem instruant.*

98 *Et puerilis animus, uera ratione in literis ac moribus institutus, deinde ad quamlibet professionem & artem faciendam aptus efficitur.*

99 *Desidia corporum habitus & ocio corrumpitur, gymnasijs uerò & motibus magna ex parte conseruatur.*

100 *Iidem & animæ habitus institutione ac meditatione (qui motus quidem secundum disciplinas sunt) seruatur, euaditq; melior.*

101 *Ocio autem, quod ab omni meditatione disciplinaq; uacatio est, puer non solum nihil discit: uerumetiam quæcunque didicerat, rursum obliuiscitur.*

Quomodo

Quomodo præceptoribus & scholis sit utendum.

102 *At, ut non satis est soli bonitas, nisi accedat & cultor idoneus, & semina: ita non sufficit ingenij fœlicitas, nisi accedat doctor & institutor egregius, & præcepta idonea.*

103 *Itaq; pueri artium liberalium magistros, & uiuēdi præceptores, maximi semper faciant: quòd per illos tum primū humana mens formetur, extra quam à brutis ferè nihil discriminis erat habitura.*

104 *Amabunt ac reuerebuntur eos, uelut alteros parentes: & illis libenter & cum alacritate quadam parebunt: reputantes, quæcunq; præcipiunt, non ad sua illos referre commoda, sed ad discipulorum.*

105 Et *cum illis gratia referri tanta non poßit, quanta debetur: habendam tamen eße iudicent, quantam maximam animi ipsorum capere poßunt.*

106 *Cane peius & angue oderint eam ingratitudinem, qua aliqui pro beneuolenti institutionis commodatione, præceptoribus suis odium aut cōtumaciam rependunt.*

107 *Scholas scitè institutas, pro sapientiæ & pietatis officinis habeant: & eis tanquam præstantißimo* Dei *munere, cum maxima reuerentia, quantum licet, utantur: iudicantes, eas citra grauem*

Dei offensionem contemni aut negligi non posse.

108 *Ne pigeat etiam longo itinere professores utilis doctrinæ sectari. Nam turpe fuerit, cum mercatores tantum pelagi nauibus emetiri non dubitent, quò rem suam augeant: adolescentes nolle terrena & breui uia contendere, ad intelligentiam suam augendam.*

Quid in scholis discendum sit.

109 *Constituant sibi pueri, non hoc tantum in scholis agendum esse, ut eleganter loqui, & scribere discant: uerùm etiam, ut piè & honestè uiuere assuescant.*

110 *Et propterea eos præceptores maximi faciant, qui in scholis suis & bonorum morum, & ueræ pietatis præcepta, pariter cum literaria institutione proponunt.*

111 *Doctrinæ copias, diuitiarum copijs pluris faciant. Hæc enim citò dilabuntur: cum quæ de ingenuis artibus, ac pietatis studio ipsi didicerint, nemo eis auferre poterit.*

112 *Sola enim omnium facultatum sapientia immortalis est, cuius studio nullus in uita terminus statuatur, sed cum uita simul finiatur.*

113 *Semper ergo hæc tria pueri in studijs suis cōiuncta uelint esse: ut discant bene ac piè sapere, disertè dicere, & prudenter agere.*

Quomodo

Quomodo eruditio paranda sit.

114 *Duo sunt quibus eruditio in literis ac peritia parantur, ingenium, & cura, quae eadem studium dicitur.*

115 *Ingenij signa praecipua sunt, memoria & imitatio. Memoriae duplex uirtus est: facilè percipere, & fideliter retinere.*

116 *Imitatio est, qua studemus, cum diligenti ratione, ut aliorum uirtutibus similes euadamus.*

117 *Cura siue studium, est aßidua ac uehemens ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate, occupatio.*

118 *Itaq; puer siue legat ipse, siue quid audiat ex alijs, attentus id faciat, nec uagari mentem interim patiatur: sed illam praesentem adhibeat, ut agat id quod adest, non alia.*

119 *Omnes cogitatus à studijs, quibus tum occupatur, alienos, in aliud tempus differat, ne tempus & operam perdat, dum quae legit aut audit, animo non concipit.*

120 *Nisi enim statim in puero sentiatur animus discendi cupidus, & quasi suspensus de uoluntate magistri: non uagus cogitationibus, non aliud agens, haud unquam bona spes fuerit profectus.*

121 *Et in hoc praecipuam operam ponat puer, ut secundum praelegentis exemplum os suum ad rectitudinem lectionis & pronunciationis fingat:*

gat:

gat: & quoad fieri poteſt, uernaculæ linguæ uitia corrigat.

122 *Quin etiã os ad ſermonem ita aſſuefaciat, ut promptũ ſit, non præceps: moderatum, non lentũ.*

Quomodo ſit legendum.

123 *Iuſſus ſiue ex libro aliquid recitare, ſeu pronunciare memoriter, operam det, ut liquidè, diſtinctè, clarè pronunciet, ne uerba aut orationes confundat.*

124 *Puncta diligenter obſeruet, ut ſecundum eorum diſtinctiones reſpiret: ne ſpiritus crebrius, & non ſuo tempore receptus, ſententiam cõcîdat, aut eò uſq; trahatur ut deficiat.*

125 *Sciat pũctorum uſum nullũ alium eſſe, quàm ut per ea ſententiæ ac orationum partes, ad facilius intelligendum, ac certius pronunciandum, diſtinguantur.*

126 *Punctorum quatuor ſunt ſpecies:* Periodi . Co *li:* Commatis , & Interrogationis ?

127 *Periodus integra ac perfecta ſententia eſt, quæ interdum pluribus, interdum paucioriб. mem bris conſtat.*

128 *Periodi nota eſt, punctum poſitum inter prioris ſententiæ ultimam dictionem, & ſequentis primam, cuius initialis litera maiuſcula fit.*

129 *Colon, ſeu membrum, eſt ſententia per ſe penè perfecta, niſi quod cohæret cum antecedentibus*

aut sequentibus. & nunc pluribus, nunc paucioribus commatibus constat: & notam habet, duo pũcta: ita : posita.

130 *Comma uel incisum, pars membri est, quæ per se sola nullam sententiam perficit, & notatur dimidio circulo ad finem dictionum apposito ita,*

131 *Punctum commatis non tam cessationẽ quàm morulam: coli, cessationem quidem, sed breiusculam: periodi, integram respirationem fieri debere significat.*

132 *Interrogationis nota, est punctum supra se lineolam sursum reflexam habens, hoc modo ?*

133 *Diligenter studeat puer: ut in legendo aut recitando orationes, omnia uerba integrè & perfectè proferat.*

134 *In pronunciando accuratè obseruet cognatarum literarum differẽtias, ne pro uiuo dicat fifo, pro tu thu, pro canto chanto.*

135 *Et credat hanc cognatarum literarum obseruationem necessariò requiri, ad sermonis Latini proprietatem.*

136 *A lectione proximè hoc elaborandũ est puero, ut omnium uocum etymologias, id est, inflectiones & genera certißimè ediscat, ne imperfecta cognitio, erroris metu, extemporariam pronunciationem impediat.*

137 *Perceptis generibus ac inflectionibus dictionum, tum illico scribendi exercitium attentet, primò literarum figuras accuratè pingendo, deinde ex literis syllabas, postea ex syllabis integras dictiones componendo.*

138 *Hoc enim ita statim operæprecium est fieri, ut deinceps annotare poßit, si quid legerit uel audierit dictum festiuè, eleganter, aut prudenter, utile sermoni cotidiano: ut quum usus poscat, habeat paratum.*

139 *Aßidens in ludo ad audiendas prælectiones, semper chartam suam calamumq; in promptu habeat, paratus excipere, si quid notatu dignum audiat.*

140 *Ita enim instructum sedere, signum est animi ad discendum cupidi, & ad memoriæ mandandum studiosi.*

141 *Econtrà, ignauiæ signa sunt, horum nihil habere, sed inter prælegendum capite cubito innixum sedere: ad omnem strepitum, uocem, sibilum circumspicere: parieti aut tecto inhiare, ac oscitare.*

142 *Imò & illi nullam spem sui profectus facere poterunt, qui in scholis nihil agunt simpliciter, apertè, fideliter, & qui nunquam nisi metu officium suum faciunt.*

143 Nam Horatio teste: Bonorum est, uirtutis amore rectè agere: improborũ uerò, formidine pœnæ non peccare.

De ediscendo.

144 Memoriæ quæ præcipiuntur mandari, ediscentur cum diligentia: ita & hæc animi pars rectè exercebitur, & quæ præcepta fuerint, poterunt retineri.

145 Annitatur autem ediscens, ut non tantum singula uerba, sed integras etiam sententias eorũ quæ ediscenda sunt, intelligat. Solet enim sensus animo concœptus, dictionũ quoq; memoriam suggerere & conseruare.

146 Facilimè uerò percipient ac retinebunt quæ ediscunt, si ea secundum Periodos, Cõmata, ac Cola, quasi dinumerabunt.

147 Tum & hoc commodum fuerit, si id quod ediscendum est, de nocte quater aut quinquies attẽtißimè legant, & hinc concedant cubitum. De mane uerò à memoria rationem eius exigant, quod pridie illi crediderunt.

148 Nullũ diem sibi puer abire patiatur, in qua nõ legerit, uel audierit, uel scripserit aliquid, quod aut eruditionem, aut iudicium, aut uirtutem augere poßit.

149 Neq; unquam cubitum eat, priusquam legerit aut audiuerit aliquid, dignum quod memoriæ mandetur,

mandetur, de quo ſalubre ſit ac iucundum per quietem ſomniare, ut etiam noctu diſcat, & fiat melior ac eruditior.

150 *Nemo fœliciter diſcere poteſt, qui nõ ita parcam temporis rationem ſibi conſtituit, ut fruſtra periiſſe iudicet omnem diem in quo nihil didicerit.*

151 *Et qui non perſuaſiſsimum habet, eruditionis cumulum proculdubio maximum futurum, ſi ſaltem cotidie aliquid, quantumlibet etiam id minutum ſit, acceſſerit.*

De transferendo Teutonico ſermone in Latinum.

152 *Iuſsus ſententiam teutonicam in Latinum ſermonem conuertere, ſuo marte ac ſtudio id perficiat.*

153 *Nam qui alienas uerſiones pro ſuis oſtendunt, nõ præceptorem, ſed ſeipſos fallunt: quòd tãto minus, quæ ignorant, doceri poßint.*

154 *Quemadmodum enim morbus non eſt celãdus, ſed coram medico aperiendus, quo ſanari poſſit: ita nec inſcitia tegenda eſt.*

155 *Stilus optimus dicendi magiſter, ſedula ac frequenti exercitatione tractandus & agitandus eſt: quod fiet crebrò ſcribendo, tranſcribendo, ac annotando.*

156 *Hoc enim eſt quod Protagoras aſſeuerauit, nec artẽ ſine exercitio quicquã eſſe, nec exercitiũ ſine arte.*

157 Et Epictetus affirmat, nemině facilè sibi dogma parare posse, nisi quotidie eadē dicat, & audiat, & simul ad uitam accommodet.

158 Componant igitur bis in hebdomade, aut ad minimum semel, epistolas ad alios, qui respōdeant, & eas ostendant institutori emendandas.

159 Etiam plurimum proderit, ex cotīdianis autorum lectionibus argumenta teutonica ita fingere, ut in illis Latinè reddendis, easdem autorum dictiones ac formulas, sed alijs numeris, temporibus & personis reponant.

160 Erit & hæc magna commoditas, Teutonica in latinam linguam uersuro, si latinas loquendi formas ac cōstructiones, qualiter ad teutonicas phrases se habent, diligenter obseruauerit.

161 Est enim & Germanicæ linguæ sua grammatica, sunt & cōstructionis regulæ: quas si quis non obseruet, non minus solœcisabit Teutonicè loquēs, quàm si Latinè.

162 Et qui Teutonicæ linguæ phrases cum Latino sermone accuratè contulerit, is proculdubio latinam grammaticam tum rectius intelligere incipiet, ac certius usurpare discet.

163 Priusquam suum exemplar emendandum præceptori obtulerit puer, ipse singulas orationum partes examinet: ac quasque constructiones ad suas regulas appendat; atque ita ipse sui opuscu-

li

li primus emendator ſemper eſſe ſtudeat.

164 *Ita enim præceptorem ad emendandum, ſi quid errati reliquum incrit, æquiorem & faciliorem habebit.*

165 *Dum aliàs præceptor, ſi nullam diſcipuli in transferendo diligentiam, nullam ingenij ſolertiam uideat, grauatim emendabit ea, quæ ita ineptè & indoctè ſcripta ſunt: ut niſi de integro recudantur, aliter emendari non poßint.*

166 *Viator qui ſemel in ſaxum impegit, aut gubernator qui in rupem, ij non ſolum pòſt horrent eadem, uerumetiam ſimilia: ſic puer de uitio aut errore ſemel admonitus, etiam à confinibus cauebit.*

167 *Attendat igitur puer, ſicubi ſemel errauit ſolœciſmis aut barbariſmis, ut emendatus, iterum aut tertiò idem ne peccet: ſed laboret, ut proficiat emendatio.*

168 *Barbariſmus eſt uſurpatio dictionis aut non latinæ, aut contra latini ſermonis legem uicioſæ ſcriptæ, aut pronunciatæ.*

169 *Vicioſa ſcriptio eſt, cum pluribus aut paucioribus, aut alijs literis dictiones ſcribũtur, quàm lingua Latina fert.*

170 *Solœciſmus eſt, inconueniens & uitioſa conſtructio.*

171 *Et præcipuè decet puerum diligenter memi-*

nisse eorum, in quibus quandoq; errauit, ne eadem rursus eum decipiant. Nam sæpius ad eundem lapidem impingere, improuida stoliditas est.

172 *Contra quam hoc unicum ualde proderit, si quæ discuntur, non satis sit semel percepisse, sed etiam in animi habitũ, multiplici repetitione quodammodo conuertisse.*

173 *Vt enim cibus stomacho innatans, onus est, non cibus, nisi mutatus in uires & sanguinem transeat: ita quæ quis didicerit, quàm diu in memoria tantum hæserint, aliena manent: at si in animum ac ingenium abeunt, tum reddunt eruditiorem.*

174 *Ignorata ne pudeat ab alijs quærere: & nemo erubescat à quouis doceri, quod maximi uiri non erubuerunt: erubescat potius ignorare, & nolle discere.*

175 *Qui uideri uult doctus, is operam det ut sit: nam nulla compendiosior est uia ad eruditionis honorem. Quemadmodum non alia ratione facilius consequemur, ut existimemur boni, quàm si simus tales.*

176 *Immodicè se suaq; iactare, alijs auditu graue & molestum est: nec ulla narratio magis odiosa est, quàm suijpsius laus.*

177 *At ut nihil est facilius quàm audire multa, sic etiã nihil utilius: quare puer semper malit seria, graui & prudẽtia audire, quàm leuia, inepta ac ridicula.*

178 *A studijs omnis arrogantia submouenda est, quòd ea sit obstaculum ac impedimentum profectus.*

179 *Est autem arroganti, amentis elatio, qua quis seipsum, aut satis, aut excellenter, aut plus alijs doctum esse iactat, æstimatúe.*

180 *Quod certè nemo qui stultus haberi nolit, faciet: præsertim cum ea quæ uel doctißimus mortalium nouit, non sint minimum eorum quæ ignorat.*

181 *Tum etiam artes ingenuas non sui ostentandi causa, aut lucrifaciendi, aut popularis auræ colligendi, sed propter utilitatem publicam uitæ humanæ, maximè uerò* Ecclesiæ *Christi, discendas esse, persuasum habeant pueri.*

182 *Quapropter non rectè, neq; fœliciter discit, quisquis ignorat ad quem finem percipiendum sit, quod addiscit: hoc est, qui sua studia aliò quàm ad gloriam* Dei, *& utilitatem proximorum suorum dirigit.*

De repetendo prælectiones in schola auditas.

183 *A schola domum regreßus puer, paulo pòst diligenter pertractet et relegat audita, & quantum fieri potest memoriæ mandet.*

184 *Repetitionis modum ac ordinem talem sibi cõstituat, ut primò auditas interpretationes quàm accuratißimè repetat.*

185 *In qua re, non ut ipsi in mentem quiduis incidit, sed ut à præceptore interpretante quæq; percepit, reddat.*

186 *Repetita præceptoris interpretatione, mox totius textus sententiam ita concipiat animo, ut etiam teutonicè eius summam recitare poßit.*

187 *Deinde singularum orationis partium diligētißimum examen, quantū ad etymologiam pertinet, adhibeat: & de quaq; parte quicquid accidentium ea habet, inquirat.*

188 *Quo facto, tum rectißimè constructionum regulæ sese quasi ultrò aperient: quas ad unguem uniuersas & singulas nouisse operæ precium erit.*

189 *Atqui ita quadruplici modo repetita, etiam de ediscendo nihil tum cogitantis memoriæ ultrò inhærescent.*

190 *Et certè nulla fœlicior commoditas est totius grammaticæ ediscendæ, quàm talis repetitio: quòd ita uelut obiter sæpius repetita, in mentis habitum ueniant.*

191 *Græcam institutionem cum latina coniungendam eße, uel hoc argumēto probabile est, quòd Latinæ grammaticæ appellationes, magna ex parte Græcæ sunt: & citra suæ linguæ cognitionē nequaquam intelligi poßunt.*

De

De disciplina.

192 *Puer bonis artibus ac moribus instituendus, si se uerbis moneri ac corrigi non patietur, uix unquam plagis melior fiet.*

193 *Et tamen præceptores, si uideant ad puerorum feritatem reprimendam, aut ignauiam corrigendam uerberibus opus eße, non patientur ea deferi, ne uideantur conniuere uicijs.*

194 *Inflicta uerbera sic æquo animo ferat puer, ut non solum caueat, ne deinceps iterum meritò sibi sint sustinenda: uerumetiam, ut præceptori pro eis tanquā pro accepto beneficio gratiam habeat.*

195 *Cuius gratitudinis illustre exemplum maiores nostri exhibuerunt, in eo quòd pueros cæsos cogerent, non solum ut data dextra gratias agerent pro acceptis uerberibus, & se postea probiores futuros promitterent: sed etiam, ut uirgas deoscularentur.*

196 *A uerberibus sic sibi rectè cauebit, si ultrò ac uolens suum officium faciet, in discendo ac obediendo: & sic iudicabit turpe esse homini ingenuo, uirgis uapulare.*

197 *Non uolet unquam in aliquo opere aut facto deprehendi, quo pœnam mereatur, aut cuius eum meritò pudeat.*

198 *Ei à quo peccans amicè reprehenditur, se charum eße credat: sciatq; nullam reprehensionem no*

cere

cere poſſe puero ingenuo, quòd reprehenſus per ueram ac meritam emendare ſeſe, per immeritam uerò cauere ſibi poßit.

199 *Imò ut remedia primò quidem mordent & offendunt, poſtea conferunt ſalutem & ſanitatem: ita amicæ reprehẽſiones & ſalubria monita initiò non nihil ſunt amara, ſed poſtea correcta iucundißima fiunt.*

200 *Aßentatoribus aurem ne præbeat, ſed malit aliquem à quo liberè reprehendantur ipſius uitia. At ſi omnino fert ægrè reprehendi, reprehendenda ne committat.*

201 *Pueri diſciplinam etiam hoc nomine magni faciant, quòd* Democritus *dixit, plures diſciplina bonos fieri, quàm natura.*

202 *Et rectiſſimè conſuletur puerorum probitati, ſi neq; parentes, neq; præceptores ad ulla illorum uitia aut peccata conniuent, ſed illicò corrigunt & puniunt.*

203 *Vt enim initia morborum, quamuis leuia, per negligentiam ſerpunt, ac indies ingraueſcunt: ita morum quoq; prauitas, ſi non in tempore corrigatur, indies augeſcit ac increſcit magis.*

204 *Fugitare, latebras quærere, & oculis conſpectuiq; uenientium ſe ſubducere, indicia ſunt animi de peccato ſibi conſcij.*

De

De Latinè loquendo in scholis.

205 *In Latinis scholis, nemini, qui latinos authores interpretari audit, impunè sit, quicquam teutonicè loqui.*

206 *Et quisquis alium teutonicâ loquentē audit, & illum præceptori non indicat, aut saltem de peccato nō obiurgat, is æqualem cum Germano nugatore pœnam luat.*

207 *Ad Latinè loquēdi promptam ac disertam facultatem comparandam nihil efficacius est usu quotidiano, ac frequenti exercitatione.*

208 *Quantum autem usus & exercitatio quotidiana ad discendas linguas faciant, pueri facilè intelligent ex eo, quòd lingua Italica, Gallica, Bohemica, & similes, intra biennium solo usu, absque omni præceptione Grammaticæ, perdisci solent.*

209 *Plurimum uerò ad latinè loquendum conducit, ex singulis prælectionib. authorum excerpere & annotare commodiores formulas, quas deinde, sicubi usu ueniat, in loquendo usurpent.*

210 *In qua re Terentij comœdiæ primas habent, quarum elegantia & facilitas in teneris annis imbibita, mira fœlicitate latinè loquendi facultatem adiuuabit.*

211 *Quicquid ocij in uita suppetit, istud discendi audiendiq; studio impendat puer. Ita enim & facilè &*

cilè & certè perdiſcet, quæ alij maximo labore inuenerunt.

212 *Nec patiatur ſe per ullam difficultatem aut moleſtiam à ſtudio literario deterreri.*

213 *Meminerit potius ueteris illius ſententiæ, qua elegantiſſimè dictum eſt: radicem ſtudij literarij ualde amaram eſſe, fructus uerò dulciſſimos.*

214 *Amarum equidem eſt, ſeueriori diſciplinæ præceptorum ſubeſſe: tot legibus ſcholaſticis obnoxium teneri: tantum operæ & laboris in ediſcẽdis rudimentorum præceptis inſumere, obiurgari, uirgis cædi.*

215 *Sed amarius hoc multo eſt, pauperculis literarum ſectatoribus emendicato pane uiuere: nudoś hyemis & tempeſtatum moleſtias perferre: uulgò paſſim contemni, & ludibrio haberi ab idiotis.*

216 *At per tantam rerum difficultatem, ad eum honorem euadere, ut uirtutis præſtantia & eruditionis excellentia, admirationi ſis omnibus, & quàm plurimis prodeſſe poſſis: iſte uidelicet eſt fructus rei literariæ dulciſſimus.*

217 *Vt autem prius quàm aſſueuimus, multa nos in rebus offendunt, quæ poſtea aſſuetis ſunt iucunda: ſic & in literis prima illa tædia perferenda ſunt, donec uſu fiant facilia, iucundaq́;.*

218 *At ſi quis duriore ingenio ſibi uidetur eſſe, quàm*

quàm ut citò & facilè multa discere poßit, nec sic à studio literario recedere uelit.

219 Sed cogitet, nihil tam difficile eße, quod assiduus & improbus labor euincere non poßit.

220 Vt enim nulla bestia tam fera esse potest, quæ non mansuescat cura: ita nullum ingenium tam agreste & durum, quod institutione non mitescat.

221 Imò ut nullus equus sessori suo rectè paret, nisi arte domitus: ita nullum ingenium, suapte natura ferox, nisi præceptis & educatione cicuretur.

222 Et plerumq; multo firmius ac diuturnius tenentur, quæ tardius & cũ maiori difficultate perdiscuntur, quàm quæ citò ac facilè.

223 Quemadmodum etiam uascula, quæ longius collum, & angustius os habent, liquorem difficilius recipiunt, sed tenacius retinent.

224 Nec etiam hoc quenquã malè habeat, si non quotidie suæ eruditionis incrementa, quanta facta sint, sentiat: aut si rei literariæ studium, longißimi temporis negotium eße uideat.

225 Quemadmodum enim fruticem aut herbam creuiße apparet, non apparet crescere: ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, non quouis momento, sed ex interuallo cognoscendus est.

226 Et non falletur, quin suæ eruditionis certum

tum & magnum profectum per tempus sensurus sit, quisquis nullum diem amittet, quo non aliquid, quod utile possit esse, didicerit.

TERTIA PARS INSTITVtionis puerilis.

227.

IN *tertio loco puerilis institutionis, officia uitæ honestæ & mores ciuiles ponuntur: quorum ratio ex officijs Ciceronis petenda erat.*

228 *Sed cum triuialium scholarum pueri, exactiorem illam officiorum tractationem satis assequi nequeāt, ad ipsorum captum hic accommodationem fieri oportet.*

229 *Et fortasse consultius erit, puerilem ætatem secundum* Decalogi *præcepta uitæ officia doceri.*

230 *Vt quæ ipsi nullo suæ rationis iudicio discernere possunt, saltem ex* Dei *uoluntate, ut ea in* De*calogo declarata est, facienda fugiendaq; perdiscant.*

231 *Pueri officiorum suorum rationem totam in hoc consistere sciant, ut sese erga proximos suos, adeoq; omnes homines ita gerant, ut maximè decet eos qui piè & honestè uiuere cupiunt.*

232 *Et hanc unicam ac summam uirtutem, etiam in ciuilibus officijs esse credant, ut uerbo* Dei *obediant, et uitam suam secundum* Decalogi *præcepta quàm rectißimè instituant.*

233 *Est autem hæc summa Decalogi, ut homines ita se inuicem diligant, ut quod quisq; sibi ab alijs maximè fieri cupiat, ipsum itidem alijs faciat.*

234 *Et quod quisq; ab alijs sibi fieri nolit, ut istud ipsum in neminem alium committat.*

235 *Christiani igitur ea tantum pro honestis habeant, cupiant, studeant, quæ* Deo *placere & probari sciunt: turpia autem iudicẽt, quæcunq; uerbo* Dei *prohibentur.*

236 *Nam ipse Christus ait suis discipulis, id est,* Christianis, *nihil honestius, nihil decentius esse, quàm si se inuicem diligãt, ac mutuis beneficijs demereantur.*

237 *Est ergo honestum, ad quod pueri instituendi sunt, mutua dilectio hominum inter se, propter Christum: qua nemo alteri nocere, quisq; uerò omnibus prodesse maximè studeat.*

238 *Similiter hoc solum utile intelligãt esse, quòd promißam à* Deo *benedictionem habet: qualia sunt omnia opera, consilia, cogitationes, quæ ex fideli, &* Deum *timente corde proueniunt.*

239 *At quæcunq; sine fide & absq; respectu uerbi* Dei *fiunt, ea non tantum inutilia, uerum etiam peccata eße iudicent.*

240 *Et hæc de uirtute, honesto, et utili, pueris scire satis esto. Secundũ quæ deinde omnia, tum sua tũ aliorum studia, negotia, dicta, factaq; æstimabunt.*

tum & magnum profectum per tempus sensurus sit, quisquis nullum diem amittet, quo non aliquid, quod utile poßit esse, didicerit.

TERTIA PARS INSTITVtionis puerilis.

227.

IN *tertio loco puerilis institutionis, officia uitæ honestæ & mores ciuiles ponuntur: quorum ratio ex officijs* Ciceronis *petenda erat.*

228 *Sed cum triuialium scholarum pueri, exactiorem illam officiorum tractationem satis assequi nequeāt, ad ipsorum captum hic accommodationem fieri oportet.*

229 *Et fortasse consultius erit, puerilem ætatem secundum* Decalogi *præcepta uitæ officia doceri.*

230 *Vt quæ ipsi nullo suæ rationis iudicio discernere possunt, saltem ex* Dei *uoluntate, ut ea in* Decalogo *declarata est, facienda fugiendaq; perdiscant.*

231 *Pueri officiorum suorum rationem totam in hoc consistere sciant, ut sese erga proximos suos, adeoq; omnes homines ita gerant, ut maximè decet eos qui piè & honestè uiuere cupiunt.*

232 *Et hanc unicam ac summam uirtutem, etiam in ciuilibus officijs esse credant, ut uerbo* Dei *obediant, et uitam suam secundum* Decalogi *præcepta quàm rectißimè instituam.*

233 Est

233 *Eſt autem hæc ſumma* Decalogi,*ut homines ita ſe inuicem diligant, ut quod quiſq; ſibi ab alijs maximè fieri cupiat, ipſum itidem alijs faciat.*

234 Et *quod quiſq; ab alijs ſibi fieri nolit, ut iſtud ipſum in neminem alium committat.*

235 Chriſtiani *igitur ea tantum pro honeſtis habeant, cupiant, ſtudeant, quæ* Deo *placere & probari ſciunt: turpia autem iudicēt, quæcunq; uerbo* Dei *prohibentur.*

236 *Nam ipſe* Chriſtus *ait ſuis diſcipulis, id eſt,* Chriſtianis, *nihil honeſtius, nihil decentius eſſe, quàm ſi ſe inuicem diligāt, ac mutuis beneficijs demereantur.*

237 *Eſt ergo honeſtum, ad quod pueri inſtituendi ſunt, mutua dilectio hominum inter ſe, propter* Chriſtum: *qua nemo alteri nocere, quiſq; uerò omnibus prodeſſe maximè ſtudeat.*

238 *Similiter hoc ſolum utile intelligāt eſſe, quòd promiſſam à* Deo *benedictionem habet: qualia ſunt omnia opera, conſilia, cogitationes, quæ ex fideli, &* Deum *timente corde proueniunt.*

239 *At quæcunq; ſine fide & abſq; reſpectu uerbi* Dei *fiunt, ea non tantum inutilia, uerum etiam peccata eſſe iudicent.*

240 Et *hæc de uirtute, honeſto, et utili, pueris ſcire ſatis eſto. Secundū quæ deinde omnia, tum ſua tū aliorum ſtudia, negotia, dicta, factaq; æſtimabunt.*

241 Vt tanto meliora iudicent ea, quãto propius ad hanc uirtutem accedunt: & rursus tanto peiora, quanto longius ab eadem recedunt.

242 Et sic operæprecium uidetur, pueros de uirtute, honesto, turpi, utili, inutili docere: ut etiã ea quæ ciuilia sunt, secundum uerbum Dei instituere ac æstimare consuescant.

243 Porrò etiam ad hoc assuefaciendi sunt pueri, ut à teneris annis suorum affectuum certum discrimen obseruare discant, quòd ij aut rationales esse solent, aut rationis expertes.

244 Ergo quòd ad ipsorum animos pertinet, sciant, duplicem eorum uim esse.

245 Vnam, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendum'ue sit, qua intelligunt, meminerint, sapiunt, ratione, iudicio, ingenio utuntur, & ualent.

246 Et pars superior est, & proprio nomine mens seu ratio appellatur, propter quam homines uocamur, & qua cæteris animantibus præstamus.

247 Altera pars in appetitu posita est, quam Græci ὀρμὴν uocant: quæ hominem huc & illuc rapit, per uarios affectus, arrogantiam, inuidentiam, iram, metum, mœrorem, stulta gaudia, & similia.

248 Et hæc pars inferior atq; abiectior nuncupatur,

tur, quòd rationis expers sit, qua nihil à beluis differimus, & quàm longißimè à Deo discedimus, extra omnes eiusmodi affectiones posito.

249 Ratio mentis oculus est, nusquam non circumspiciens, quid honestum aut quid turpe sit in rebus: ut hoc ubiq; deuitet, illud uerò sequatur.

250 Appetitus, cæcus & luminis penitus expers est, solius iucundi & molesti sensu ceu manu duci solitus: mollibus semper adrepens, à duris uerò resiliens.

251 Aßuefaciendus igitur est appetitus, ut rationi, ueluti equus seßori, pareat: ut nihil iucundum, quod non idem honestum: neq; quicquam molestũ, quòd non idem turpe sit, existimetur.

252 Nam ni ita fiat, sæpißimè accidet, ut in officijs præstandis affectiones illæ bestiales rationem opprimant, & secum pessum rapiant.

253 Cuius rei plurima exempla quotidie pueri habere poßunt, in ebrijs, adulteris, homicidis, furibus, & similibus: qui certè tales non eßent, si rationem bestiales illæ affectiones non opprimerent.

De pietate erga parentes.

254 Secundum Deum præcipuum honorem ac obedientiam pueri parentibus exhibeant, tũ quòd illis & corpora sua, & uitam debent: tum quòd illorum curis & laboribus aluntur, & educantur.

255 *Maximè uerò, quòd Deus ipse eos honorari ita seuerè præcepit, ut etiam minitetur, ad iustam ac maturam ætatem haudquaquam peruenturos eos, qui parentibus suis debitum honorem obediendo ac reuerendo non præstiterint.*

256 *Ritè colunt & honorant parentes suos, qui non solum præceptis ac iußis ipsorum parent, uerum etiam uirtutis ac pietatis studio illos oblectare, ac eis certam de sua probitate spem facere summopere conantur.*

257 *Econtrà uerò grauißimo dolore ac ignominia suos parentes afficiunt, qui rectè monitis parere recusant, uirtutis ac pietatis studia negligunt, & ex sua tantum libidine uiuere malunt.*

258 *Et qui frugi sunt liberi, ij uel uerbulo parētes offendiße pro piaculo ducent: & quoquo modo offensos statim commoditate sua placantes, reconciliabunt: nec irascentur, si quando uirgis ab illis castigati fuerint.*

259 *Quinetiam cogitabunt olim suos quoq; liberos erga se tales futuros, quales ipsi nunc erga parentes suos se gerunt.*

260 *Proximè parentes tutoribus, præceptoribus, uerbi ministris, magistratibus, item & alijs eruditione, senio aut prudentia præstantibus uiris, dignam reuerentiam debere se sciant.*

Quomodo

Quomodo pueri se in quibusque rebus agendis gerent.

261 *Quicquid uerò agendum est, siue suarum seu alienarum rerum, semper annitetur, ut omnia faciat meditatè, strenuè, accuratè, grauiter: nō te-rè, oscitabundè, negligenter, præposterè.*

262 *In suis priusquàm quicquā dicere facere' ue incipit, hoc saltem cogitet, num laudabile sit, atq; hoc ex præceptis magistrorū suorū exquiret.*

263 *Laudabilia fidenter aggrediatur, à turpibus incitatam cupiditatem suam refrenet. In dubijs tantisper contineat se, dum quid rectè fiat, constitutū, certumq; habuerit.*

264 *In pueris pariter & segnities & festinatio uiciosa est: hoc est, si aut somniculosè omnia, aut nimis concitatè & turbulentè dicant, atq; faciant. At medium tenere, laudabile est.*

265 *Qui ad omnia feruntur, ut quæq; subeunt animum & cupiditatem, ij nunquam non peccant, etiam cum fortè non uiciosissimè cecidit, quod egerunt: nam temeritas semper uicio datur.*

266 *In alienis negotijs, uti singula mandata recipit, ita quàm diligentissimè perficiat, plus minusue nihil faciat: hoc enim modo securius aget omnia, & non facilè peccabit.*

267 *Inseruiat omnibus libenter et studiose, promptitudine animi, & facilitate maxima. habet enim*

hoc eximiam in pueris laudem.

268 *Valde uerò proderit pueris, aliquē sibi proponere, cuius uitam moresq́; probari sciant, quem imitentur & sequantur, cuiusq́; se similes esse uelint.*

269 *Itidem & in rusticos, ac aberrantes à decoro uitæ & morum, intuebuntur: & studebunt deformitate, quam in illis animaduertunt, carere.*

270 *Vanitatem & leuitatem prorsus à se abesse uelit, neq; oculis neq; auribus, multo minus uerò manibus aliena captabunt.*

271 *Curiosis & auscultatoribus, & inhiantibus ijs quæ ab alijs dicuntur ac fiunt, nemo est qui non meritò irascatur.*

272 *Quare ne facilè accedant, sicubi duos aut plures inter se colloquentes uident: sed secedant quodammodo, & nolint alienis colloquijs aut negotijs se immiscere, priusquam aduocentur.*

273 *In societatem, aut familiaritatem suam neminem facilè admittat puer, de cuius moribus ac probitate nihil antè compertum habuerit.*

274 *Oportet enim in admittendis alijs ad familiaritatem, cunctatiorem & circumspectiorem esse: in retinendis uerò semel admissis, constantiorem.*

275 *Malorum ac improborum consuetudinem non*

non secus atq; ictos peste deuitet. Vtrinq; enim me tuendum est contagium.

276 *Nihil rerum omnium pulchrius atq; decentius arbitretur mundicia, pudore, probitate, temperantia: quòd his uelut fundamento, mores honesti nitantur.*

277 *Nunquam quicquam flagitiosum aut turpe in se admittat, quia clam fore speret. Nam ut maximè alios celare poßit, tamen ipse sibi semper conscius erit facti praui.*

278 *Ad summam, in omnium rerum actionibus ita agat, tanquam ante omnium hominum, imò etiam ipsius* Dei *oculos uersetur: nihilq; putet ita occultari poße, ut non aliquando conspicuum futurum sit.*

De conuersatione æqualium, & mutua ipsorum dilectione, & concordia seruanda.

279 *Sathan nulla alia re hominibus infeßtior ac infensior est, quàm ut simultates, odia, inimicitias ac discordias inter eos excitet.*

280 *Nimirum quòd his ita excitatis, deinde quicquid aliorum scelerum est, sponte sua, ceu colluuione quadam, coincidat.*

281 *Nam ubi nulla dilectio proximi est, ibi furta, fœnerationes, cædes, spoliationes creberrimè fiunt: & facilè læditur, quisquis non amatur.*

282 In primis igitur pueri statim ab incunabulis eò instituantur, ut simultates, odia & discordias, pro præsentissimis Sathanæ technis habeant, ac execrentur.

283 Quibus non tantum nos in hac uita pessundare, uerum etiam ab expectatione illius futuræ æternæ, totos retrahere, malignissimus hostis molitur.

284 Nouit enim certissimè nocentissimus calumniator, homines talem erga se Deum semper habere, quales ipsi erga proximos suos fuerint.

285 Hoc est, Deum neminem amare posse, nec saluare uelle, qui proximum suum oderit, aut inimicitias cum eo gesserit.

286 Amabunt igitur pueri omnes homines etiã ignotos, imò inimicos quoq;: omnibus bene cupient, & nemini malè uolent.

287 Hoc enim modo paci, concordiæ, & communi omnium saluti studentes, ipsi sibi testes erunt, se ab eo spiritu duci ac regi, qui pacis, concordiæ & dilectionis author est.

288 Cũ econtrà qui rixantur, oderunt, inuident, lædunt, nocent: mali spiritus sese mancipia esse, & ab illo se quólibet trahi, sibijpsis testes sunt.

289 Credant se ad societatem & concordem uitæ communionem creatos esse à Deo, ad quam conseruandam etiam natura legem fixit, ut ne quis alteri

teri faciat, quod ab alio sibi nolit fieri.
290 Tum etiam Christus unicam nobis legem sanciuit, toti uitæ nostræ sufficiẽtem: scilicet ut nos inuicem amemus. significãs, nullis alijs legibus opus esse ijs, qui se mutuò diligunt.
291 Nã ubi hoc ita fit, ibi nemo alteri quærit præferri, nemo inuidere, nemo nocere: nemo litem mouere, nec aliquid rapere. Quod amans sua quoq; censeat eße, quæcunq; eius sunt quem amat.
292 Cum autem Christus uniuersum genus hominum morte sua sibi asseruerit, tantoq; precio de seruitute diaboli redemerit: nemo ausit contemnere, nemo lædere animam, quam ita Dominus amauit, ut nihil cunctatus sit pro illa suũ sanguinem effundere, & uitam impendere.
293 Pro uniuersis crucifixus est Dominus, et pro singulis. Quare nemo putet forè Christo rem gratam, si oderit, quem ille amat. Et turpe fuerit, nolle illum fratrem habere, quem Deus non dedignatur filium sibi esse in Christo.
294 Imò Christus sibi hanc gratiam uult referri: quemadmodum ipse nos seruos nequam & peßimè meritos amauit, ut ita & nos conseruos nostros amemus.
295 Atq; ita dilectionem proximorũ certißimum ueræ pietatis argumentum constituit, ut non solum non Christianus, uerùm etiam homicida iudican-

dus sit, quisquis fratrem suum odio habet.

296 *Ergo puer, qui Christianus esse uelit, neminem odio habeat, diligat omnes, etiam inimicos. Et licet indigni hi sint qui amentur, tamen propterea amandos esse censeat, quòd Christus dignus sit, cui in amando illos obediat.*

297 *Qui pacem & concordiam student inter homines uel conciliare, uel sartam tectam cõseruare, ij uerè pacifici sunt: &, Christo teste, filij Dei uocabuntur.*

298 *Qui uerò discordias serunt, & charitatem hominum inter se rescindunt, ij filij diaboli iudicentur, & ab omni bonorum cõuersatione excludantur.*

De reconciliando offensos.

299 *Si quem sciat puer iniquo aut infenso in se esse animo, nullum laborem aut operam refugiat, dum illum quacunq; ratione leniat, & placet sibi.*

300 *At in reconciliandis à se offensis, neq; pudore ullo se deterreri patiatur: neq; precibus neq; obsequio parcat, saltem ut sibi gratiã omnium paret, & ut à nemine ullius illatæ iniuriæ, aut non reconciliatæ meritò accusari poßit.*

301 *Ita enim Christus seuerè præcepit, ut non prius offeramus Deo munera nostra, quàm offensum peccato nostro proximum nobis reconciliauerimus.*

302 Porrò

302 *Porrò libenter & ipse condonet ac remittat offensam offensori, reconciliationē flagitanti.*

303 *Nam Christus ita ait: Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater cœlestis errata uestra. Si uerò non remiseritis uos alijs, neq; pater cœlestis uobis remittet.*

304 *Nullius infortunium irrideat: non ignarus, quòd uni alicui accidit, posse cuiuis accidere: sed agat potius* Deo *gratias, quòd ipse extra malā sortem positus fuerit.*

305 *Crudelis animi est, alienis malis gaudere, & non miserari communem naturam.*

306 *Amori hominibus debito, nihil congruentius, quàm ad uirtutem instigare, & quàm plurimos bonos reddere.*

307 *Econtrà nihil damnosius ac deterius, quàm uel suasibus, uel exemplo, uel ullo incitamento alio alios deprauare, & malos reddere*

De patientia.

308 *Ab aliquo iniuriam passus, in illum ne reijciat iniuriam, neq; suis manibus ultionem de quo quam sumat.* Nam *priuata ultione, tum in* Deum, *tum in magistratum peccatur.*

309 *Nihil est iucundius & dignius homine libero, quàm æquo animo ferre posse, immeritò con uiciantem.*

310 *Rursum nihil indignius hominis natura, q̄ ni bil*

nihil posse pati: sed ad omnem quātumlibet leuiusculam iniuriam statim excandescere, & in furorem agi.

311 At qui seipsum uincere potest, is facilè et absque negotio quasuis ab alijs acceptas iniurias ferre poterit.

312 Iudicet autem multo satius ac fœlicius esse, iniuriam accipere, quàm facere: decipi, quàm decipere. Quemadmodum & ignoscere, generósi animi est: iram retinere, atrocis, sæui & abiecti.

De sermone & colloquijs.

313 Puero apud seniores nunquam loqui concessum sit, nisi aut interrogatus fuerit, aut meliora silentio sint, quæ loqui uelit.

314 Meliora silentio hæc sola sunt, quæ de rebus indubiè perspectis, et aliquo modo necessarijs, proferuntur.

315 Apud seniores aut digniores locuturus, singulari modestia ac reuerentia id faciat: caput aperiat, et ad quasq; honoris appellationes genu dextrum, alteri nōnihil præpositum, modicè inflectat.

316 Semper & apud quosq; cautè ac meditatè loquatur omnia. nam temeritas plurimis obfuit, incogitantia uerò etiam ueritatis studiosos interdum uanos facit.

317 Lenis & sedatus sit sermo, non clamosus, ut agricolarum solet esse: nec tam pressus, ut is ad

quem

quem sermo fit, satis audire nequeat.

318 *Ita loquax ne sit, ut apud alios solus audiri uelit: neq; ita taciturnus, ut uel interrogatus mussare non desinat.*

319 *Nam ut maiorum sermones interpellare, aut præuertere, fatuitas est: ita ad illorum interrogata nihil respondere, stupor.*

320 Laudabile quidem silentium est: *sed sermo laudabilior, si quis eo rectè sciat uti. quod in pueris uix unquam euenit, propter imperitiam et mentis infirmitatem.*

321 Rogatus *ab aliquo, tum demum respondeat, cum finem dicendi fecerit interrogator, non interrumpet sermonem.*

322 Nec *respondeat antè, quàm qua de re agatur satis intellexerit: & quid ille cui respondeat, dixerit, senseritq;.*

323 Quod *tum fiet, si non temerè, neq; subitò respondebit: sed cum ea, quam puerilis ætas fert, cogitatione & modestia.*

324 *At ut puerilis ætatis nulla exquisita cogitatio sit, tamen attentio quædam esse potest earũ rerum, quarum præcepta & doctrina in scholis traduntur.*

325 *Pueri loquaculi ferè & uani sunt, etiam cum illa promptitudo sermonis aliquid habet quasi elegantiæ. Nã facilimè fit, ut mentè lingua præuertat.*

326 *Puer semper malit plura audire quàm loqui. apparet enim etiam naturã hoc ita uoluisse, quòd saltem unicam linguam homini dederit, aures uerò binas: scilicet, ut duplo plus audiat, quàm loquatur.*

327 *Est & alterum argumentum, quo natura silentij utilitatem commendare uoluisse uidetur: uidelicet, quòd linguam tam duro dentium sepimento incluserit, ac insuper geminis labris, quasi aggere quodam circumuallauerit.*

328 *Nullum enim totius corporis membrum ad peccandũ facilius ac procliuius est, quàm lingua: quare maximo studio frenanda ac cohibenda est, ne uel alijs noceat, uel sibijpsi.*

329 *Qui cursu nimium incitato fertur, is sistere sese non potest ubi uult, sed longius effertur quàm uelit: sic qui in loquendo nimis uehemens est, is plerunq; etiam ad non dicenda temerè rapitur.*

330 *Ad omnem rem iudicio mentis opus est: quæ si uerba non direxerit, sæpius ante consultationem effugiunt: & tanto uallo neglecto, citra iudicium ante tempus forâs ruunt.*

331 *At ut procliue non est, auem è manu semel amissam recipere: ita nec dictum, semel ab ore profectum.*

332 *Porrò qui intempestiuè cantilenam musicam instituit, quamuis doctè cecinerit, tamen non approbatur,*

probatur, sed crimen stultitiæ incurrit.

333 *Ita etiam in loquendo, nisi quis occasionis modũ obseruauerit, uix unquam laudabilia dicet.*

334 *Et non minor est ars scire, ubi & quando tacendum sit, quàm ubi & quando loquendum.*

335 *Quare Isocrates à quodam Careone linguaci homine, et in disciplinam eius recipi petente, duplicem mercedem postulauit. illi uerò causam interroganti, dixit: alteram quidem peto, ut loqui te doceam, alteram, ut tacere.*

336 *Ad reprehendendum alios ne sit facilis, multò minus uerò acerbus aut atrox.*

337 *Hoc unum autem diligentißimè semper curet, ne ipse in se quicquam habeat, quod alij meritò reprehendere poßint.*

338 *Nemini conuiciũ faciet puer, neminem exe cretur, etiam si laceßitus sit, aut læsus: magis enim sese & apud Deum & apud homines cordatos effreni maledicentia lædet, quàm illũ cui maledicit.*

339 *Lasciuiam & spurciciem in sermone non minus oderit, quàm uenenum in cibis. ex ore enim iudicatur cor: & quemq; talem affirmamus esse, qualia sunt quæ loquitur.*

340 *Ergo si de rebus friuolis aut molestis loqui debet puer, breuiter ea perstringat, & ad cõmodio*

ra

ra properet, ac quasi transiliat.

341 *Quemadmodum ij solent, qui per loca spinosa ingredientes, suspensis gradibus incedunt, & à minus tutis locis, ad magis tuta, quasi intentato saltu transiliunt.*

342 *Nec os tantum à turpibus cohibeat, sed etiam aures: quòd ueteri prouerbio, prauæ confabulationes probos mores corrumpunt.*

De non iurando.

343 *Iurare nullo modo consuescat: nec* Deum *suis dictis aut factis testem adducat, nisi coactus rei magnitudine ac dignitate: nec tamen id immodestè, aut inuerecundè.*

344 *Detestationes, ac dirarum imprecationes, per nomen* Dei, *per paßionem, uulnera ac mortem* Christi, *non tantum ipse non faciet: sed etiam ubicunq; ex alijs eiusmodi audiuerit, tanquam impijßimam blasphemiam abhorreat: imò diabolum ipsum ex hominis ore maledico loquentem iudicet, & detestetur.*

345 *Nunc uulgò leuiusculum peccatum putatur eße, si quis* Dei *nomen subinde etiam inter familiariter loquendum, non ex ulla neceßitate, sed sola consuetudine usurpet, manifesto nimirum errore.*

346 *Certißimum enim est, etiam leuiusculas has nominis* Dei *usurpationes lege diuina probibitas eße: & eum qui per* Deum *ita iurat, sanctißimum*

ac

ac summum iusiurandum dare: uidelicet tanto grauiore peccato, quanto causa leuior existit.

De pudore.

347 *Morum institutio potissimum pertinet eò, ut quicquid fiet, diceturúe, semper habeat in sese prudentem modestiam, ordinemq́; agendi conuenientem, ubiq; obseruato decoro ac pudore.*

348 *Pudor, habitus est cauendi & prouidendi, ne quid tale cõtingat, ut sit erubescendum: omni quidem ætati congruens, sed ornamentũ præcipuum adolescentiæ.*

349 *Et nihil laudabilius est, neq; melius ad spem bonam in puero, quàm uerecundia: quòd ea sit tãquam fundamentum uirtutis: & quòd absq; ea in literis nemo facilè ad frugem perueniat.*

350 *Rursus nihil dici potest deformius, aut detestabilius, quàm immodesta impudentia. & desperanda illius salus est, quem desijt pudere malefacere.*

351 *Cui perfricta frons est, nec amplius erubescit, is ad quoduis scelus perpetrandum procliuis fit. Nam impudentia ad omnem turpitudinem dux est.*

352 *Omnes humanæ res natura consenescunt, & ad finem temporis ueniunt, præter solam impudentiam, quæ quotidie accrescit magis.*

353 *Decet autem pueros & ore, & lingua, & animo pudentes esse: & id modestè ac temperatè,*

ne immodicus pudor stuporem adducat, aut ut de liranti similem reddat.

354 *Immodestum ac rusticum pudorem nihil rectius temperat, quàm si uiris grauitate praecellentibus conuersentur pueri, ac* Comœdijs *agendis, seu* Dialogis *memoriter recitandis saepius exerceantur.*

De cauendo mendacio.

355 *Veritas praecipua conseruatrix est, non solum bene moratae, sed etiam uerae, beatae & sapientis uitae: sine qua nihil neque probum, neque prudens, neq; liberale existere potest.*

356 *Econtrà mendacium res omnium turpissima: & nihil est abiectius homine mendace. Cum enim aliorum uiciorum homines nihilominus ad honestatis officia adhibeantur, solus mendax nusquam neque gratiam, neque authoritatem ullam meretur.*

357 *Est autem sermo mendax, qui quae nõ sunt esse, & contrà, quae sunt, non esse pronunciat.*

358 *Assuescat itaq; puer abhorrere à mendacio, tanquam à corruptela quadam: & semper habeat linguam cordi consonantem.*

359 *Nibil nisi quod rectum, uerum ac simplex sit loquatur: & meminerit, semel deprehenso mendaci, deinde neminem facilè credere, etiam si uerissima dixerit.*

360 *Veritati cognitæ nunquam quicquam contrà dicat: imò etiam errores aliorū interdum dissimulet, si eiusmodi sint, ut pietati ac morum probitati nihil noceant.*

361 *Si quid promiserit, præstet, saltem ut suam fidem alteri obligatam soluat: at nihil promittat, nisi quod facilè præstare poßit.*

362 *Nemini quicquam polliceatur, de aliena ope operaúe: multo minus uerò in se recipiat, quod per alios, quos in sua potestate nō habet, fieri debet.*

363 *Ad operam enim suam alteri dandam, non quiuis satis firmus est: & pauci sunt, qui constanter amant.*

364 *Ex quo sæpe euenire solet, ut aliquis etiam ab ijs parum curetur, quos sui amantißimos, & sibi fidißimos esse putat.*

365 *Postremò ita iudicet, eum in numero bonorum censendum non eße, qui mentiri & fallere uel paululum modò induxit animum: ut licere sibi putet, aliud sentire aliquando, & aliud loqui, & habere linguam à corde discrepantem.*

Quatenus simulatione mendacioq́ue utendum sit.

366 *Et ut liceat nonnunquam mentiri, aut simulatione saltem ioci causa uti, cum non fraus fuerit, sed lusus: tamen & ipsum parcè & molliter fiat, ut ne lædat eum cui uelis illudere.*

ne immodicus pudor stuporem adducat, aut ut deliranti similem reddat.

354 *Immodestum ac rusticum pudorem nihil rectius temperat, quàm si uiris grauitate præcellentibus conuersentur pueri, ac Comœdijs agendis, seu* Dialogis *memoriter recitandis sæpius exerceantur.*

De cauendo mendacio.

355 *Veritas præcipua conseruatrix est, non solum bene moratæ, sed etiam ueræ, beatæ & sapientis uitæ: sine qua nihil neque probum, neque prudens, neq; liberale existere potest.*

356 *Econtrà mendacium res omnium turpissima: & nihil est abiectius homine mendace. Cum enim aliorum uiciorum homines nihilominus ad honestatis officia adhibeantur, solus mendax nusquam neque gratiam, neque authoritatem ullam meretur.*

357 *Est autem sermo mendax, qui quæ nō sunt esse, & contrà, quæ sunt non esse pronunciat.*

358 *Assuescat itaq; puer abhorrere à mendacio, tanquam à corruptela quadam: & semper habeat linguam cordi consonantem.*

359 *Nibil nisi quod rectum, uerum ac simplex sit loquatur: & meminerit, semel deprehenso mendaci, deinde neminem facilè credere, etiam si uerissima dixerit.*

360 *Veritati cognitæ nunquam quicquam contrà dicat: imò etiam errores aliorũ interdum dissimulet, si eiusmodi sint, ut pietati ac morum probitati nihil noceant.*

361 *Si quid promiserit, præstet, saltem ut suam fidem alteri obligatam soluat: at nihil promittat, nisi quod facilè præstare poßit.*

362 *Nemini quicquam polliceatur, de aliena ope operaue: multo minus uerò in se recipiat, quod per alios, quos in sua potestate nõ habet, fieri debet.*

363 *Ad operam enim suam alteri dandam, non quiuis satis firmus est: & pauci sunt, qui constanter amant.*

364 *Ex quo sæpe euenire solet, ut aliquis etiam ab ijs parum curetur, quos sui amantißimos, & sibi fidißimos esse putat.*

365 *Postremò ita iudicet, eum in numero bonorum censendum non eße, qui mentiri & fallere uel paululum modò induxit animum: ut licere sibi putet, aliud sentire aliquando, & aliud loqui, & habere linguam à corde discrepantem.*

Quatenus simulatione mendacioq; utendum sit.

366 *Et ut liceat nonnunquam mentiri, aut simulatione saltem ioci causa uti, cum non fraus fuerit, sed lusus: tamen & ipsum parcè & molliter fiat, ut ne lædat eum cui uelis illudere.*

367 *Simulatio seu illusio, quæ scitè, aptè & citra offensionem fit, condimentum est nonnunquam sodalitij & familiaritatis.*

368 *Et melius est adolescentem comem & hilarem esse, quàm austerum, tetricum & difficilem.*

369 *Scita & probabilis simulatio est, qua recti honestiq; imitatio fingitur: econtrà turpißima, qua scurrarum gestus, turpia dicta factaque repræsentantur.*

370 *Postremò, nullæ unquam leges mentiri cuiquam concesßere, nisi fortè ueritatis studiosis ac prudentibus uiris: qui, quo tempore, quoq; modo, natura mendacij non soleat obesse, intelligant: & necessariæ commoditatis causa, mendacium sequuturæ, id faciant.*

De arcanis.

371 *Puer caueat, ne quid faciat, dicatúe, quo securus, aut extra periculum non sit, nisi celetur.*

372 *Vix unquam enim quicquã ita clàm & procul ab omnibus testibus peccari potest, quod non tempus aliquando in lucem protrahat ac publicet.*

373 *Et si nemo alius sit, qui facere indicium de alterius scelere poßit: tamen uel ipsius autoris uultus illud clam eße non sinet, sed prodet utiq;.*

374 *Aut, si etiam hoc non fiet, tamen certißimum est, uindicem Dei oculum, qui etiam abstrusißima quæque coràm aspicit, nihil paßurum ita abscon-*

abſconſum iri,ut non reueletur.

375 *Celebris ſententia eſt, Arcanum cuiuſquam fidei ab alio creditum,accuratius aſſeruandum, ac fidelius cuſtodiendum eſſe,quàm depoſitam pecuniam.*

376 *Nihil enim tutum eſſe poſſet in humana uita, ſi nulla ſecretorum fides inter homines extaret.*

377 *Suorum arcanorum nemini quicquam credat puer,cuius fidem in tacendo non antè ſatis probatam habuerit.*

378 *At ſi parentes,domini, aut præceptores,& qui horum loco eſſe ſolent,aliquid ſecreti mandāt, quod clam contineri uolūt illi,iſtud puer tanquam lapidi dictum ſeruet: & nulli alteri, quantumuis ſpectatæ fidei,communicet.*

379 *Imò quicquid tacitum uelit,id nemini credat. Ridiculum enim eſt,ab alijs ſilentij fidem expectare,quam ipſe tibi non præſtes.*

380 *Nemo eſt adeò continentis linguæ,ut non habeat aliquem,in quem transfundat arcanum.*

381 *Fortaſſe poteſt arcanum alteri creditum celari:at quod ad tertij aurem peruenerit,id amplius arcanum eſſe nequaquam poterit.*

382 *Atqui hic uerum eſt,quod teutonico ænigmate proponitur:quiddam eſſe,quod uni ſit nimis anguſtum,duobus ſatis amplum, tribus nimis ſpacioſum:uidelicet arcanum.*

383 *Sed pro arcanis habenda non sunt, aliorum scelera aut malefacta, quorum conscius sit puer: neq; ea parentes, dominos ac præceptores, autorum celare uelit.*

384 *Nam non rarò fieri solet, quòd compertis sceleratorum facinoribus, non solum ipsi autores, uerùm etiam conscij scelerum, quòd indicium nullum fecerint in periculum corripiuntur, & simul ad pœnas dandas adiguntur.*

385 *Ita enim lex habet: Peccantibus alijs conniuentes, aut operam suam illorum sceleribus occultandis addentes, eadem cum sontibus pœna plectendos esse.*

386 *Et à pueris, scelerum condiscipulorum conscijs, indicium fieri magnum operæprecium est, quod in tēpore rescita peccata puniri, peccantes corrigi, & ad bonā frugem ita reduci poßint.*

387 *Cum econtrà occultorum scelerum autores indies securiores fiunt, & quasi parta sibi ad peccandum licentia, audentius quiduis patrare consuescunt.*

De corpore curando.

388 *Sic curandum est corpus, ut se non dominum animi, non socium, sed mancipium eße sentiat: nec sibijpsi pasci aut uiuere, sed animo.*

389 *Quare cibi, somni, exercitationes, atq; adeò tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est,*

non

non ad uoluptatem ac delicias, ut animo promptè inseruiat, ne ferocia cultus insolescat, neúe uirium inopia decidat.

390 *Nam nihil est quod mentis uigorem magis debilitet, & robur ac neruos corporis magis infringat, quàm uoluptas.*

391 *Imò ut omnes uires cùm corporis tum mentis opere ac labore uegetantur: ita ocio & uoluptatis mollitie languescunt.*

392 *Mirum in modum uerò cum ad ualetudinis, tum ingenij bonitatem confert mundicies corporis, & uictus ratio, quæ citra delicias ac morosam appetentiam continetur.*

393 *Sæpe igitur abluantur manus & facies frigida, & mundo linteolo detergantur.*

394 *Repurgentur etiam crebrò eæ partes, quæ sordibus & excrementis ad externa corporis, meatus præbent: puta, caput, aures, oculi, nares, maxillæ, & pudenda.*

395 *Pedes ita foueantur, ut mundi sint, & calidi: atq; adeò ab omnibus corporis partibus frigus arceatur, maximè uerò à ceruice.*

396 *Ne statim edat puer à quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter. Ientaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, nō satietati.*

397 *Ad ientaculum sufficiunt tres aut quatuor buccæ, sed sine potu: aut certè cum exiguo, atq; eo*

tenui. Hoc enim salubre est, non minus ingenio, quàm corpori.

398 *Esurus siue ientaculum, seu prandium, seu cœnam, semper cogitet, quicquid appositũ fuerit, ipsum diuinæ benignitatis munus esse; & propterea se* Deo *semper debere & agere, & habere gratias.*

399 *In prandio & cœna unis saltem, aut alteris epulis uescatur, eisq; simplicissimis: & si datur electio, saluberrimis: quamuis uarius adsit apparatus.*

400 *Certum enim est, multiplici ciborum uarietate proposita, salubrem uescendi temperantiam difficillimè conseruari posse: & esculentorum diuersitate stomachi naturalem ad digerendum uim turbari & corrumpi.*

401 *Tum etiam ita fit, ut pueri à teneris annis ad esculentorum delicias assuefacti, deinceps per omnem ætatem suam profusi ac prodigi, fastidiant frugalitatem, & nullam egestatem ferre possint.*

402 *Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conseruatrix est rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis uideamur: & ut æquis animis egestatem tolerare possimus.*

403 *Imò etiam ut ne suscipiamus pessima facinora quæstus gratia, ad indulgendum gulæ uel luxu, uel lauticijs, uel delicatis nimiũ & exquisitis cibis irritatæ.*

404

404 *Postremò etiam hoc præstat parsimonia, ut præsentia, & quæ in diem nobis* Deus *largitur, nō modò nobis sufficiant, uerùm etiam ut ex eis liceat egentibus aliquid impartiri: & ultra hoc in futuros quoq; usus nonnihil reponi.*

405 Q*uod & Christus ipse suo exemplo nos docuit, quum post exaturatam multitudinem, reliquias panum & piscium, ne perirent, colligi præciperet.*

406 N*atura quidem necessaria docuit, quæ pauca sunt, & paruo parabilia: stultitia uerò superflua excogitauit, quæ sunt infinita & difficilia.*

407 E*t historiæ testantur, sub prisca frugalitate homines robustißimos ac uiuacißimos fuisse: quum econtrà hoc tempore, ob deliciarum mollitiem, imbecille planè ac breuißimæ uitæ sit humanum genus.*

408 E*rgo si naturæ des necessaria, delectatur, & roboratur, tanquam uernaculis ac proprijs: sin superflua, debilitatur & affligitur tanquā alienis.*

409 I*nter omnes uirtutes nulla puerili ætati magis conueniet, quàm temperantia: quòd illius habitus potius ex consuetudine, quàm ratione comparetur.*

410 E*t cum cæteræ uirtutes magnum rationis iudicium necessariò requirant: hæc sola est, quam etiā mediocris iudicij homo per assuetudinē assequi poßit.*

411 *Eſt autem temperantia, qua ijs rebus, quas maximè appetimus, nunquam ad ſatietatem uſq;, ſed ſemper citra quàm uoluptas fert utimur.*

412 *Quam uirtutẽ tanto libentius amplectantur pueri, quòd nihil ſit, quòd plures morbos precauere aut repellere poßit, quàm accurata uictus moderatio.*

De moribus apud menſam ſeruandis.

413 *Menſam extructurus puer, ſedulò uideat, ut tota ſupellex ad menſam pertinens, munda ſit, & omni ſpurcicie careat, & ut quæque ſuo loco ac ordine diſponat.*

414 *Mappas ita inſternat, ut æqualiter ſint explanatæ, ne quid rugarum habeãt: neúe ab alio latere plus, ab alio minus dependeant.*

415 *Menſa ritè inſtrata, tum circulũ patinarium mediæ imponat: & deinde circũquaq; orbes, ſalinas & coclearia pro accubiturorũ numero diſponat.*

416 *Diligenter uerò ſtudeat, ut pocula, ſiue argentea ea ſint, ſeu uitrea, quorũ uſus inter epulandum futurus eſt, ex pura ac recenti aqua prius eluat, quàm in menſam collocet.*

417 *In eluendo uitrea, meminerit quàm fragilis materia uitri ſit: ut tanto accuratius inter manus tractet, ne frangat.*

418 *Poſt hæc, de apportandis & imponendis in menſam*

mensam ferculis, diligenter ex patrefamiliás aut conuiuatore percontetur: ne quid intempestiuè, aut non suo ordine faciat.

419 *Ministraturus conuiuantibus, decenter consistat ad mensam, & singula consideret: si quid fortè desit, ut adferat, ac apponat: aut si quid auferendum sit, ut modestè id auferat.*

420 *Quicquam porrecturus petenti cuiquam, dextra manu id faciat, non læua: & quócunq; manus proferet, eódem & oculos intendat.*

421 *Inter apponendum aut auferendum aliquid, accuratè agat, ne proximè sedētibus trudendo, effundendo, aut euertendo aliquid, molestus sit.*

422 *Diligentißimè uerò attendat, si quid à quoquam conuiuarum desideretur, ut ipsum semel indicatum gnauiter præstet: & turpe putet esse, si de eadē re sæpius quàm semel admonendus fuerit.*

423 *Infundens ne ad summum usq; poculum impleat: sed inferius lato digito, aut minus eo, cesset: idq; cautè, ne quid superfundat.*

424 *Alicui porrecturus poculū, ipsum medium, aut paulo inferius, trium digitorum extremis articulis teneat.*

425 *Nam summas poculi oras, quæ labijs admoueri solent, digitis attrectare, aut tota manu, more laniorum esitia intestinis infarcientium, complecti, nimis rusticum est.*

426

426 *Si quid fortè in poculum incidit, quod in fundum descedit, aut supernè innatat, cultelli cuspide eximendum est, non digito.*

427 *Si cultelli cuspide non satis commodè potest eximi, in aliud uasculum potus transfundatur, & euacuatū poculum rursum recenti aqua eluatur.*

428 *Emuncturus lucernam, cautè id faciat, ne lucernam extinguat: emunctum illicò comprimat, ne conuiuarum narib. emunctionis fœtor suboleat.*

429 *Comesurus cum maioribus, non prius accumbet, quàm manus lauerit, unguium sordes expurgauerit, ac cibos sumendos seria precatiuncula consecrauerit.*

VARIAE FORMVLAE CONSEcrandi cibum & potum.

I.

Q*Væsumus te Deus pater omnipotens, ut nobis in Christum filium tuum credentibus, ope tua semper adsis: & uictum, quem de manu tua iam sumemus, per tuam benedictionem nobis salubrem efficere digneris.*

Gratiarum actio.

Laudamus clementiam tuam Pater æterne, & gratias tibi pro immēsa tua misericordia agimus, qua nos primò ad imaginem tuam creasti, & hactenus largiter pauisti, atq; etiam posthac regni

cœlorum hæredes in Christo filio tuo perpetuò saluaturus es, Amen.

ALIA FORMA.

II.

OMnipotens & æterne Deus, effice quæsumus per Spiritum sanctum tuum in nobis, ut ita muneribus ac beneficijs tuis in hac uita fruamur, ut nomen tuum sanctificemus: & mandatis tuis obsequentes, animas nostras ab omni peccatorum labe puras conseruemus, in Christo Iesu filio tuo, Amen.

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater æterne, pro immensa tua misericordia, qua non solum uictum & amictum ad hanc uitam tuendam nobis confers, uerùm etiam peccata clementer remittis: & æternæ uitæ consequendæ spem certißimam facis, in Christo Iesu filio tuo, redēptore nostro, qui tecum uiuit, &c.

ALIA FORMA.

III.

BEnedictus Deus, qui nos pascis à iuuentute nostra: qui cibum præbes omni carni: reple nos gaudio & lætitia in Spiritu sancto, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto Spiritu in omne æuum, Amen.

Gratiarum

Gratiarum actio.

Gloria tibi Domine, Gloria tibi Sancte, Gloria tibi rex, quoniã dedisti nobis escas: imple nos gaudio & læticia in Spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua, Amen.

ALIA FORMA.

IIII.

Ex Psalmo.

OCuli omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria patri, &c. Kyrie, Christe, Kyrie, &c. Pater noster, &c.

Gratiarum actio.

Confitemini Domino, quoniã bonus: quoniam in æternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni: qui dat iumẽtis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Gloria patri, &c. ut suprà.

ALIA FORMA.

V.

ORamus te Domine Deus pater noster cœlestis, ut nos & hæc dona, quæ à tua largi

tate

tate sumimus, benedicas, propter Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi Domine Deus pater noster cœlestis, per Iesum Christum Dominum nostrum, pro uniuersis donis ac beneficijs tuis, qui uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

ALIA FORMA.

VI.

QVicquid appositū est, et quicquid apponetur, fœlix ac sacrū esse iubeat Deus pater noster, qui sua benignitate pascit uniuersa, Amen.

Gratiarum actio.

Qui nos creauit, redemit & pauit: illi benedicto gratias agimus æternas.

ALIA FORMA.

VII.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, ut cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam. Gloria patri, &c.

GRATIARVM ACTIO.

Per Psalmum 116.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & ueritas Domini manet in æternum.

ALIA

ALIA FORMA.

Ex Psalmo 105.

VIII.

CElebremus Dominū, & inuocemus nomen eius, nota faciemus in populo opera eius. Ipse enim est Dominus Deus noster, in uniuersa terra iudicia eius. Lætetur cor quærentiū Dominum, & fortitudinem eius: quæremus faciem eius iugiter. Gloria patri, &c.

GRATIARVM ACTIO.

Ex Psalmo 107.

Confiteamur Domino, quoniā bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Quoniam satiauit animam uacuam, & animam esurientem impleuit bonis. Misit uerbum suum, & sanauit nos, & liberauit nos à corruptionibus nostris. Gloria patri & filio, &c.

ALIA FORMA.

IX.

CHriste Deus, benedic cibum & potum seruorum tuorum: quoniam sanctus es iugiter, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Gratiarum actio,

Benedictus Deus, qui miseraris, & alis nos ex largis donis tuis: id'que ex gratia & benignitate tua iugiter, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

430 Quemcuq; loncum grandior natu aßignauerit, eum puer uerecundè capiat, & non uolet se renitentem adtrahi. Inciuilitas enim est, seniorum iußibus nimium refragari.

431 Et meritò uicio datur puero, si pertinaci sua recusatione, grandioris uoluntatem quasi improbet: atq; ita illo se prudentiorem intelligi uelit.

432 Postremus, & non nisi inuitatus, manū patinæ admoueat. est enim rustica impudentia seniores, in uix dum appositis ferculis carpendo, anteuertere.

433 E' patina sibi quippiam decerpens, digitos in iußulēta ne immergat: sed cultelli cuspide, quod ante se proximè positum fuerit, tollat.

434 Accumbens comedat sanè, si esuriat: neq; dubitet modestè ac decenter carpere cibos, nihil ueritus alios, quicunq; affuerint. Nam simulare satietatem, dum esurias, stolida ciuilitas est.

435 Ne recuset puer, si quid illi appositum fuerit à maiore, sed retineat: nisi fortè plus sit quàm conueniat, aut quàm citra uoracitatis crimen retineri poßit.

436 De immodico desecabit aliquantulū, & in quadram suam deponet: reliquum in patinam, aut illi, à quo totum acceperat, restituat.

437 Pisces cultello scindere, aut configere, uiciosum putatur: at eos summis digitis frangi, et cultel

383 *Sed pro arcanis habenda non sunt, aliorum scelera aut malefacta, quorum conscius sit puer: neq; ea parentes, dominos ac præceptores, autorum celare uelit.*

384 *Nam non rarò fieri solet, quòd compertis sceleratorum facinoribus, non solum ipsi autores, uerùm etiam conscij scelerum, quòd indicium nullum fecerint in periculum corripiuntur, & simul ad pœnas dandas adiguntur.*

385 *Ita enim lex habet: Peccantibus alijs conniuentes, aut operam suam illorum sceleribus occultandis addentes, eadem cum sontibus pœna plectendos esse.*

386 *Et à pueris, scelerum condiscipulorum conscijs, indicium fieri magnum operæprecium est, quod in tẽpore rescita peccata puniri, peccantes corrigi, & ad bonã frugem ita reduci poßint.*

387 *Cum econtrà occultorum scelerum autores indies securiores fiunt, & quasi parta sibi ad peccandum licentia, audentius quiduis patrare consuescunt.*

De corpore curando.

388 *Sic curandum est corpus, ut se non dominum animi, non socium, sed mancipium eße sentiat: nec sibijpsi pasci aut uiuere, sed animo.*

389 *Quare cibi, somni, exercitationes, atq; adeò tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est,*

non

non ad uoluptatem ac delicias, ut animo promptè inseruiat, ne ferocia cultus insolescat, neúe uirium inopia decidat.

390 *Nam nihil est quod mentis uigorem magis debilitet, & robur ac neruos corporis magis infringat, quàm uoluptas.*

391 *Imò ut omnes uires cùm corporis tum mentis opere ac labore uegetantur: ita ocio & uoluptatis mollitie languescunt.*

392 *Mirum in modum uerò cum ad ualetudinis, tum ingenij bonitatem confert mundicies corporis, & uictus ratio, quæ citra delicias ac morosam appetentiam continetur.*

393 *Sæpe igitur abluantur manus & facies frigida, & mundo linteolo detergantur.*

394 *Repurgentur etiam crebrò eæ partes, quæ sordibus & excrementis ad externa corporis meatus præbent: puta, caput, aures, oculi, nares, maxillæ, & pudenda.*

395 *Pedes ita foueantur, ut mundi sint, & calidi: atq; adcò ab omnibus corporis partibus frigus arceatur, maximè uerò à ceruice.*

396 *Ne statim edat puer à quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter. Ientaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, nõ satietati.*

397 *Ad ientaculum sufficiunt tres aut quatuor buccæ, sed sine potu: aut certè cum exiguo, atq; eo*

tenui. Hoc enim salubre est, non minus ingenio, quàm corpori.

398 *Esurus siue ientaculum, seu prandium, seu cœnam, semper cogitet, quicquid appositũ fuerit, ipsum diuinæ benignitatis munus esse: & propterea se Deo semper debere & agere, & habere gratias.*

399 *In prandio & cœna unis saltem, aut alteris epulis uescatur, eisq; simplicißimis: & si datur electio, saluberrimis: quamuis uarius adsit apparatus.*

400 *Certum enim est, multiplici ciborum uarietate proposita, salubrem uescendi temperantiam difficillimè conseruari posse: & esculentorum diuersitate stomachi naturalem ad digerendum uim turbari & corrumpi.*

401 *Tum etiam ita fit, ut pueri à teneris annis ad esculentorum delicias assuefacti, deinceps per omnem ætatem suam profusi ac prodigi, fastidiant frugalitatem, & nullam egestatem ferre poßint.*

402 *Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conseruatrix est rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis uideamur: & ut æquis animis egestatem tolerare poßimus.*

403 *Imò etiam ut ne suscipiamus peßima facinora quæstus gratia, ad indulgendum gulæ uel luxu, uel lauticijs, uel delicatis nimiũ & exquisitis cibis irritatæ.* 404

404 *Postremò etiam hoc præstat parsimonia, ut præsentia, & quæ in diem nobis Deus largitur, nō modò nobis sufficiant, uerùm etiam ut ex eis liceat egentibus aliquid impartiri: & ultra hoc in futuros quoq; usus nonnihil reponi.*

405 *Quod & Christus ipse suo exemplo nos docuit, quum post exaturatam multitudinem, reliquias panum & piscium, ne perirent, colligi præciperet.*

406 *Natura quidem necessaria docuit, quæ pauca sunt, & paruo parabilia: stultitia uerò superflua excogitauit, quæ sunt infinita & difficilia.*

407 *Et historiæ testantur, sub prisca frugalitate homines robustißimos ac uiuacißimos fuisse: quum econtrà hoc tempore, ob deliciarum molliciem, imbecille planè ac breuißimæ uitæ sit humanum genus.*

408 *Ergo si naturæ des necessaria, delectatur, & roboratur, tanquam uernaculis ac proprijs: sin superflua, debilitatur & affligitur tanquā alienis.*

409 *Inter omnes uirtutes nulla puerili ætati magis conueniet, quàm temperantia: quòd illius habitus potius ex consuetudine, quàm ratione comparetur.*

410 *Et cum cæteræ uirtutes magnum rationis iudicium necessariò requirant: hæc sola est, quam etiā mediocris iudicij homo per assuetudinē assequi poßit.*

411 *Est autem temperantia, qua ijs rebus, quas maximè appetimus, nunquam ad satietatem usq;, sed semper citra quàm uoluptas fert utimur.*

412 *Quam uirtutē tanto libentius amplectantur pueri, quòd nihil sit, quòd plures morbos præcauere aut repellere poßit, quàm accurata uictus moderatio.*

De moribus apud mensam seruandis.

413 *Mensam extructurus puer, sedulò uideat, ut tota supellex ad mensam pertinens, munda sit, & omni spurcicie careat, & ut quæque suo loco ac ordine disponat.*

414 *Mappas ita insternat, ut æqualiter sint explanatæ, ne quid rugarum habeāt: neúe ab alio latere plus, ab alio minus dependeant.*

415 *Mensa ritè instrata, tum circulū patinarium mediæ imponat: & deinde circūquaq; orbes, salina & coclearia pro accubiturorū numero disponat.*

416 *Diligenter uerò studeat, ut pocula, siue argentea ea sint, seu uitrea, quorū usus inter epulandum futurus est, ex pura ac recenti aqua prius eluat, quàm in mensam collocet.*

417 *In eluendo uitrea, meminerit quàm fragilis materia uitri sit: ut tanto accuratius inter manus tractet, ne frangat.*

418 *Post hæc, de apportandis & imponendis in mensam*

mensam ferculis, diligenter ex patrefamiliás aut conuiuatore percontetur: ne quid intempestiuè, aut non suo ordine faciat.

419 *Ministraturus conuiuantibus, decenter consi stat ad mensam, & singula consideret: si quid fortè desit, ut adferat, ac apponat: aut si quid auferendum sit, ut modestè id auferat.*

420 *Quicquam porrecturus petenti cuiquam, dextra manu id faciat, non læua: & quócunq; manus proferet, eódem & oculos intendat.*

421 *Inter apponendum aut auferendum aliquid, accuratè agat, ne proximè sedētibus trudendo, effundendo, aut euertendo aliquid, molestus sit.*

422 *Diligentißimè uerò attendat, si quid à quoquam conuiuarum desideretur, ut ipsum semel indicatum gnauiter præstet: & turpe putet esse, si de eadē re sæpius quàm semel admonendus fuerit.*

423 *Infundens ne ad summum usq; poculum impleat: sed inferius lato digito, aut minus eo, cesset: idq; cautè, ne quid superfundat.*

424 *Alicui porrecturus poculū, ipsum medium, aut paulo inferius, trium digitorum extremis articulis teneat.*

425 *Nam summas poculi oras, quæ labijs admoueri solent, digitis attrectare, aut tota manu, more laniorum esitia intestinis infarcientium, complecti, nimis rusticum est.*

426

426 *Si quid fortè in poculum incidit, quod in fundum descedit, aut supernè innatat, cultelli cuspide eximendum est, non digito.*

427 *Si cultelli cuspide non satis commodè potest eximi, in aliud uasculum potus transfundatur, & euacuatũ poculum rursum recenti aqua eluatur.*

428 *Emuncturus lucernam, cautè id faciat, ne lucernam extinguat: emunctum illicò comprimat, ne conuiuarum narib, emunctionis fœtor suboleat.*

429 *Comesurus cum maioribus, non prius accumbet, quàm manus lauerit, unguium sordes expurgauerit, ac cibos sumendos seria precatiuncula consecrauerit.*

VARIAE FORMVLAE CONSECrandi cibum & potum.

I.

QVæsumus te Deus pater omnipotens, ut nobis in Christum filium tuum credentibus, ope tua semper adsis: & uictum, quem de manu tua iam sumemus, per tuam benedictionem nobis salubrem efficere digneris.

Gratiarum actio.

Laudamus clementiam tuam Pater æterne, & gratias tibi pro immẽsa tua misericordia agimus, qua nos primò ad imaginem tuam creasti, & hactenus largiter pauisti, atq; etiam posthac regni

cœlorum

cœlorum hæredes in Christo filio tuo perpetuò saluaturus es, Amen.

ALIA FORMA.

II.

O Mnipotens & æterne Deus, effice quæsumus per Spiritum sanctum tuum in nobis, ut ita muneribus ac beneficijs tuis in hac uita fruamur, ut nomen tuum sanctificemus: & mandatis tuis obsequentes, animas nostras ab omni peccatorum labe puras conseruemus, in Christo Iesu filio tuo, Amen.

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater æterne, pro immensa tua misericordia, qua non solum uictum & amictum ad hanc uitam tuendam nobis confers, uerùm etiam peccata clementer remittis: & æternæ uitæ consequendæ spem certißimam facis, in Christo Iesu filio tuo, redẽptore nostro, qui tecum uiuit, &c.

ALIA FORMA.

III.

B Enedictus Deus, qui nos pascis à iuuentute nostra: qui cibum præbes omni carni: reple nos gaudio & lætícia in Spiritu sancto, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto Spiritu in omne æuum, Amen.

Gratiarum

Gratiarum actio.

Gloria tibi Domine, Gloria tibi Sancte, Gloria tibi rex, quoniã dedisti nobis escas: imple nos gaudio & lęticia in Spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua, Amen.

ALIA FORMA.

IIII.

Ex Psalmo.

OCuli omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria patri, &c. Kyrie, Christe, Kyrie, &c. Pater noster, &c.

Gratiarum actio.

Confitemini Domino, quoniã bonus: quoniam in ęternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni: qui dat iumẽtis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Gloria patri, &c. ut suprà.

ALIA FORMA.

V.

ORamus te Domine Deus pater noster cœlestis, ut nos & hæc dona, quæ à tua largi

tate

tate sumimus, benedicas, propter Iesum *Christum* Dominum *nostrum, Amen.*

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi Domine Deus *pater noster cœlestis, per* Iesum *Christum* Dominum *nostrum, pro uniuersis donis ac beneficijs tuis, qui uiuis & regnas* Deus, *per omnia secula seculorum, Amen.*

ALIA FORMA.

VI.

Q*Vicquid appositũ est, et quicquid apponetur, fœlix ac sacrũ eße iubeat* Deus *pater noster, qui sua benignitate pascit uniuersa, Amen.*

Gratiarum actio.

Qui nos creauit, redemit & pauit: illi benedicto gratias agimus æternas.

ALIA FORMA.

VII.

D*Eus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, ut cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam. Gloria patri, &c.*

GRATIARVM ACTIO.

Per Psalmum 116.

Laudate Dominum *omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & ueritas* Domini *manet in æternum.*

ALIA

ALIA FORMA.

Ex Psalmo 105.

VIII.

CElebremus Dominũ, & inuocemus nomen eius, nota faciemus in populo opera eius. Ipse enim est Dominus Deus noster, in uniuersa terra iudicia eius. Lætetur cor quærentiũ Dominum, & fortitudinem eius: quæremus faciem eius iugiter. Gloria patri, &c.

GRATIARVM ACTIO.

Ex Psalmo 107.

Confiteamur Domino, quoniã bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Quoniam satiauit animam uacuam, & animam esurientem impleuit bonis. Misit uerbum suum, & sanauit nos, & liberauit nos à corruptionibus nostris. Gloria patri & filio, &c.

ALIA FORMA.

IX.

CHriste Deus, benedic cibum & potum seruorum tuorum: quoniam sanctus es iugiter, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Gratiarum actio,

Benedictus Deus, qui miseraris, & alis nos ex largis donis tuis: id'que ex gratia & benignitate tua iugiter, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

430 Quemcunq; loncum grandior natu aßignauerit, cum puer uerecundè capiat, & non uolet se renitentem adtrahi. Inciuilitas enim est, seniorum iußibus nimium refragari.

431 Et meritò uicio datur puero, si pertinaci sua recusatione, grandioris uoluntatem quasi improbet: atq; ita illo se prudentiorem intelligi uelit.

432 Postremus, & non nisi inuitatus, manū patinæ admoueat. est enim rustica impudentia seniores, in uix dum appositis ferculis carpendo, anteuertere.

433 E' patina sibi quippiam decerpens, digitos in iußulēta ne immergat: sed cultelli cuspide, quod ante se proximè positum fuerit, tollat.

434 Accumbens comedat sanè, si esuriat: neq; dubitet modestè ac decenter carpere cibos, nihil ueritus alios, quicunq; affuerint. Nam simulare satietatem, dum esurias, stolida ciuilitas est.

435 Ne recuset puer, si quid illi appositum fuerit à maiore, sed retineat: nisi fortè plus sit quàm conueniat, aut quàm citra uoracitatis crimen retineri poßit.

436 De immodico desecabit aliquantulū, & in quadram suam deponet: reliquum in patinam, aut illi, à quo totum acceperat, restituat.

437 Pisces cultello scindere, aut configere, uicio sum putatur: at eos summis digitis frangi, et cultel

383 *Sed pro arcanis habenda non sunt, aliorum scelera aut malefacta, quorum conscius sit puer: neq; ea parentes, dominos ac præceptores, autorum celare uelit.*

384 *Nam non rarò fieri solet, quòd compertis sceleratorum facinoribus, non solum ipsi autores, uerùm etiam conscij scelerum, quòd indicium nullum fecerint in periculum corripiuntur, & simul ad pœnas dandas adiguntur.*

385 *Ita enim lex habet: Peccantibus alijs conniuentes, aut operam suam illorum sceleribus occultandis addentes, eadem cum sontibus pœna plectendos esse.*

386 *Et à pueris, scelerum condiscipulorum conscijs, indicium fieri magnum operæprecium est, quod in tēpore rescita peccata puniri, peccantes corrigi, & ad bonā frugem ita reduci poßint.*

387 *Cum econtrà occultorum scelerum autores indies securiores fiunt, & quasi parta sibi ad peccandum licentia, audentius quiduis patrare consuescunt.*

De corpore curando.

388 *Sic curandum est corpus, ut se non dominum animi, non socium, sed mancipium eße sentiat: nec sibijpsi pasci aut uiuere, sed animo.*

389 *Quare cibi, somni, exercitationes, atq; adeò tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est, non*

non ad uoluptatem ac delicias, ut animo promptè inseruiat, ne ferocia cultus insolescat, neúe uirium inopia decidat.

390 *Nam nihil est quod mentis uigorem magis debilitet, & robur ac neruos corporis magis infringat, quàm uoluptas.*

391 *Imò ut omnes uires cùm corporis tum mentis opere ac labore uegetantur: ita ocio & uoluptatis mollitie languescunt.*

392 *Mirum in modum uerò cum ad ualetudinis, tum ingenij bonitatem confert mundicies corporis, & uictus ratio, quæ citra delicias ac morosam appetentiam continetur.*

393 *Sæpe igitur abluantur manus & facies frigida, & mundo linteolo detergantur.*

394 *Repurgentur etiam crebrò eæ partes, quæ sordibus & excrementis ad externa corporis, meatus præbent: puta, caput, aures, oculi, nares, maxillæ, & pudenda.*

395 *Pedes ita foueantur, ut mundi sint, & calidi: atq; adeò ab omnibus corporis partibus frigus arceatur, maximè uerò à ceruice.*

396 *Ne statim edat puer à quiete, nec ante prandium, nisi tenuiter. Ientaculum enim sedando stomacho, aut refocillando datur corpori, nõ satietati.*

397 *Ad ientaculum sufficiunt tres aut quatuor buccæ, sed sine potu: aut certè cum exiguo, atq; eo*

tenui. Hoc enim salubre est, non minus ingenio, quàm corpori.

398 Esurus siue ientaculum, seu prandium, seu cœnam, semper cogitet, quicquid appositũ fuerit, ipsum diuinæ benignitatis munus esse: & propterea se Deo semper debere & agere, & habere gratias.

399 In prandio & cœna unis saltem, aut alteris epulis uescatur, eisq; simplicissimis: & si datur electio, saluberrimis: quamuis uarius adsit apparatus.

400 Certum enim est, multiplici ciborum uarietate proposita, salubrem uescendi temperantiam difficillimè conseruari posse: & esculentorum diuersitate stomachi naturalem ad digerendum uim turbari & corrumpi.

401 Tum etiam ita fit, ut pueri à teneris annis ad esculentorum delicias assuefacti, deinceps per omnem ætatem suam profusi ac prodigi, fastidiant frugalitatem, & nullam egestatem ferre possint.

402 Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conseruatrix est rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis uideamur: & ut æquis animis egestatem tolerare possimus.

403 Imò etiam ut ne suscipiamus pessima facinora quæstus gratia, ad indulgendum gulæ uel luxu, uel lauticijs, uel delicatis nimiũ & exquisitis cibis irritatæ.

404 *Postremò etiam hoc præstat parsimonia, ut præsentia, & quæ in diem nobis* Deus *largitur, nō modò nobis sufficiant, uerùm etiam ut ex eis liceat egentibus aliquid impartiri: & ultra hoc in futuros quoq; usus nonnihil reponi.*

405 *Quod & Christus ipse suo exemplo nos docuit, quum post exaturatam multitudinem, reliquias panum & piscium, ne perirent, colligi præciperet.*

406 *Natura quidem necessaria docuit, quæ pauca sunt, & paruo parabilia: stultitia uerò superflua excogitauit, quæ sunt infinita & difficilia.*

407 *Et historiæ testantur, sub prisca frugalitatè homines robustißimos ac uiuacißimos fuisse: quum econtrà hoc tempore, ob deliciarum mollitiem, imbecille planè ac breuißimæ uitæ sit humanum genus.*

408 *Ergo si naturæ des necessaria, delectatur, & roboratur, tanquam uernaculis ac proprijs: sin superflua, debilitatur & affligitur tanquā alienis.*

409 *Inter omnes uirtutes nulla puerili ætati magis conueniet, quàm temperantia: quòd illius habitus potius ex consuetudine, quàm ratione comparetur.*

410 *Et cum cæteræ uirtutes magnum rationis iudicium necessariò requirant: hæc sola est, quam etiā mediocris iudicij homo per assuetudinē assequi poßit.*

411 *Est autem temperantia, qua ijs rebus, quas maximè appetimus, nunquam ad satietatem usq;, sed semper citra quàm uoluptas fert utimur.*

412 *Quam uirtutē tanto libentius amplectantur pueri, quòd nihil sit, quòd plures morbos præcauere aut repellere poßit, quàm accurata uictus moderatio.*

De moribus apud mensam seruandis.

413 *Mensam extructurus puer, sedulò uideat, ut tota supellex ad mensam pertinens, munda sit, & omni spurcicie careat, & ut quæque suo loco ac ordine disponat.*

414 *Mappas ita insternat, ut æqualiter sint explanatæ, ne quid rugarum habeāt: neúe ab alio latere plus, ab alio minus dependeant.*

415 *Mensa ritè instrata, tum circulū patinarium mediæ imponat: & deinde circūquaq; orbes, salina & coclearia pro accubiturorū numero disponat.*

416 *Diligenter uerò studeat, ut pocula, siue argentea ea sint, seu uitrea, quorū usus inter epulandum futurus est, ex pura ac recenti aqua prius eluat, quàm in mensam collocet.*

417 *In eluendo uitrea, meminerit quàm fragilis materia uitri sit: ut tanto accuratius inter manus tractet, ne frangat.*

418 *Post hæc, de apportandis & imponendis in mensam*

mensam ferculis, diligenter ex patrefamiliâs aut conuiuatore percontetur: ne quid intempestiuè, aut non suo ordine faciat.

419 *Ministraturus conuiuantibus, decenter consi stat ad mensam, & singula consideret: si quid fortè desit, ut adferat, ac apponat: aut si quid auferendum sit, ut modestè id auferat.*

420 *Quicquam porrecturus petenti cuiquam, dextra manu id faciat, non læua: & quócunq; manus proferet, eódem & oculos intendat.*

421 *Inter apponendum aut auferendum aliquid, accuratè agat, ne proximè sedētibus trudendo, effundendo, aut euertendo aliquid, molestus sit.*

422 *Diligentißimè uerò attendat, si quid à quoquam conuiuarum desideretur, ut ipsum semel indicatum gnauiter præstet: & turpe putet esse, si de eadē re sæpius quàm semel admonendus fuerit.*

423 *Infundens ne ad summum usq; poculum impleat: sed inferius lato digito, aut minus eo, cesset: idq; cautè, ne quid superfundat.*

424 *Alicui porrecturus poculū, ipsum medium, aut paulo inferius, trium digitorum extremis articulis teneat.*

425 *Nam summas poculi oras, quæ labijs admoueri solent, digitis attrectare, aut tota manu, more laniorum esitia intestinis infarcientium, complecti, nimis rusticum est.*

426

426 *Si quid fortè in poculum incidit, quod in fundum descedit, aut supernè innatat, cultelli cuspide eximendum est, non digito.*

427 *Si cultelli cuspide non satis commodè potest eximi, in aliud uasculum potus transfundatur, & euacuatū poculum rursum recenti aqua eluatur.*

428 *Emuncturus lucernam, cautè id faciat, ne lucernam extinguat: emunctum illicò comprimat, ne conuiuarum narib. emunctionis fœtor suboleat.*

429 *Comesurus cum maioribus, non prius accumbet, quàm manus lauerit, unguium sordes expurgauerit, ac cibos sumendos seria precatiuncula consecrauerit.*

VARIAE FORMVLAE CONSEcrandi cibum & potum.

I.

Q*Væsumus te Deus pater omnipotens, ut nobis in Christum filium tuum credentibus, ope tua semper adsis: & uictum, quem de manu tua iam sumemus, per tuam benedictionem nobis salubrem efficere digneris.*

Gratiarum actio.

Laudamus clementiam tuam Pater æterne, & gratias tibi pro immēsa tua misericordia agimus, qua nos primò ad imaginem tuam creasti, & hactenus largiter pauisti, atq; etiam posthac regni cœlorum

cœlorum hæredes in Christo filio tuo perpetuò saluaturus es, Amen.

ALIA FORMA.

II.

O*Mnipotens & æterne Deus, effice quæsumus per Spiritum sanctum tuum in nobis, ut ita muneribus ac beneficijs tuis in hac uita fruamur, ut nomen tuum sanctificemus: & mandatis tuis obsequentes, animas nostras ab omni peccatorum labe puras conseruemus, in Christo Iesu filio tuo, Amen.*

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater æterne, pro immensa tua misericordia, qua non solum uictum & amictum ad hanc uitam tuendam nobis confers, uerùm etiam peccata clementer remittis: & æternæ uitæ consequendæ spem certißimam facis, in Christo Iesu filio tuo, redēptore nostro, qui tecum uiuit, &c.

ALIA FORMA.

III.

B*Enedictus Deus, qui nos pascis à iuuentute nostra: qui cibum præbes omni carni: reple nos gaudio & læticia in Spiritu sancto, ut affatim quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Iesu Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum sancto Spiritu in omne æuum, Amen.*

Gratiarum

Gratiarum actio.

Gloria tibi Domine, Gloria tibi Sancte, Gloria tibi rex, quoniā dedisti nobis escas: imple nos gaudio & leticia in Spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles: nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; secundum opera sua, Amen.

ALIA FORMA.

IIII.

Ex Psalmo.

OCuli omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria patri, &c. Kyrie, Christe, Kyrie, &c. Pater *noster, &c.*

Gratiarum actio.

Confitemini Domino, quoniā bonus: quoniam in æternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni: qui dat iumētis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum *est* Domino *super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Gloria *patri, &c. ut suprà.*

ALIA FORMA.

V.

ORamus te Domine Deus pater noster cœlestis, ut nos & hæc dona, quæ à tua largi tate

tate sumimus, benedicas, propter Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi Domine Deus pater noster cœlestis, per Iesum Christum Dominum nostrum, pro uniuersis donis ac beneficijs tuis, qui uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

ALIA FORMA.

VI.

QVicquid appositũ est, et quicquid apponetur, fœlix ac sacrũ esse iubeat Deus pater noster, qui sua benignitate pascit uniuersa, Amen.

Gratiarum actio.

Qui nos creauit, redemit & pauit: illi benedicto gratias agimus æternas.

ALIA FORMA.

VII.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, ut cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam. Gloria patri, &c.

GRATIARVM ACTIO.

Per Psalmum 116.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & ueritas Domini manet in æternum.

ALIA

430 Quemcuq; loncum grandior natu aßignauerit, eum puer uerecundè capiat, & non uolet se renitentem adtrahi. Inciuilitas enim est, seniorum iußibus nimium refragari.

431 Et meritò uicio datur puero, si pertinaci sua recusatione, grandioris uoluntatem quasi improbet: atq; ita illo se prudentiorem intelligi uelit.

432 Postremus, & non nisi inuitatus, manũ patinæ admoueat. est enim rustica impudentia seniores, in uix dum appositis ferculis carpendo, anteuertere.

433 E' patina sibi quippiam decerpens, digitos in iußulēta ne immergat: sed cultelli cuspide, quod ante se proximè positum fuerit, tollat.

434 Accumbens comedat sanè, si esuriat: neq; dubitet modestè ac decenter carpere cibos, nihil ueritus alios, quicunq; affuerint. Nam simulare satietatem, dum esurias, stolida ciuilitas est.

435 Ne recuset puer, si quid illi appositum fuerit à maiore, sed retineat: nisi fortè plus sit quàm conueniat, aut quàm citra uoracitatis crimen retineri poßit.

436 De immodico desecabit aliquantulũ, & in quadram suam deponet: reliquum in patinam, aut illi, à quo totum acceperat, restituat.

437 Pisces cultello scindere, aut configere, uicio sum putatur: at eos summis digitis frangi, et cultel

Dd lo

lo impositos, paulatim admoto pollice, quouis trā-spioni, decentius habetur.

438 *Inter edendum cauebit puer, ne plus iusto se mel in os infarciat, neu quid ex ore excidat: ne'ue turpiter & inflatis buccis cibos mandet.*

439 *Nec properabit cōmedendo: sed cibum dentibus bene conficiet, antequam deuoret.* Et *sedulò cauebit, ne uel labris, uel dentibus mandendo soni quidpiam edat.*

440 Omnium *diligentißimè caueat, ne ex appositis uideatur exquisitius eligere, aliud præ alijs.* Hoc *enim fastidiosorum est, & gulæ nimis indulgentium.*

441 Nihil *turpius est, quàm ita se gerere iuxta mensam, ut bruti potius animalis, quàm prudentis hominis imago sit.*

442 *Canum ea est in edendo uoracitas, ut integros bolos unica uoratione deglutiant: quod si & puer imitetur, non tam homo, quàm canis esse censeatur.*

443 Q*uam ingluuiē non rarò sua pœna dignißima excipit, ut qui canino more non mansa auidè uorant, paulo pòst eodem more indigesta fœdißimè reuoment.*

444 *Sues immundè pascuntur, dum trullas euertunt, furfures effundunt & dispergunt: quod si pueri uescentes itidem faciunt, quid ni suibus similiores*

res erunt, quàm hominibus?

445 *Si de pleno cocleari, aut pane in embammata intincto, quiddã in mappam destillet, infantibus id quidem non uertitur uitio, sed adultis maximè.*

446 *Labris compreßis, non subinde hiantibus, cibũ mãdet: nec aliud infarciat, donec id quod prius inerat, bene mansum glutiuerit.*

447 *Calidas offas ne uehementer, & tanquam è folle plenis buccis afflet: sed labijs uelut ad osculandum contractis, leuißimum spiritum in refrigeranda immittat.*

448 *Si quid fortè inter dẽtes adhæserit, ne extimulet cultello: neq; apud mensam, si res moram patiatur.* Extimulet autem pinnula, aut facta ex ligno cuspide.

449 *Vulgò creditur, attactu ferri dẽtes lædi & uiciari: sed est etiã aliud periculum, ne cultri cuspis ori immißa, per subitã accedentis alicuius impreßionem, palatum aut gingiuam uulneret.*

450 Fœdum est, *dentes ac palatum lingua interius circumacta quasi repurgare, & buccas lambere: at fœdius, eandem ad labra exterius lingenda, more canis exerere.*

451 De *totis panibus tantum decidat puer, quantum satis esse putet esui, idq; citra satietatem.* Nam

lo impositos, paulatim admoto pollice, quouis trã-ſponi, decentius habetur.

438 Inter edendum cauebit puer, ne plus iusto ſemel in os infarciat, neu quid ex ore excidat: ne'ue turpiter & inflatis buccis cibos mandet.

439 Nec properabit cõmedendo: ſed cibum dentibus bene conficiet, antequam deuoret. Et ſedulò cauebit, ne uel labris, uel dentibus mandendo ſoni quidpiam edat.

440 Omnium diligentiſſimè caueat, ne ex appoſitis uideatur exquiſitius eligere, aliud præ alijs. Hoc enim faſtidioſorum eſt, & gulæ nimis indulgentium.

441 Nihil turpius eſt, quàm ita ſe gerere iuxta menſam, ut bruti potius animalis, quàm prudentis hominis imago ſit.

442 Canum ea eſt in edendo uoracitas, ut integros bolos unica uoratione deglutiant: quod ſi & puer imitetur, non tam homo, quàm canis eſſe cenſeatur.

443 Quam ingluuiẽ non rarò ſua pœna digniſſima excipit, ut qui canino more non manſa auidè uorant, paulo pòſt eodem more indigeſta fœdiſſimè reuoment.

444 Sues immundè paſcuntur, dum trullas euertunt, furfures effundunt & diſpergunt: quod ſi pueri ueſcentes itidem faciunt, quid ni ſuibus ſimiliores

res erunt, quàm hominibus?

445 *Si de pleno cocleari, aut pane in embammata intincto, quiddã in mappam destillet, infantibus id quidem non uertitur uitio, sed adultis maximè.*

446 *Labris compreßis, non subinde hiantibus, cibũ mãdet: nec aliud infarciat, donec id quod prius inerat, bene mansum glutiuerit.*

447 *Calidas offas ne uehementer, & tanquam è folle plenis buccis afflet: sed labijs uelut ad osculandum contractis, leuißimum spiritum in refrigeranda immittat.*

448 *Si quid fortè inter dẽtes adhæserit, ne extimulet cultello: neq; apud mensam, si res moram patiatur.* Extimulet *autem pinnula, aut facta ex ligno cuspide.*

449 *Vulgò creditur, attactu ferri dẽtes lædi & uiciari: sed est etiã aliud periculum, ne cultri cuspis ori immißa, per subitã accedentis alicuius impreßionem, palatum aut gingiuam uulneret.*

450 *Fœdum est, dentes ac palatum lingua interius circumacta quasi repurgare, & buccas lambere: at fœdius, eandem ad labra exterius lingenda, more canis exerere.*

451 De *totis panibus tantum decidat puer, quantum satis esse putet esui, idq; citra satietatem.* Nam

ultrà sumere, et fragmēta relinquere, indecorū est.

452 *Panem præmorsum in offas intingere, uitiosa offensio est, quæ delicatis & teneriusculis palatis facilè nauseam concitat.*

453 *Turpe item est, semel in os indita rursum eximere: nisi fortè os aut spinula insit, quæ citra periculum deuorari non poßint.*

454 *Itidem & ossa ori immittere, et dentibus arrodere, turpe habetur: quòd decentius sit, si quid pulpamenti illis adhæret, ipsum cultello decidere.*

455 *Si neceßitas aut nausea coget aliquid ex ore rursus eximere, tum occultè, & quasi dißimulanter id faciendū erit, ne quis aßidentium cōspiciat, aut aduertat.*

456 *Oßa, spinæq́; & quicquid non edi potest, aut solet, in oram orbiculi ritè componantur: non deijcientur sub mensā, multo minus in pauimentū.*

457 *Cutelli iuxta orbiculos repositi, cū usus poscet, scitè capientur manu, deinde reponentur in locum suum: non iactentur digitis, non impingantur in mensam.*

Quomodo bibendum sit pueris.

458 *Potus sit pueris uel fons aquæ puræ & limpidæ, uel tenuißima cereuisia, uel uinū bene dilutū.*

459 *Pueri ieiuni ne bibant, nec statim post sumptam iuris offam, nec post lactaria, nec citius quàm de secundo ferculo aliquantisper pasti sunt.*

460 Inter

460 *Inter prandendum, atq; etiam cœnandum, sæpius quàm bis, aut ad summum ter, ne bibant.* Et *bibituri, labra poculis ne admoueant, nisi prius mãtili aut linteolo absterſa.*

461 *Bibentes modicè ſorbeant, non plenis faucibus ingurgitent: nec mordicus, ſed ſummis tantum labris cyathum attingant.*

462 *Turpe eſt ita bibere, ut ſpiritus excludatur, aut lachrymæ extillẽt, aut ut potus effluat ex ore.*

463 Et *cum potu tantum ſedetur ſitis, non inundentur guttura ac uentres: turpiſsimè cùm in* Deũ, *tum in naturam ſuam peccant, qui ita inebriantur, ut neque corpus neq; animus ſuum officium facere poßint.*

464 *Vbi enim uinum mentem corruperit, ibi idem euenit homini, quòd curribus ſpoliatis magiſtro, & nauibus gubernatore.*

465 *Nam ut hi feruntur quóuis temerè, dum rectore carent: ita et animus ob corruptam ex ebrietate intelligentiam, totus hallucinatur, ac præceps cùm in ſcelera tum in pericula ruit.*

466 Et *Plato ait: gubernatorem ebrioſum, & quemuis cuicunq; rei præfectum, omnia euertere, ſiue nauigiũ, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue quãcunq; rem fidei illius commißam.*

467 *Pythagoras conſultus, quinam uinoſus ebrietatem deſereret? reſpondit, ſi ea quæ per temulen-*

tiam facit, frequens animo uoluat.

468 *Itidem Anacharsis interrogatus, quo quis modo temulentiam fugeret? respondit, si quàm turpiter ebrij se dent, diligenter consideret.*

469 *Inter cœnam & quietem, potus omnino uitandus est, quòd nihil perniciosius sit, simul corpori, memoriæ & ingenio, quàm statim à potatione cubitum concedere.*

470 *At si urgeat sitis, ut bibendum sit, modicè hoc fiat: et ita, ut inter potum & lectum, temporis spacium ut minimum semihoræ interponatur.*

471 *Inter edendum cum senioribus, puer nihil loquatur, nisi interrogatus, aut inuitatus sit: ad interrogata, quàm paucißimis respondeat.*

472 *Si quid grauiter ac honestè dicatur in conuiuio, sedulò auscultet: sin turpiter aut obscœnè, demißis oculis dißimulet se cùm audisse, tum intellexisse quicquam.*

473 *Firmiter sibi persuadeat, apud mensam omnia casta, pura, cordata, & sancta debere esse: uidelicet quòd & ille talis sit, inter cuius munera uescentes tum uersantur.*

474 *Secum in animo semper reputet Dei patris omnipotentiam, qua cuncta cõdidit ex nihilo: sapientiam, qua uniuersa à se creata sustentat ac cõseruat: mansuetudinem et clementiam, quibus nos indignißimos peccatores, imò inimicos suos, quo-*

tidie

tidie paſcit, ac ne pereamus cuſtodit.

475 *Et propterea immodicam ſui ſuſtentādi ſolicitudinem excutiat ex animo, ne uideatur bonitati Dei diffidere: unicam uerò & ſolam eam curam ſuſcipiat, uidelicet quomodo Deo ſuo placeat ac obediat.*

476 *Præcipuè uerò apud menſā oportebit comminiſſe promißionis illius, qua Chriſtus, omnibus regnum Dei & iuſticiam eius in primis quærētibus, cæterarum omnium rerum ad alimoniam uitæ corporalis neceſſariarum abundantem copiā acceſſuram paciſcitur.*

477 *Pro quibus Dei in nos beneficijs nulla gratiarum actio maior ac dignior poteſt eße, quàm ſi certa fiducia nos totos illi dederimus: ac maximopere cauerimus, ne ullo modo illū offendamus, cuius beneficio & uoluntate conſiſtimus. Sed nō amplius, quàm illi libitum fuerit.*

478 *A ſumptis cibis, ſeniores aliquantulum deſidere & colloqui ſolent: ſed puer tum uel nutu ſaltem, ueniam petens, à menſa reſurgat: et lotis illico manibus, ſeſe rurſus illis in propinquo ſiſtat, expectaturus, ſi quid mandetur, quod effici oporteat.*

479 *Gratias acturus poſt ſumptas epulas, expectet, donec à ſilentibus conuiuis indicium ſibi fiat.*

480 *Hymnũ iussus dicere, composito ad deuotionem gestu ita dicat, ut nõ tam linguam motã, quàm cor bene affectum sentiat.* Ni enim *ita fiat, omnem precationem ad* Deum *inanem esse sciat.*

De uestitu.

481 *Præcipua cura pueris sit, ut uestitũ mundum habeant.* Nam *ferè ex uestitus mũdicie, aut immundicie, qualis animus sit, iudicari solet.*

482 *Manicas nariũ muco incrustare, aut oras uestium luto conspersas negligenter perferre, adeoq; quicquid ubilibet immundi inest, non illicò expurgare: ea negligentem, ac stupidum animũ arguunt.*

483 Ergo *quicquid uestimentorũ est, id in uniuersum sordibus, luto et immundicia careat.* Nam *immundo puero nihil esse potest odiosius.*

484 *Eas uestes, quas pro tempore mutat, excusso prius puluere, ac expurgata omni fœditate, in suũ armariũ, si quod habet, diligenter recondat.*

485 *Caligas exutas mox inuertat, & intus forisq; accuratè scopis repurget: & si qua fortè fœditas pedum sudore contracta est, eam aeri siccandam exponat.*

486 *Hæc enim diligentia faciet, ut nõ solum caligæ minus uicientur, uerumetiam pedes à malè olendo conseruentur.*

487 Nimium *exquisitæ uestes uitio dantur, elegantes uerò laudi.* Et *decentius est uenustati studere,*

re,

re, quàm comptibus: quòd hoc leuitatis sit, illud uerò magnificentiæ.

488 *Nouas uestium formas excogitare, insignis stultitia est.* Honestas *autem est, pro consuetudine & more præsentis tēporis ac usus decēter uestiri.*

489 *Lacerationes, dissectiones, alligationes, & uarietates, in uestibus uitiosæ sunt.* Quare *in puerili cultu non uidentur esse ferendæ.*

490 *Calcei sua uincula habeant: nisi ita facti sint, ut de pedibus labi nequeant.* Ridiculum *enim est, inter properandum calceos amittere.*

492 *Cotidie uesperi panno subuuido, aut spōgia, lutum, quod adhæserit illis, detergatur.* Est *enim & hoc animi solertis indicium.*

De ludis puerilibus.

492 *Ludi pueris neq; prorsus interdici, neq; temerè omnes cōcedi debēt: neq; ob ullā aliā causam, quàm ut his quasi renouati, ac recentes, plus uiriū, ac alacriorem animum ad discendum afferant.*

493 Et *cum studium discendi uoluntate, quæ cogi nō potest, constet: remißio aliqua danda est, ne cōtinuata neceßitas animū alioquin uolentē retūdat.*

494 *Vt enim lyram & arcum remittimus, quo melius poßint tendi: ita recreādus est animus ocio, ut ad labores reddatur uegetior.*

495 *Modus tamen sit remißionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut ocij consuetudinem*

nimium permissæ.

496 *In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit dolus atq; mendacium.* Nam *ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias.*

497 *Maximè uerò absint arrogantia, contentio, rixa, inuidia, cupiditas.* Per *hæc enim honesta delectatio, quæ solà ex lusu petenda erat, in turpem molestiam conuertitur.*

498 *Et pulchrius uincit, qui cedit contentioni, quàm qui palmam obtinet. Cedet autem libenter, quisquis cogitabit, sibi tantum animi causa, non ullius lucri gratia, lusum permissum esse.*

499 *Si cum imperitioribus ludat puer, poßitq; semper uincere, nonnunquam se uinci patiatur, quo ludus sit alacrior.*

500 *Aiunt puerorũ indolem nusquam magis apparere quàm lusu: quò d ingeniũ ad dolos, mẽdacia, rixas & iram propensius, tũ ferè se prodere solet.*

501 *Quibus meliores & pulchriores delectationes studiorum & doctrinæ innotescunt, illis aliorum ludorum deformitas facilè & apparebit, & odio habebitur.*

502 *Suppeditant pueris materiam ludorum, foris pila, cursus, saltatio, pugna, lucta: quæ ipsa utiliter fiunt, propter corporum exercitationem.*

503 *Domi, & intra conclauia, cùm alia erunt, tũ crupi et latrunculi, quibus in ludis gloria, adultis*

quoq;

quoq; ingenijs, magis quàm lucrum, spectari solet.
504 *Sed nullus omniũ ludus iucũdior, honestior, ac delectabilior est ipsa Musica, quæ uel ipsius uocis modulis, uel fidibus ac instrumentis canitur.*
505 *Et operæprecium fieri censendum est, si pueri statim à teneris (ut aiunt) unguiculis ad eam perdiscendam adigantur.*
506 *Videlicet, quòd eius artis usus etiam ad prouectiores ætates, ac maiora studia leuãda, ac oblectanda plurimum habeat energiæ.*
507 *Inter ludendum crebrò in mentem ueniat, quàm exiguum tempus datum sit uitæ hominum: & propterea ex illo non oportere multum decidi ad lusus, & ad ocia.*
508 *Item homines creatos esse, non ad lusus & nugas, sed ad seria: puta moderationem, temperantiam, religionem, et omne genus uirtutis et laudis.*

De eundo cubitum, & capiendo somno.

509 *In cubiculo laudatur silentium & uerecundia: at clamor & garrulitas indecora est, præsertim in lecto.*
510 *Concessurus cubitum, omnes ex animo iras, offensiones, cupiditates, sollicitudines deponat, ut composita et tranquilla mẽte placidissimè se quieti tradat.*
511 *Puer siue cum exuit se, siue cum surgit, semper memor uerecundiæ, caueat ne quid nudet alio-*

rum

rum oculis, quod mos & natura tectum uoluit.

512 Exutas uestes accuratè certo loco deponat, ut si necesse fuerit, etiam intempesta nocte, et absq; lucerna, singulas facilè posit reperire.

513 Cogitet, homini dormienti multa contingere posse, quæ derepentè expergefactum ita attonitũ faciant, ut ubi sit & quid agat nesciat.

514 Nam fit sæpe, ut subiti morbi proximè cubãtes aut uicinos opprimant: quibus extemplò subueniendum, aut inseruiendum sit.

515 Cogitandum & hoc, quòd nõ rarò uana quædam & contemtibilis causa, intempesta nocte grauissimam turbationem concitet.

516 Sed omnium maximè pertimescendum semper, quòd Sathan infensissimus hominum hostis, non solum animæ insidiatur: uerumetiam corpori, quicquid mali potest, molitur.

517 Inter tot pericula, etiam puerum cautiorem esse decet, ut ceu miles ad quodq; bellicũ expergefactus, suas uestes etiam semisomnis illicò arripere & induere posit.

518 Sciat somno utendum esse, tanquam medicina quadam ad curandum corpus, tanto, quantus sufficit. Immodicus enim nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis conducit.

519 Reddit enim corpora redũdãtia noxijs humoribus, segnia, pigra, lẽta, et celeritatẽ mẽtis tardat.

520 Nec

520 Nec existimandum est, uitæ id tempus esse, quod somno impenditur: uita enim uigilia est.

521 Quare quicunq; uiuere & sapere cupit, maximè quàm longißimo tempore uigilet, sola sanitatis commoditate seruata.

522 Non obdormiat puer, priusquã peccata sua Deo confessus sit, ac eorũ remißionẽ propter sanguinem Christi intimo cordis affectu flagitauerit: utq; ita sese Deo patri, in Christi nomine, per Spiritum sanctum, ab omnibus malis & peccatis protegendum commendauerit.

523 Hoc enim modo Deus nobis cotidie, mane ac uesperi reconciliandus est: qui mortem nostram, & iudicij diẽ semper nobis imminere, & ad quoduis temporis momentum incidere posse credamus.

524 Tum etiã reminiscatur beneficiorum Dei, nõ in se solũ, sed in totũ genus hominũ, atq; adeò mũdũ uniuersũ: proq; illis gratias cœlesti patri agat.

525 Cogitet quoq;, quantæ sint hostis hominũ per licentiã quietis insidiæ, dũ homo uelut cadauer iacet impos sui: quo instãtius orandus est Christus, ut nos tam imbecillos tueatur.

526 Dormituriẽs et frontẽ et pectus crucis signo notet: quo interiorem cordis fiduciam in crucifixi Christi meritis, etiã gestu cõfiteatur, ac testetur.

527 Et Sathan proculdubio uictus fugit, ubicunq; sub crucis signo, foris corpori applicito, cor Chri-

sto

sto fidens latère cognoscit.

528 De manè surgens, iterum se cōmendet Christo: cui etiam gratias agat, quòd illius ope ac praesidio illa nocte nōn sit oppreßus dolis & inuidia immanis hostis diaboli.

529 Et quemadmodū de nocte dormiēs, postea euigilauit: sic nostra corpora recordetur dormitura per mortē, hinc reddenda uitæ à Christo, quū apparebit iudex uiuorum & mortuorum.

530 Si cū alio lectum habet communem, quietus iaceat, ne corporis iactatione uel seipsum nudet, uel alteri detractis uestibus sit molestus.

531 Optimū autem esset, si singulis noctibus, paulo antè quàm cubitū concederet puer, solus sine arbitris sedens, quæcunq; die isto uidisset, legißet, audisset, egisset, ad memoriam reuocaret.

532 Ita enim & Virgilius hominem bonū & sapientem pingit: Quòd non prius in dulcem declinet lumina somnum, Omnia quàm lōgi reputauerit acta diei.

533 Et si quid fecisset honestè, moderatè, prudenter, cordatè, cum decore & laude, gauderet: sciretq; id esse Dei munus, & similia pergeret deinceps facere.

534 Si quid turpiter, immodestè, flagitiose, pueriliter, ineptè, uituperio dignū sciret: id ex sua malitia profectum, doleret, & uitaret in posterum.

Leges

LEGES SCHOLASTICAE, IN Vſum ludi literarij Sebaldini, Iambicis trimetris conſcriptæ.

Vos, qui uenitis huc honeſtis moribus,
Et artibus bonis ſtudendi gratia:
Veſtra uoluntate agite, quod bonos decet,
Vt non opus ſit eſſe uerberonibus.
Nam quiſquis hoc in animum ſic induxerit,
Huic omne ſtudium cedet ex ſententia,
Operæq; fructum demetet pulchrerrimum:
Ignauus autem, ad hoc quòd nil lucri feret,
Virgis ſimul cæſim operietur aſperis.
1 *Suum magiſtrum digno honore non colens.*
2 *Eius'ue Pædotribis non obtemperans.*
3 *Ad lectiones tardius ſe conferens.*
4 *Silentium non ore clauſo continens.*
5 *Sub prælegendo hoc non, ſed aliud cogitans.*
6 *Ab ore declamantis aliò diuagans.*
7 *In lectione, quæ iubentur, non notans.*
8 *Prælectionem pridianam non tenens.*
9 *Demenſa, quæ ediſcenda fuerant, poſt habens.*
10 *Germana, non Latina cuiquam colloquens.*
11 *Non quotidie latinum autographum exhibẽs.*
12 *Quicquã, quod ad diſcẽdũ nihil facit, mouens.*
13 *Alijs ſtudendi occaſionem ſubtrahens.*

Solutior

14 *Solutior ſubſellijs inambulans.*
15 *Horſum uel illorſum cum ſtrepitu curſitans.*
16 *Inter ſodales inimicitias ſeminans.*
17 *Peccantibus ſubaudiendo aſſentiens.*
18 *Alieno ſceleri diſsimulator conniuens.*
19 *Inordinatè ſe ſacris templi inferens.*
20 *Se in re ſacra facienda incompoſitè gerens.*
21 *Inter ſacra oſcitanter alijs concinens.*
22 *Mente incompoſita conciones audiens.*
23 *A' lectionibus, ſiue ſacris emanens.*
24 *Quóquam inſalutatis præſidibus exiens.*
25 *Per publicam uiam indecenter ambulans.*
26 *Magnatibus obuijs honorem non ferens.*
27 *Parentibus ſuis domi non obſequens.*
28 *Docta in ſchola, domi ſuæ non ruminans.*
29 *Corporis & ueſtium mundiciem negligens.*
30 *In ſumma: Quicquã quod parũ decet, patrãs.*
31 *Pœnas dabit, conciſo ferula podice.*

FINIS.

BERNAE HELVETIORVM, PER
Samuelem Apiarium, Anno Chriſti
M.D.LVI. Menſe Martio.

tiam facit, frequens animo uoluat.

468 Itidem Anacharsis interrogatus, quo quis modo temulentiam fugeret? respondit, si quàm turpiter ebrij se dent, diligenter consideret.

469 Inter cœnam & quietem, potus omnino uitandus est, quòd nihil perniciosius sit, simul corpori, memoriæ & ingenio, quàm statim à potatione cubitum concedere.

470 At si urgeat sitis, ut bibendum sit, modicè hoc fiat: et ita, ut inter potum & lectum, temporis spacium ut minimum semihoræ interponatur.

471 Inter edendum cum senioribus, puer nihil loquatur, nisi interrogatus, aut inuitatus sit: ad interrogata, quàm paucißimis respondeat.

472 Si quid grauiter ac honestè dicatur in conuiuio, sedulò auscultet: sin turpiter aut obscœnè, demißis oculis dißimulet se cùm audisse, tum intellexisse quicquam.

473 Firmiter sibi persuadeat, apud mensam omnia casta, pura, cordata, & sancta debere esse: uidelicet quòd & ille talis sit, inter cuius munera uescentes tum uersantur.

474 Secum in animo semper reputet Dei patris omnipotentiam, qua cuncta cõdidit ex nihilo: sapientiam, qua uniuersa à se creata sustentat ac cõseruat: mansuetudinem et clementiam, quibus nos indignißimos peccatores, imò inimicos suos, quotidie

tidie pascit, ac ne pereamus custodit.

475 Et propterea immodicam sui sustentādi solicitudinem excutiat ex animo, ne uideatur bonitati Dei diffidere: unicam uerò & solam eam curam suscipiat, uidelicet quomodo Deo suo placeat ac obediat.

476 Præcipuè uerò apud mensā oportebit commeminisse promißionis illius, qua Christus, omnibus regnum Dei & iusticiam eius in primis quærētibus, cæterarum omnium rerum ad alimoniam uitæ corporalis necessariarum abundantem copiā accessuram paciscitur.

477 Pro quibus Dei in nos beneficijs nulla gratiarum actio maior ac dignior potest eße, quàm si certa fiducia nos totos illi dederimus: ac maximopere cauerimus, ne ullo modo illū offendamus, cuius beneficio & uoluntate consistimus. Sed nō amplius, quàm illi libitum fuerit.

478 A sumptis cibis, seniores aliquantulum desidere & colloqui solent: sed puer tum uel nutu saltem, ueniam petens, à mensa resurgat: et lotis illico manibus, sese rursus illis in propinquo sistat, expectaturus, si quid mandetur, quod effici oporteat.

479 Gratias acturus post sumptas epulas, expectet, donec à silentibus conuiuis indicium sibi fiat.

480 Hymnū iussus dicere, composito ad deuotionem gestu ita dicat, ut nō tam linguam motā, quàm cor bene affectum sentiat. Ni enim ita fiat, omnem precationem ad Deum inanem esse sciat.

De uestitu.

481 Præcipua cura pueris sit, ut uestitū mundum habeant. Nam ferè ex uestitus mūdicie, aut immundicie, qualis animus sit, iudicari solet.

482 Manicas nariū muco incrustare, aut oras uestium luto conspersas negligenter perferre, adeoq; quicquid ubilibet immundi inest, non illicò expurgare: ea negligentem, ac stupidum animū arguunt.

483 Ergo quicquid uestimentorū est, id in uniuersum sordibus, luto et immundicia careat. Nam immundo puero nihil esse potest odiosius.

484 Eas uestes, quas pro tempore mutat, excusso prius puluere, ac expurgata omni fœditate, in suū armariū, si quod habet, diligenter recondat.

485 Caligas exutas mox inuertat, & intus forisq; accuratè scopis repurget: & si qua fortè fœditas pedum sudore contracta est, eam aeri siccandam exponat.

486 Hæc enim diligentia faciet, ut nō solum caligæ minus uicientur, uerumetiam pedes à malè olendo conseruentur.

487 Nimium exquisitæ uestes uitio dantur, elegantes uerò laudi. Et decentius est uenustati stude-

re,

re, quàm comptibus: quòd hoc leuitatis sit, illud uerò magnificentiæ.

488 *Nouas uestium formas excogitare, insignis stultitia est. Honestas autem est, pro consuetudine & more præsentis tēporis ac usus decēter uestiri.*

489 *Lacerationes, dissectiones, alligationes, & uarietates, in uestibus uitiosæ sunt. Quare in puerili cultu non uidentur esse ferendæ.*

490 *Calcei sua uincula habeant: nisi ita facti sint, ut de pedibus labi nequeant. Ridiculum enim est, inter properandum calceos amittere.*

492 *Cotidie uesperi panno subuuido, aut spōgia, lutum, quod adhæserit illis, detergatur. Est enim & hoc animi solertis indicium.*

De ludis puerilibus.

492 *Ludi pueris neq; prorsus interdici, neq; temerè omnes cōcedi debēt: neq; ob ullā aliā causam, quàm ut his quasi renouati, ac recentes, plus uiriū, ac alacriorem animum ad discendum afferant.*

493 *Et cum studium discendi uoluntate, quæ cogi nō potest, constet: remißio aliqua danda est, ne cōtinuata neceßitas animū alioquin uolentē retūdat.*

494 *Vt enim lyram & arcum remittimus, quo melius poßint tendi: ita recreādus est animus ocio, ut ad labores reddatur uegetior.*

495 *Modus tamen sit remißionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut ocij consuetudinem*

nimium permissæ.

496 In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit dolus atq; mendacium. Nam ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias.

497 Maximè uerò absint arrogantia, contentio, rixa, inuidia, cupiditas. Per hæc enim honesta delectatio, quæ solá ex lusu petenda erat, in turpem molestiam conuertitur.

498 Et pulchrius uincit, qui cedit contentioni, quàm qui palmam obtinet. Cedet autem libenter, quisquis cogitabit, sibi tantum animi causa, non ullius lucri gratia, lusum permissum esse.

499 Si cum imperitioribus ludat puer, posśitq; semper uincere, nonnunquam se uinci patiatur, quo ludus sit alacrior.

500 Aiunt puerorū indolem nusquam magis apparere quàm lusu: quòd ingeniū ad dolos, mēdacia, rixas & iram propensius, tū ferè se prodere solet.

501 Quibus meliores & pulchriores delectationes studiorum & doctrinæ innotescunt, illis aliorum ludorum deformitas facilè & apparebit, & odio habebitur.

502 Suppeditant pueris materiam ludorum, foris pila, cursus, saltatio, pugna, lucta: quæ ipsa utiliter fiunt, propter corporum exercitationem.

03 Domi, & intra conclauia, cùm alia erunt, tū crupi et latrunculi, quibus in ludis gloria, adultis quoq;

quoq; ingenijs, magis quàm lucrum, ſpectari ſolet.

504 Sed nullus omniũ ludus iucũdior, honeſtior, ac delectabilior eſt ipſa Muſica, quæ uel ipſius uo cis modulis, uel fidibus ac inſtrumentis canitur.

505 Et operæprecium fieri cenſendum eſt, ſi pueri ſtatim à teneris (ut aiunt) unguiculis ad eam perdiſcendam adigantur.

506 Videlicet, quòd eius artis uſus etiam ad pro uectiores ætates, ac maiora ſtudia leuãda, ac oblectanda plurimum habeat energiæ.

507 Inter ludendum crebrò in mentem ueniat, quàm exiguum tempus datum ſit uitæ hominum: & propterea ex illo non oportere multum decidi ad luſus, & ad ocia.

508 Item homines creatos eſſe, non ad luſus & nugas, ſed ad ſeria: puta moderationem, temperantiam, religionem, et omne genus uirtutis et laudis.

De eundo cubitum, & capiendo ſomno.

509 In cubiculo laudatur ſilentium & uerecundia: at clamor & garrulitas indecora eſt, præſertim in lecto.

510 Conceſſurus cubitum, omnes ex animo iras, offenſiones, cupiditates, ſollicitudines deponat, ut compoſita et tranquilla mẽte placidiſſimè ſe quieti tradat.

511 Puer ſiue cum exuit ſe, ſiue cum ſurgit, ſemper memor uerecundiæ, caueat ne quid nudet alio-

rum oculis, quod mos & natura tectum uoluit.

512 Exutas uestes accuratè certo loco deponat, ut si necesse fuerit, etiam intempesta nocte, et absq; lucerna, singulas facilè poßit reperire.

513 Cogitet, homini dormienti multa contingere posse, quæ derepentè expergefactum ita attonitū faciant, ut ubi sit & quid agat nesciat.

514 Nam fit sæpe, ut subiti morbi proximè cubātes aut uicinos opprimant: quibus extemplò subueniendum, aut inseruiendum sit.

515 Cogitandum & hoc, quòd nō rarò uana quædam & contemtibilis causa, intempesta nocte grauißimam turbationem concitet.

516 Sed omnium maximè pertimescendum semper, quòd Sathan infensißimus hominum hostis, non solum animæ insidiatur: uerumetiam corpori, quicquid mali potest, molitur.

517 Inter tot pericula, etiam puerum cautiorem esse decet, ut ceu miles ad quodq; bellicū expergefactus, suas uestes etiam semisomnis illicò arripere & induere poßit.

518 Sciat somno utendum esse, tanquam medicina quadam ad curandum corpus, tanto, quantus sufficit. Immodicus enim nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis conducit.

519 Reddit enim corpora redūdātia noxijs humoribus, segnia, pigra, lēta, et celeritatē mētis tardat.

520 Nec

520 Nec existimandum est, uitæ id tempus esse, quod somno impenditur: uita enim uigilia est.

521 Quare quicunq; uiuere & sapere cupit, maximè quàm longißimo tempore uigilet, sola sanitatis commoditate seruata.

522 Non obdormiat puer, priusquã peccata sua Deo confessus sit, ac eorũ remißionẽ propter sanguinem Christi intimo cordis affectu flagitauerit: utq; ita sese Deo patri, in Christi nomine, per Spiritum sanctum, ab omnibus malis & peccatis protegendum commendauerit.

523 Hoc enim modo Deus nobis cotidie, mane ac uesperi reconciliandus est: qui mortem nostram, & iudicij diẽ semper nobis imminere, & ad quoduis temporis momentum incidere posse credamus.

524 Tum etiã reminiscatur beneficiorum Dei, nõ in se solũ, sed in totũ genus hominũ, atq; adeò mũdũ uniuersũ: proq; illis gratias cœlesti patri agat.

525 Cogitet quoq;, quantæ sint hostis hominũ per licentiã quietis insidiæ, dũ homo uelut cadauer iacet impos sui: quo instãtius orandus est Christus, ut nos tam imbecillos tueatur.

526 Dormituriẽs et frontẽ et pectus crucis signo notet: quo interiorem cordis fiduciam in crucifixi Christi meritis, etiã gestu cõfiteatur, ac testetur.

527 Et Sathan proculdubio uictus fugit, ubicunq; sub crucis signo, foris corpori applicito, cor Chri-

sto

sto fidens latêre cognoscit.

528 De manè surgens, iterum se cõmendet Christo: cui etiam gratias agat, quòd illius ope ac præsidio illa nocte nõ sit oppreßus dolis & inuidia immanis hostis diaboli.

529 Et quemadmodũ de nocte dormiẽs, postea euigilauit: sic nostra corpora recordetur dormitura per mortẽ, hinc reddenda uitæ à Christo, quũ apparebit iudex uiuorum & mortuorum.

530 Si cũ alio lectum habet communem, quietus iaceat, ne corporis iactatione uel seipsum nudet, uel alteri detractis uestibus sit molestus.

531 Optimũ autem esset, si singulis noctibus, paulo antè quàm cubitũ concederet puer, solus sine arbitris sedens, quæcunq; die isto uidisset, legißet, audisset, egisset, ad memoriam reuocaret.

532 Ita enim & Virgilius hominem bonũ & sapientem pingit: Quòd non prius in dulcem declinet lumina somnum, Omnia quàm lõgi reputauerit acta diei.

533 Et si quid fecisset honestè, moderatè, prudenter, cordatè, cum decore & laude, gauderet: sciretq; id esse Dei munus, & similia pergeret deinceps facere.

534 Si quid turpiter, immodestè, flagitiose, pueriliter, ineptè, uituperio dignũ sciret: id ex sua malitia profectum, doleret, & uitaret in posterum.

Leges

LEGES SCHOLASTICAE, IN Vſum ludi literarij Sebaldini, Iambicis trimetris conſcriptæ.

Vos, qui uenitis huc honeſtis moribus,
Et artibus bonis ſtudendi gratia:
Veſtra uoluntate agite, quod bonos decet,
Vt non opus ſit eſſe uerberonibus.
Nam quiſquis hoc in animum ſic induxerit,
Huic omne ſtudium cedet ex ſententia,
Operæq; fructum demetet pulchrerrimum:
Ignauus autem, ad hoc quòd nil lucri feret,
Virgis ſimul cæſim operietur aſperis.
1 *Suum magiſtrum digno honore non colens.*
2 *Eius'ue Pædotribis non obtemperans.*
3 *Ad lectiones tardius ſe conferens.*
4 *Silentium non ore clauſo continens.*
5 *Sub prælegendo hoc non, ſed aliud cogitans.*
6 *Ab ore declamantis aliò diuagans.*
7 *In lectione, quæ iubentur, non notans.*
8 *Prælectionem pridianam non tenens.*
9 *Demenſa, quæ ediſcenda fuerant, poſt habens.*
10 *Germana, non Latina cuiquam colloquens.*
11 *Non quotidie latinum autographum exhibẽs.*
12 *Quicquã, quod ad diſcẽdũ nihil facit, mouens.*
13 *Alijs ſtudendi occaſionem ſubtrahens.*

Solutior

